UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

Visual Library

N III. 39. Th. 4904.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Lector si cupis dignoscere
hic Casparus Bruschius
gaudis fuerit vide
Döllinger die Reformation
III V. Lieu
Regest 1846
* T. I, pag 556.
½


Bruschij

Chronologia
Monasteriorum
Germaniæ
S. III

Brutchij

Chronologia
Monasterii
Sancti Germani
S. III
f°

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Brukhij

Chronolog
Monasteri
rum Germa
S. III
f.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CHRONOLOGIA MONASTERIORUM GERMANIÆ PRÆCIPUORUM AC MAXIME ILLUSTRIUM,

In qua

Origines, Annales ac celebriora cujusque Monumenta bonâ fide recensentur,

AUTHORE

GASPARE BRUSCHIO, EGRANO,
Poëta Laureato ac Comite Palatino;

Cui adjectus Index geminus, unus rerum, alter Locorum.



SULZBACI,
Sumptibus GEORGI SCHEURERI Norimb.
Typis ABRAHAMI LICHTENTHALERI.

Anno M. DC. LXXXII.

Collegii Soctis Jesv Paderborn 1697.
Dono P. Kloppens.

Bruschij
Chronolog. Monasteriorum Germaniæ
S. III.
1

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUTHOR
ad
LIBRUM.

I Liber, & Patriæ te tandem ostende: sed ipsis
Etiam exteris, proculq́; disfitis locis.
Ut Patria, unde suas aras, sua templa suumq́;
Decus omne sumserit, ipsa tandem intelligat
Extera turba sciat, dextre agnoscatq́;: nec ipsos
Quos Barbaros vocat, extitisse ita Barbaros,
Quin & Sacra, Scholasq́; & pectora non aliena
A literis habuerimus semper bonis.
I liber ergo. Haud forsan eris male gratus & ipsi
Patriæ tuæ, sed & exteris viris. Vale!


Brulefkij
Chronologia
Monasteriorum
Germaniæ
S. III
f.



Sumtibus Georgii Scheureri Norimbergæ. 1682.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

BENEVOLO LECTORI
FELICITATEM!

EN Tibi diu desideratum, ac in tenebris latitantem, Bruschii, de MONASTERIIS GERMANIÆ CHRONOLOGIAM, quam quondam glorioſiſſimæ memoriæ Imperator Ferdinandus, &c. gratioſo privilegio munire voluit. Ex Ingolſtadienſi editione denuò typis exſcriptum Tibi hunc exhibemus Theſaurum; licet in forma minori; quo in nihil immutatum deprehendes, utut permulta cenſoria fuiſſent notanda virgula, ſi quidem falcem in hanc mittere meſſem, propoſitum fuiſſent. Cùm ad rerum Germanicarum

Bruschij
Chronologia Monasteriorum Germaniæ
S. IV.

rum notitiam hæc hiſtoria Monaſteriorum recenſio pertineat; quare eo ſaltem fine editam eſſe, perſvaſum habeas, ut nempe exinde peti poſſint, quæ ſuperiorum temporum, Eccleſiarum Germanicarum Hiſtoriæ, nec non illuſtribus familiis lucem adferre queant. Quod ſi Tibi & cetera Bruſchii grata erunt, omnem movebo lapidem, ut Deo Opt. Max. adjuvante, opus de Epiſcopatibus proximè lucem adſpiciat. Vale & fave his conatibus, quisquis antiqua Germanicarum rerum monumenta in pretio habes.

SERE-

FERDINANDUS *divina favente Clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex semper Augustus: Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ: Dux Burgundiæ, &c. Marchio Moraviæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Nostro & Sacri Rom. Imperii fideli dilecto Gaspari Bruschio Poëtæ Laureato, gratiam nostram Regiam & omne bonum.*

Postquam ad noticiam nostram deduxisti, te omnes totius Germaniæ Episcopatus, omnia item ejusdem Monasteria, omniaq; horum vetera Monumenta in unum opus redigere; & in publicum edere dudum constituisse: Vereri tamen, ne laboriosam editionem tuam postea alii Typographi imitentur: Tuq; fructu commodoq; tibi inde debito defrauderis, & propterea à nobis humiliter petiisti, ut Privilegio nostro Regali novam hanc ingenii tui fœturam, tanquam Ahæneo muro, contra Typographorum nonnullorum malitiam & avaritiam, munire dignaremur. Nos laborum tuorum (quos in colligendis & celebrandis Ecclesiasticis Germaniæ Monumentis & fecisti hactenus, & adhuc facis) clementem rationem habere volentes: tuisq; precibus & honestis rationibus adducti, nostro præsenti Privilegio cavere voluimus, quod tibi dedimus & concessimus, ac damus & concedimus his literis nostris: ne quis per continuum Octennium, *ab ea die (qua dictum de Episcopatibus & Monasteriis Germaniæ opus ex ordinatione tua impressum fuerit) computandum, intra Sacri Rom. Imperii, Regnorum & ditionis nostræ Pomeria, illud vel partem ejus, eadem vel alia forma, præter & contra tuam voluntatem & scitum recudere aut amulari, vel alibi excusum venundare, distrahereq; ullo pacto vel ratione audeat aut præsumat. Quare nomine & authoritate Sacræ Cæsareæ & Catholicæ Regiæ Majestatis fratris & Domini nostri charissimi ac nostra serio mandamus universis & singulis nostris, Sacriq; Romani Imperii & omnium Regnorum & Principatuum nostrorum Magistratibus & subditis: Maximè autem Bibliographis, Impressoribus & Bybliopolis*

Bruschij
Chronologia Monasteriorum Germaniæ
S. IV.
1

polis omnibus. Ne patiantur illi Opus supra memoratum intra dictum Octennium aut recudi, aut recusum aliunde importari: Nevè hi illud ipsum recudere aut distrahere quoquomodo tentent. Sub pœna Marcharum auri puri decem, integrè & irremissibiliter solvendarum. Quarum dimidia pars Fisco nostro Regio vel Imperiali, reliqua verò tibi, vel ex tua permissione Typographo illi (cui hoc opus imprimendum commiseris) cedere debeat. Nec non sub amissione librorum, quotquot contra hoc nostrum Privilegium & tuam voluntatem impressi fuerint, quos tu & à te potestatem habentes (ubicunq; in eos incideritis) impunè arripere, & in propriam utilitatem convertere poteris. Harum testimonio literarum Sigilli nostri impressione & manus nostræ subscriptione munitarum mediante. Datum in nostra & Imperialis Civitate Augusta Vindelicorum, die 4. Mensis Octobris, Anno Domini Millesimo Quingentesimo, Quinquagesimo. Regnorum nostrorum, Romani Vigesimo, aliorum verò vigesimo quarto.

FERDINANDUS ſſ.

Ad mandatum Sacræ Regiæ
Majestatis proprium.

I. Jonas D. L.
Vicecancellarius.

I. Jordanus ff.

SERENISSIMIS ILLUSTRISSIMISQUE PRINCIPIBUS

ac

DOMINIS,

D. MAXIMILIANO,

Bohemiæ ac Ungariæ Regi:

Ac

D. FERDINANDO,

Juniori, Germanis fratribus, Potentissimi Romanorum ac Germaniæ Cæsaris, Divi FERDINANDI, &c. filiis, Archiducibus Austriæ, Dominis ac Mæcenatibus suis clementissimis,

S. D.

Et omnem ex animo precatur felicitatem

GASPAR BRUSCHIUS, Egranus, Poëta Laureatus & Comes Palatinus.

MEnsis erat, noni qui nomine præditus Imbris
Principium hiberni frigoris esse solet.
Ejus agebatur lux ultima: nobilis illa
Et multo Divûm numine plena dies,
Qua Deus ingressus mortalis viscera carnis,
In Solymorum urbis mœnia venit ovans.
Et qua Christicolis celebratur Apostolus ipse
Andreas, meritis & pietate gravis.

Ultima Novembris D. Andreæ & Adventui Dominico sacra.

)( )(

Non.

Bruschij
Chronologia Monasterii
S. M.

Non Cœlo modò festa dies, sed & inferiori
Huic orbi, & Regnis, Carole Quinte, tuis.
Festum Sodalitatis Aurei Velleris. Nam Tibi non falso conjuncti fœdere Reges
Atque Duces ipsa hac luce coire solent:
Atque una tecum revereri Numina cœli,
Inque sua æternum vota vocare Deum.
Velleris Aurati sancitum fœdus, ut hac cum
Majestate Tua sic regat atque tegat:
Terrori ut possit sceleratis hostibus esse
Unio tot Regum nobiliumque Ducum:
Qui caput Imperii Te, Carole Cæsar, & orbis
Augustum Dominum non dubitanter amant.
Jam decimam verò secum Sol traxerat horam
Susceptæ in medio tramite penè viæ:
Carolus V. Imperator. Quando pius Cæsar, procerum stipante caterva,
Ingreditur templi limina sacra sui:
Augusti miro redimitus lumine vultus,
Quo Divos ipsos Numinaque ipsa refert.
Vestis pulla nihil pomposum habet atque superbum
E solo collo parvula pendet ovis:
Auratum terrâ quod quondam ex Colchide vellus
Medeæ rapuit fortis Iason ope.
Ferdinandus Rex Romanorum. Subsequitur frater Fernandus, & ipse profecto
Sub vestitu humili cor quoque mite gerens.
Omnibus eximiè clarus virtutibus illis,
Quascunque in summis Regibus esse decet.
E cujus vultu gravitas elucet, & ipsa
Majestas, quæ tot Regna, tot arma regit.
Philippus Rex Hispaniarũ. Proximus huic invicti est Cæsaris ipse Philippus
Filius, Hispani Rexque decusque soli.
Quem Tagus, & late dominans miratur Iberus:
Cui tot debentur Regna, tot imperia.
Cum quo fœdera nunc faciunt & Rhenus & Ister,
Et quicunque Duces flumina tanta colunt.

Pone

Ponè ſubit decus Auſtriacæ prænobile ſtirpis,
Carolus: o quanti numinis inſtar habens.
Quo puero noſtra iſta nihil formoſius ætas,
Nil magis Auguſtum ſecula noſtra vident.
Forſitan Imperium huic debetur totius orbis:
Tantus & in puero lucet ubique decor.
Tanta eſt Ingenii vis, tanta modeſtia vitæ,
Tam prudens animus: tantus in ore pudor.
Hunc Dux illuſtris, Longa Fernandus in Alba,
Clarus ut ingenio, ſic quoque Marte potens:
Ac Dux Albertus ſequitur, quem Norica tellus,
Iſarus & Dominum prædicat eſſe ſuum.
Ac plures alii, quorum nec nomina novi,
Nec (ſi nôſſem) iſtæc Muſa referre queat.
Hi templum ingreſſi magno cum Cæſare, rebus
Intenti ſolito more fuere ſacris.
Unius è vultu pendentes Cæſaris omnes,
Quem ſacroſancti numinis inſtar amant.
Dumque illic ritu celebrantur Sacra decoro,
& facit officium Muſica turba ſuum,
Ipſe ſedens prope cantorum ſubſellia, ſomnum
His oculis potui non prohibere meis.
Irrepſit ſubito præter mea vota, ſuique
Me totum juris fecit & arbitrii.
Illîc viſa mihi eſt aſtare Virago decora,
Quæ (bene ſi memini) blanda Thalîa fuit.
Utque meis procul à ſtudiis, ſolitoque labore
Ocia me vidit deſidioſa ſequi,
Talibus ingreſſa eſt ſermonibus obvia vati
Nympha ſuo, fautrix rebus amica meis.
Quid facis hîc, Bruſchi, & ſomnos ſectaris inertes,
Quos hæc conciliant murmura forte tibi?
An prorſus tibi nil ſtudiorum eſt atque laborum
Amplius? illorum ut nuper acervus erat.

Carolus Auſtrius.

Ferdinand Regis filio natu minimus.

Ferdinandus Dux Albanus.

Albertus Bavarus

Bruschij
Chronolog.
Monasteria
rum Germa
S.M.

Si tantum eſt ſuper à ſcriptis annalibus otî:
Eſt aliud, quod forte beare poteſt.
Jam veniunt Regis Fernandi pignora chara,
Maximilianus, Bohemiæ & Hungariæ Rex. Auſtriaca illuſtres nobilitate Duces.
Maximus occiduis venit Æmilianus ab oris
Per tricoroniferi regna opulenta Patris
Accelerat veteri Fernandus ab urbe Prahenſi:
Et Patris intuitu gaudet uterque ſui.
Hos juvenes omnis miratur concio Regni
Ferdinandus, Archidux Auſtriæ. Cœleſtis: favet his optima quæque Deus.
Iſtis Europæ debentur maxima Regna:
Imò etiam totum forſitan Imperium.
His nihil æque auguſtum aut nobile nunc habet Orbis,
Veræ etſi is multum nobilitatis habet.
Ergo operæ facies precium, nec inutile ſpero,
Excipies ſi aliquo carmine utrumque tuo.
Ut Pater ex animo vates compleĉtitur, ipſî
Sîc gnati facient hoc quoque forſan idem.
Ergo aude hos pigros oculis excludere ſomnos,
Atque hanc mollitiem deſidiamque fuga.
Scis, ſcriptum quid Homericus ille reliquerit heròs:
Cujus in hac vita te meminiſſe decet.
Is vetat integras ſomno conſumere noĉtes:
Nedum ipſum medio continuare die.
Ergo age, ſurge: opus aggredere idque Poëta, quod iſta
Tempeſtate equidem è re fore ſpero tua.
Debes Fernando Regi non hoc modo, multis
Ipſius & meritis muneribuſque piis.
Sed totum potius te ipſum quoque, quicquid & in te eſt,
Utile quod tantis Regibus eſſe queat.
Hæc mihi viſa loqui eſt Dea: ſeu fuit illa Thalîa,
Seu generoſa hujus Calliopea ſoror.
Suggeſtum interea doĉtus conſcenderat heros,
Regibus exponens dogmata ſacra piis.

Is patriæ p ro more ſuæ dum vociferatur,
A Somno ſum ſic excitus ipſe meo.
Surgo, auſcultaturus in Oratoris honorem,
Quem tota applauſu Cæſaris aula probat.
Sed linguæ ignarus, dum nil intelligo prorſus,
Ad tectum redeo protinus inde meum.
Hæc ſumtis ubi mox tabulis, ita ludere cœpi,
Ut paſſa ingenii eſt craſſa Minerva rudis.
Quis vero non gaudeat, adventare Deorum
Seminibus natos ſanguinibuſque Duces?
Te, Dux Æmiliane, ô Maxime & optime Princeps,
Et te, qui Patris nobile nomen habes.
Quis? niſi cui non eſt circa præcordia ſanguis
Integer, aut cui mens non ſatis apta data eſt.
Ut Patre nobilius nihil eſt, ita natus uterque
Nulla non Patrem laude referre ſtudet.
Ut Pater eſt pietatis amans, ſtudioſus & æqui:
Sic verè utrumque hoc natus uterque colit.
Utque in equis Patrum eſt bona virtus inque juvencis:
Sic ratione iſtic qua, rogo, abeſſe queat?
Suffragabitur huic laudi tota Hiſtoriarum
Bibliotheca, Duces quæ canit Auſtriacos.
Omnibus attribuens laudem pietatis & æqui,
Barbaricaque animos à feritate procul.
Sic vero nota eſt utriuſque modeſtia veſtrum,
Quà late Lycus, & Rhenus, & Iſter eunt.
Ut ſe certatim Vobis Germania tota
Offerat, & Vos ceu numina bina colat.
Omnibus eſt tantum Rex MAXMILIANUS in ore:
Hunc uno ſtudio virque puerque canunt.
Et quia nunc redis Hiſpanis optatus ab oris:
Qui penè es ſeclum viſus abeſſe bonis.
Dî, quanta omnibus in Germanæ partibus oræ
Copia lætitiæ ſe quoque ad aſtra levat!

Apoſtrophe ad Principes Maximilianum & Ferdinandum.

Brulchij
Chronolog.
Monaſteria
Germ.
S. III

Quantus ubique favor populi, Juvenumque ſenumque?
Omnibus exurgunt gaudia quanta locis?
Bohemia. Regna Bohemorum findunt Moltavus & Egra,
Egra, ad quem ſita ſtat Patria chara mihi.
Hi nunc uberiore fluunt etiam agmine, gaudent
Tantopere Dominum non procul eſſe ſuum.
Jam regni fert ipſa ſui Praha vaſta coronam,
Auguſto capiti, MAXMILIANE, Tuo.
Sic Moltavus & Egra ſuas monuere puellas,
Ut tibi ſerta parent, utque tapeta parent.
Qualia fecerunt Nymphæ Babylonides olim,
Cumque viris Phrygiæ cum puerisque nurus.
Quin & Pannonis ora, & Savus, & ipſe Tibiſcus,
Ungaria. Major & omnibus his Iſter, in aſtra canunt.
Incolumemque ſuum Regem adventare, Deosque
Propitios, gaudent vocibus atque manu.
Te veniente, etiam nuper ſe Turcica pubes
Auſa eſt Pannoniis oppoſuiſſe viris:
Quod quia ceſſit ei ſatis infeliciter, idque
Te vertente oculos in tua Regna tuos:
Nos inde admoniti Te vaticinamur eundem
Mox fore, qui bello Turcica regna premes.
Bonum Omen. Eripies Geticoque celer ſua ſceptra tyranno,
Qui nobis nuſquam non movet omne malum.
Hoc tibi promiſit fortaſſis & ipſe Tibiſcus,
Dum Paſſam nuper devorat inque fuga,
Teque ita non vano excipere eſt dignatus honore,
Te Regem & Dominum, MAXMILIANE, ſuum.
Quo ſalvo redeunte, etiam ſua priſtina virtus
Pannonibus, ſanguis Martius atque redit,
Conjuncta qui nunc hoſtem virtute laceſſunt,
Amiſſumque volent mox reparare decus.
Sacra Panomphæi faxit clementia Cœli,
Votum. Et velit ipſe regens omnia noſtra Deus,

Ne

Ne fiet infelix aut irritus optimus iſte
Conatus populi, Pannonis ora, tui.
Pugnent ſub clypeo Jovis omnes, efferus hoſtis
Inviſus quibus eſt noſter is atque Dei.
Pugnent incolumes & ſint ſine vulnere, & omnes
Victores veniant rurſus ad ora patrum:
Ut monſtrare domi ſua fortia prælia poſſint,
Virtutemque Dei tollere ad aſtra ſui,
Qui non ſit paſſus ſuccumbere turpiter illos,
Spes quibus in Dominum non fuit ægra Deum.
Qui ſe magnanimis ſunt auſi viribus hoſti
Obijcere, in patriæ commoda vera ſuæ. *Studia pacis.*
Ut ſine lite domi, tranquilla in pace doceri
De Chriſto rectè tota juventa queat:
Et vera Pater æternus pietate colatur,
Ac ſtudiorum iterum floreat omne decus.
Iſtorum omnium erit tantorum cauſſa bonorum
Adventus felix, MAXMILIANE, tuus.
Cui merito applaudit Germania nobilis, imò
Quæcunque eſt Chriſtum turba profeſſa Deum.
Nos equidem nihil his jucundius hauſimus unquam
Auribus, hac licuit dum mihi luce frui,
Quàm quod diceris Heſperiis ex urbibus ipſa
Ad dulcis patriæ regna redire tuæ.
In quibus ex animo, & non ficta mente triumphat
Dives inopsque ſimul, virque puerque ſimul.
Nec locus eſt ullus Germanis, arbitror, oris,
Qui non adventus flagret amore tui.
Cæſaream nam ſive oculos detorqueam in aulam,
In Septem Imperii ſive Theatra Virûm:
Principis aut videam penetralia ſacra Philippi,
Aut aliorum etiam tecta ſuperba ducum:
Nil niſi gaudia, læticiam, pulchrosque triumphos
Aſpicio ob reditum, MAXMILIANE, Tuum.

Omnes

Omnes tota tibi pandit Germania portas,
Teque ſuum eximium gaudet adeſſe decus.
Et quæ nuper erat lugubribus obſita pannis,
Jam volet in reditu mundior ire tuo:
Exceptura aliqûod veluti te numen amicum,
In quo ſpem poſuit non male docta bonam:
Scilicet hunc ipſum Te fortem Heroa futurum,
Quem recte armârit Turcica in arma Deus.
Quem velit in patriam victorem aliquando redire,
Miſſis Biſtoniis ſub juga noſtra Getis.
Utque alias urbes taceam, quas Teutonis ora
Innumeras ut habet, ſic bene propitias,
Non modò, Maxmiliane, Tibi, ſed & omnibus ipſis
Fratribus Auguſti nobilibusque tuis:
Solum Auguſtana civem videamus in urbe,
Quantus in hoc favor eſt, quanta cupido Tui?
Non mihi, ſi plures Divûm daret optio linguas,
Pro meritis ſatis hæc enumerare queam.
Quanta locis ſit in omnibus expectatio vultus
Clementisque Tui, magnanimique Tui?
Quanto te ſtudio velit omnis turba videre,
Cum Nymphis matres, cum puerisque ſenes.
Urbs hilarem ſe tota tibi clariſſima præbet,
Quæ tibi monſtrat opes officioſa ſuas.
Quin Lycus ipſe ſenex jam Te veniente per urbem
Eſt viſus mediam lætior ire mihi.
At quantum Pater ipſe Tuus Fernandus, in urbe
Gaudeat hoc reditu, Maxmiliane, Tuo:
Quanta relligione Deos inclamet, & ipſis
Devoto grates pectore totus agat:
Quòd Comites Tibi ſe dederint terrâque mariqué
Tam longæ omnino difficilisque viæ:
Quod fortunârint tibi conjugiumque domumque,
Et reditum dederint in tua regna bonum:

Id ver

Id vero exprimere est præclari alicujus Homeri,
Fœcundo cujus gurgite Musa fluat.
Ut nihil omnino est ipsi Techarius uno,
Sic habet hoc reditu charius ipse nihil.
Quicquid in hac vita gratum fuit hactenus illi,
Id sordebit ei Te veniente modo:
Tu Patri nunc vera eris & perfecta voluptas,
Nec Patri tantum, fratribus imò magis.
Percontabuntur qui de regionibus ipsis,
Quas tua viderunt lumina pulchra modo:
Per quæ rura Tagus, per quæ fluat altus Iberus,
Per quæ Bætus, Anas, Durius atque ruant.
Quæ tot regnorum series? qualisque per urbes
Sit facies rerum? quis status omnis ibi?
Qualis mundicies, num nostris consona terris?
In quali jaceat Barsoliona solo?
Aut qua fortuna claras tot videris urbes,
Gallia quas, pugnax quas Latiumque tenet?
Quæ Tuus audiat ut frater FERNANDUS, ad urbem
Hanc quoque lætitia plenus ovansque venit.
Austriacæ dominus FERNANDUS maximus oræ,
Quem modo Moltavus, quem Praha vasta tenet.
Ille Bohemorum populo qui præsidet acri,
Fortibus atque viris, prisca Libussa, tuis.
Quem mox regna gubernaturum Hispanica dicunt,
Quicquid & occiduus spectat Olympus apum.
Cui venienti ad Te dubio procul obvius ibit
Immensus Procerum nobiliumque chorus.
Ut Tibi (ni tacitus venisses) isset ab urbe
Obvia magnanimum longa caterva Ducum.
Quæ nullum Tibi non studium promittit, & offert
Se, suaque imperiis cuncta parata Tuis.
Sed, quo te FERNANDE modo, quo carmine dicam?
Qui Patre magnanimo non eris inferior:

Flumina Hispaniarum.

Bohemia: Praha enim caput regni est per quam defluit Moltavus.

Apostrophe ad Ferdinandum Archiducem.

)( )( )(

Aut

Aut quibus excipiam numeris te? his ſcilicet ipſis,
Quos Tibi Razanâ nuper in arce dedi:
Pragæ Anno 1550. Cum Te non tantum prandentem ſæpe viderem,
Ut vidi Patrem hac nuper in urbe Tuum:
Sed medio certare foro, & concurrere in armis
Cum ducibusque tuis nobilibusque viris,
Quos & Pannonis ora & terra Bohemica claros
Militiâ, & fortes prædicat eſſe manu.
Plebis ubi & Procerum in te unum converſa fuerunt
Lumina, quæ vetus urbs tota Prahenſis alit.
Dî, quibus amplexa eſt Te tota favoribus illa,
Quæ Patri eſt nuper ſubjuga facta Tuo?
Vix ita Roma patris quondam ſtudioſa Quirini
Extitit, Auguſto aut officioſa ſuo.
Unde mihi facile his licuit rationibus uti,
Te vere charum civibus eſſe tuis.
Et non immerito. nam qua pietate Parentes,
Qua virtute Tuos non etiam ipſe refers?
Mitis es & clemens. Dedit hoc Domus Auſtria Vobis,
Omnibus ex iſta ſtirpe locoque ſatis.
Hinc & amabilis es, uelut hi quoque ubique fuerunt
Omnibus accepti fortibus atque bonis,
Poſteritas Vos quorum eſtis, Vos lumina terræ,
Auguſtum quibus hic nil magis Orbis habet.
Fortis es; hoc Pater, hoc proavique atavique dederunt
Omnes armorum & Martis honore graves.
E quibus enaſci niſi forte, quid obſecro; vere
Invictumque aliquid, quid potuiſſe putas?
Sed quoque doctus es, & linguas Tibi diſcere plures
Ad Patris emplar maxima cura fuit.
Rex Ferdinandus Latinæ linguæ ſtudioſiſſimus. Imprimis Latias veneraris amasque Camœnas,
Communis quæ laus cum Genitore Tibi eſt:
Qui veluti linguam præclare intelligit, ipſa
Quâ ſolita eſt quodam maxima Roma loqui:

Sic

Sic nulla est & gratior atque frequentior ipsi,
Quàm lingua, in qua olim Roma diserta fuit.
Quæ quo rarior est hoc nostro tempore virtus
Regibus in nostris principibusque viris,
Hoc majus decus & majorem in Patre meretur
Invicto laudem magnanimoque Tuo,
Qui non otia iners est desidiosa sequutus
Resve leves, quæ nil utilitatis habent,
Sed degustavit nullas non Palladis artes,
Et quicquid veteres personuêre sophi.
Unde ipsi imbibita est annis sapientia primis,
Augusto qualem Cæsari inesse decet:
Qua sic tot regnis, tot præsidet urbibus unus,
Prudenter nil non & sapienter agens,
Ut priscis facile conferri totius orbis
Principibus, summis Regibus imò queat,
Quos venerantur adhuc meritis hæc tempora nostra
Laudibus, & deinceps omnia secla canent.
Annumerari his ut possitis Vos etiam olim,
Annumerabitur his vester ut ipse Parens:
Omnibus, ut facitis, studiorum huc tendite nervis:
Ille etiam sic Vos ipse manebit bonos,
Quem prisci præclare ut consequerentur, honestum
Nil non audebant magnanimumque, duces.
Sed Vos Augustana venire ad Mœnia lætos
E regnis vestris gaudet ut omnis homo:
Sic quoque ut utile sit, felixque hoc insuper ipsum
Et Patriæ & Vobis, omnibus atque bonis,
Officiosa omnes Germani voce precamur,
A summo optantes id genitore DEO,
Ut Vos & regat, & nunquam non excitet acer
In laudem sacri nominis ipse sui:
Consilia omnia Vestra ut dirigat omnibus horis
Ad conservandum pacis in orbe decus,

Excipiuntur principes.

Bruschij
Chronolog.
Monasteria
S. IIA

Ad patriæ ſic augendas atque amplificandas
Res omnes, quarum Vos decet eſſe Patres:
Ut verè Vos Germano de ſanguine natos
Auſtriacaque domo ſecula cuncta ſciant.
Sit felix Iſtro, ſit fauſtum atque utile Rheno,
Quod Vos intra ſe Rhenus & Iſter habent.
Sitque ſalutaris Patriæ præſentia veſtra,
Præſentes quæ Vos eſſe triumphat ovans.
Proſit ad ornandas præclare arasque focosque,
In quibus eſt aliquid forſan ubique mali,
Exhortatio ad inſtaurandam pacem.
Quo benè ſopito, redeamus in omnia priſca
Fœdera, amicitiam ſcilicet inque bonam:
Germano quicunque ſumus de ſanguine nati,
Seu nos Rhenus habet, ſive etiam Albis habet.
Et faciamus id in Chriſti ſalvantis honorem,
Cujus nos omnes turba profeſſa ſumus.
Eſt aliquid rixarum? ut fortè eſt, ceſſet id, atque
Pax redeat, pacis ſurgat ubique decus.
Sic erit ipſa etiam nobis clementia cœli
Mitior, & paci qui favet ipſe DEUS.
Sic invicti erimus tutique à fraudibus hoſtis,
Qui nobis iterum bella minatur ovans:
Et nunc imperioſus ad altum fulminat Iſtrum,
Atque novas fraudes rurſus, ut ante, ſtruit.
Hoc decus, hoc ornamentum ſuadete parati,
Ut facitis: patriis & reparate focis.
Nulla poteſtaris præſtari gloria major,
Nulla focis: quam ſi pax reparetur eis.
Commoda pacis.
Pace urbes florent pagique & pinguia rura:
Muſarum ſtudia & munera pace vigent.
Incommoda belli.
Pacis at immitis, crudelis & impius hoſtis
Evertit Mavors cuncta furore ſuo,
Non pagis parcens, non urbibus: imò nec ipſis
Divorum templis, ignibus atque ſacris,

Pacem

Pacem igitur, sed iniquam etiam præponite bello:
Bello, quod vobis creditur esse pium.
Ornamenta eritis sic verè & lumina mundi,
Et vestrâ Austriacâ Numina digna domo.
Sic Oriens Vos, sic Occasus honoret & omni
Vos pietate potens Auster & Arctos amet.
Sic se submittant Vobis regna omnia mundi,
Casura ad vestros regna aliquando pedes.
HIS ego gratari reditum Tibi, Maxmiliane,
Optavi numeris, Rex animose, meis:
Et tali sum te excipere ausus carmine, fratrem
Fernandumque Tuum, carmine nempe rudi.
Ex quo nil aliud si disces, hoc tamen inde
Cognosces, quo te Rhenus amore colat.
Rhenus & Ister & ipse Tuus Moltavus & Egra,
Et qui Francorum Mœnus inundat agros:
Noricus & Nabus, omnibus & Tibi charior Oenus,
Ad Pontem cujus diceris esse satus.
Imò Almonus, Ilerque, Lycusque & Vinda, Visurgis
Cum vicino Albi, cumque potente Salo.
Pegnesusque senex cum Sala & divite Hiæra,
Quique init hospitium, Rhene, Mosella tuum.
Hinc disces, qua te pietate Tuumque Parentem,
Totum habeatque Tuum quanto in honore genus.
Quantopere rediisse suum sibi Maxmilianum,
Gaudeat omnibus in Teutonis ora locis.
Læticiâ cujus non jam vacat angulus ullus,
In quo hominum saltem turba aliquanta latet.
Tu, Rex, officium clementer id accipe nostrum,
Et virtute quoque hac Patrem imitare Tuum.
Hactenus utque facis, Musarum limina & aras
Ac studia æterna relligione fove.
Sic Te verus honos, sic gloria vera manebit,
Quam Tibi nulla potest unquam abolere dies.

Brulchij
Chronolog. Monasterii
Germ.
S. III.
f.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dedicatio operis hujus

SED ne Carmine Vos saltem excipiamus inani:
Addidimus scriptis versibus istud opus,

Argumentum operis.

In quo templorum (quæ turba Monastica late
Incolit) annales & monumenta cano.
Quæ fuerit cujusque loci genialis origo,
Quæ fortuna satis digna, quis ordo Patrum?
Quis fuerit cujusque domus fundator & author?
Quis sibi legerit in quôque sepulchra loco?
Cæsarei quibus atque locis Proceresque Ducesque,
Et veterum Regum pignora chara cubent?

Respondet calumniatoribus huius operis.

Hæc si quis reprehensor inania forsitan esse
Vociferabitur, is non sciat esse novum,
Describi pia templa, scholas, arasque Deorum
Aut etiam veterum condita busta Virûm.
Fecit idem veterum vatum labor: obvia suntque
Exempla omnibus, in vix numeranda libris.
Prætereo, quòd sacra refert tot templa, tot aras
Pagina, quas veteres excoluêre Patres.
Unum illud spectemus ibi, Salomonis ut ædem
Describat graphicè Spiritus ipse Dei,
Per priscum quondam Mosen reliquosque loquutus,
Quorum admiramur nos monumenta, patres.
Si veteres igitur vates, sacri atque prophani
Sunt ausi sacras sic celebrare domos:
Ut quis eas & fecerit & donaverit olim,
Insigni studio sollicitèque canant:
Sæpe patres etiam subjungant ordine, per quos
Fata Deusque ipsas has voluêre regi:
Quid ni nos etiam studeamus scire, quis illa
Omnia condiderit maxima templa Deo?

Utilitas hujus operis.

Quorum copia talis inest regionibus, in quas
Clementis posuit nos pia cura Dei.
Hinc, qualis fuerit pietas majoribus olim,
Quantus in his fuerit relligionis amor;

Quantus

Quantus in orbe Dei timor (ille est namque tot author
Templorum primus) quanta cupido poli;
Quantus amor disciplinæ morumque bonorum
Extiterit; tanquam in luce videre licet.
Fit vero ex istis monumentis clarior ipsa
Historia, in nostrum quæ jacet usque diem:
Quæ, satis excultis pulchrè omnibus artibus, istam
(Qua clarent aliæ) sola requirit opem.
Obticeo, quàm sit jucundum ac dulce, videre
Erecta in variis tot monumenta locis,
Tot legere antiquosque viros Comitesque Ducesque,
Innotescere qui sic volvere Tibi.
Et sibi saxa erexerunt, hanc scilicet unam
Ob causam, ut possent rursum aliquando legi.
Deficientibus utque ipsorum morte vetustis
Stirpibus, ipsa tamen fama maneret adhuc:
Testaretur, & hos etiam vixisse aliquando,
Quorum corpora nunc pulvis & umbra forent.
Unde animis & nos moniti minus esse feroces
Vellemus versis, & magis esse boni.
Si peregrinari jucundum est atque videre
Sæpe in diversis saxa vetusta locis:
Admirabundi ceu sæpius illa videmus
Inque pugillares ponimus inde libros,
Quid ni dulce sit & jucundum eadem omnia scriptis
Mandata & legere, & sæpe videre domi,
Oppressi curis gravioribus ocia quando
Quærimus, & requiem, pectora quæ ægra levet.
Verùm & virtutum & vitiorum exempla videre
In reliquis scriptis utile ut esse solet:
Quid ni etiam hic esset? Nam non ita cuncta probamus,
Quin mala sæpius & prava notemus ibi.
Si quid habet rectum, dignumque Monastica laude
Vita, quis id duro carpere dente velit?

Primus in orbe Deos fecit Timor

Si quid

Brulichij
Chronolog. Monasteriū
S. III

Si quid rurſus habet praviqúe maliqúe, quis iſtud
Laude probare aliqua vel celebrare velit?
Candida non trepida dicamus candida voce:
Atra etiam intrepida mente vocemus ita.
Hæc verò ut celebrarem: eſt author & ipſa vetuſtas
Sæpè mihi in mediis obvia facta viis.
Dum varias gentes, terras urbesqúe peragro
Et lego diverſis ſaxa notata locis.
Sæpè mihi dixit: Tu jam legis iſta, ſed hoſtis
Quid ſi aliquis veniet mox, nihil illa probans?
Is me comminuet, monumentaqúe talia franget:
Pluribus ut miles fecit id ante locis.
Tu monumentorum (ut video) ſtudioſus eorum
In certos poſſes colligere illa libros,
Ut templis olim vaſtatis & monumentis
Sublatis, poſſent ſic tamen illa legi,
Ac ſi ſaxa forent oculis præſentia veſtris:
Ergo age, fac aliquid, quod mea damna levet.
Ipſa tuum ratione etiam hac ſuper æthera nomen
Ad ſerosqúe annos non malè grata feram.
Ah ſine, ut iſta tuam ſubeat miſeratio mentem,
Ne peream miſeris tota aliquando modis.
Talia ſæpè loqui viſa eſt mihi ſacra Vetuſtas,
Cujus amans nunquam non cupidusqúe fui.
Talibus ejusdem motus victusqúe querelis
Non potui merita hæc parva negare Deæ.
Vobis verò librum hunc illuſtres dedico Reges
Atqúe Duces: vobis hæc monumenta fero,
Ut reduces Patribus velut excipiamini ab ipſis
Omnibus, in gremio quos fovet iſtud opus.
Officioſo ut in adventu eſt Germania veſtro,
Lætaqúe nunc Vobis obvia tota ruit:
Sic qui præceſſere olim Regesqúe Ducesqúe
Vos hoc Germano maximo in Imperio.

Quin

Quin & Doctores veteres populique Patresque,
Quorum habet iste meus nomina resque liber,
Elysii ex animo gaudent per florida campi
Rura, huc incolumes Vos rediisse Duces:
Vos inquam, quibus hæc debentur maxima regna,
Deberi quibus hæc ipsa & Olympus ait.
Inferior fuit hæc mea qualiscunque Thalia,
Quæ vos excipere est versibus ausa suis.
Ergò tot Imperii proceres audite parati
Et tot Doctores Pontificesque meos.
Qui vestris regnis felicia cuncta precantur,
Vosque volent votis sæpè juvare suis.
Vivite semidei fratres: Tu Maxime Regum
Æmiliane, domus maxima fama Tuæ.
Et tu Patris habes magni qui nomen, & ipsum
Nomine ut, ingenii sic bonitate refers,
Vivite felices fortunatique. Deorum
Nobilis ô sanguis. nobilis atque decor.
Vivite: Vos Orjens, Occasus & Auster & Arctos
Indubitanter ament & reverenter ament.
Ac si forsan adhuc est quædam incognita nobis
Tellus, hæc etiam vos amet atque colat.

In ipso Solstitio Hiberno, Anni â nata Salute æterna 1550.

In Librum Monasteriorum Germaniæ, Poetæ Caspa-ris Bruschii, Epigramma Doctoris Achillis P. Gassari, Lindavienſis.

Moribus antiquis & majorum pietate
Cum nequeat mundus splendidiora dare:
Mirum, quare homines teneantur amore novarum
Rerum: nec quod avis gratum erat, illud ament.
Hinc sine judicio fit, quod Germania passim
Per præceps ruat hoc in nova cœca die.
At veterum si quis Monumenta vetusta virorum
Aut pietatem omnem cernere forte cupit,

)()()(

Bruschij
Chronolog.
Monasteria
rum Germa
S.M.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Seu ſacras ædes, Monachorum ampliſſima regna,
Virgineos cætus, Potificumque domos:
Sive Scholas doctas, ſanctasvè artes, ſtudiumque:
Ut conſtent certò tempore quæque ſuo.
En celebris Vates nunc dat tibi Bruſchius, horum
Quicquid præcelſi Teutonus orbis habet.
Hæc ubi habent Chriſtum & veram hujus cognitionem,
Poſſunt laudari, cætera turba peri.
Sed quia ſunt cuncta hæc animo conſcripta fideli,
Suſcipe gratanter, lector amice, librum.

XISTI Betuleii Auguſtani in Gaſparis Bruſchii Monumenta, Phaleucium.

Muſæ Pierides, favore veſtro
Muſæ Caſtalides, favete cœptis
Tam pulchris. Monumenta ſunt vetuſta
Quæ multis ſtudiis laboribusque
Veſter Bruſchius ille Vates atque
Cultor, Caſtaliis jugis oberrans
Collegit, vagus hinc & inde blattis
Infeſtus. Vario Miniſter ille
Veſter Bruſchius inſidens labori,
Veſtris præſidiis reliquid iſtud
Tam cultum, nitidum, politum & amplum
Tam ſplendens opus è vetuſtiori
Depromtum, monumenta nempe, ſeclo.
Non fiunt ſine numine iſta veſtro:
Eſt veſtrum hoc opus, illius labores
Digno ſunt merito pares honore.
Te κλειὼ pius & diſertus ille
Myſtes rite, colit, pie & diſerte.
Præ Muſis reliquis fidelis, atque
Magnos promeruit Poëta honores:
Eſt dignus vario Poëta honore.
Huic κλειὼ κλέος addito fideli,
Dignum quod meritis ſiet, Poëtæ.
Quod ſi Bruſchius hic tuus miniſter

Gratam

Gratam Principibus viris opellam
Condet: quæ numeris cani merentur;
Condet: quas meruere forte laudes
Geſtis egregie viri potentes.
Quare, Pierides, favete Vati,
Κλειὼ magnifico fave Poëtæ.

Sebaſtianus Glaſerus, Hennebergenſium Principum Secretarius, ad Lectorem.

Quisquis ades doctiſque vides monumenta laboris
Et pia, ſed priſci temporis acta legis:
Ingenium authoris merito digneris honore,
Et doctum grata ſuſcipe mente librum.
Bruſchius ingenio clarus, nulliſque ſecundus
Arte, tibi tantum prodidit author opus.
Non ortus hic Myrmidonum, non bella Gigantum,
Nec Paphiæ Phœbo prodita furta Deæ:
Non patris inceſtum Cynyræ, non impia Myrrhæ
Auſa, nec aurato furta ſub imbre leges:
Non Cephali conjunx telo interfecta mariti,
Non Niobe natis hic habet orba locum;
Sed monumenta leges annalibus eruta priſcis:
Quicquid & antiquum Teutonis ora tenet.
Quæ Pietas priſcis, quod religionis alendæ
Extiterit ſtudium, te liber iſte docet.
Quem pie ſi lector forſan ſcrutabere, dices,
Temporibus noſtris hei mihi cenſor abeſt.
Hei mihi, quam pauci ſequimur veſtigia Patrum?
Quam paucis rebus debitus uſus adeſt.
Quasque Deo donavit opes veneranda Vetuſtas
Hei mihi, nunc ventri turba prophana dicat.
Talia ſi tacite tecum meditabere, Lector,
Fallor, an hæc mecum vota precesque feres.
CHRISTE ſeneſcenti da finem quæſumus orbi,
Da nobis Regni gaudia vera tui.
Aut ſua ſi nondum ſunt ultima tempora mundo,
Si nondum laſſi terminus orbis adeſt:

Bruschij
Chronolog.
Monasteriù
rum Germ.
S. III.
f

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Da saltem (petimus) melioris tempora secli,
Non homines inter floreat omne scelus.
Auspiciis, Deus alme, tuis pietasque fidesque
Floreat, & sanctum nomen in orbe tuum.
Munere quisque suo, fungamur: pectora sancto
Afflatus flagrent numine nostra tui.]

Georgius Latus, Voitlandus:

Quæque suos regio præstantes laude Poëtas,
Historiæ gnaros dat Sophiæque viros:
Sola parit paucos celebris Voytlandia Vates,
At quos fert, titulo nobiliore beat.
Nullus ego, fateor, sum: nam mihi parva liquoris
Castalii doctæ dona dedere deæ.
Jure igitur lateo. Meus at nunc Bruschius ut Sol
Aureus in medio stat radiatque polo.
Fiechtelberg. Bruschius Egranis excellens natus in oris,
Hîc ubi Piniferi sunt juga celsa soli:
Piniferi Montis tractus mihi patria & illi est,
Qui pollet stricto & liberiore stilo.
Ille lares celebrat patrios graviore cothurno:
Ingens & patriam fit celebrando decus.
Multos dant aliæ regiones fortè Poëtas,
Præ multis nobis Bruschius unus erit.
Hunc ornant Musæ, simul experientia, virtus:
Testatur solus, quod satis, iste liber.
O labor, ô studium felixque industria, per quam
Extabunt veteris tot monumenta rei,
Gratificare iccirco & dignis laudibus effer
Authorem tanti, lector amæne, libri.

Ad D. Gasparem Bruschium, Poëtam Laureatum, familiarem suum: Andreæ Dietheri Augustani Jambicum.

Is maximè excellere videtur gloria,
Bruschi Poëta doctissime, qui patriam

Studet

Studet genusque ornare plurimis suum
Virtutibus: qui istuc ipsum notissima
Virtute præstare eruditionis, &
Acumine ingenii pergis quam sedulo.
Haud, dignitas quamvis semper judex siet
Iniquus, hinc verere partam Lauream
Amplissimis honoribus, laudabiles
Exercere vires in te: reputando bonum
Et eruditum semper doctis & bonis
Viris probari. Tum quoque posteri sciant
Artes eas, quarum adjumento plurimum
Antiquitates istas, non sine maximis
Laboribus, de plurimis authoribus
Collegeris; tibi à prima pueritia
Esse elaboratas studio perimpigro:
Imitentur utque industriam tempore tuam,
Ut se laturos fructum studiorum parem
Omnino confidant. Quare, doctissime
Bruschi, precor, pergas ut felicissime
Musis tuis prodesse nobis; & tua
Ut floreat sine intermissione, nec
Amittat unquam viriditatem Laurea.

David Pfeifferus Lipsius Poëta Laureatus.

Herculeos mendax abscondat fama labores,
Nec taurum jactet, nec Diomedis equos;
Dissimulent vates immania facta Gigantum,
Qui montes summis imposuere jugis.
Atlantis taceant sudores carmina, cœlum
Quem perhibent humeris sustinuisse suis.
Magnaque doctiloqui Bruschi monumenta loquantur,
Jactent præ reliquis omnibus istud opus.
Nam prius obscurâ quæ condita nocte jacebant,
Erexit scriptis omnia claustra suis.

Bruschij
Chronolog
Monasterio
rum Germa
S. III
f

In Clarisſimi Poëtæ Laureati Comitisq; Palatini, D. Gaſparis Bruſchii Egrani, Opus Monaſticum, Gaſpar Rudolphus, Lemburgenſis Sileſius.

Scilicet eſt aliquis, cui ſunt quoque tempora curæ,
Scilicet ille aliquis Bruſchius eſſe poteſt.
Bruſchius, Aonidum celeberrima fama ſororum;
Candida cui Lauri tempora cingit honos,
Cui favet, omnis agit quemcunque furoribus hauſtis
Delius, & notum verſibus eſſe facit.
Ille unus, magno rerum turbante tumultu
Ingenio condit divite majus opus:
Tale opus, Abbatum quo vivent nomina cuncta,
Et poterunt omni poſteritate legi.
Ille lares prima deducit origine ſacros
Et fundatores, quot fuerintque, refert:
Quòd fuerintque Scholæ aut fuerint exempla ſcholarum
Et doctis tantùm tecta habitata viris,
Ære novo verè ſculpſit, tabulisque notavit
Hiſtoriam, & ſerie cuncta novata dedit,
Gaudete Abbates, gaudete ô nomina ſacra
Pontifices, veſtra hoc ſæcula Vate cani,
Quo nil candidius tulit antiquiſſimus Ægræ
Accola Nariſcus, Piniferumque caput.
Demite de magno, Vati quod detis, acervo
Et veſtra ingenuum dote levate virum.
Hei mihi, quas urbes patriæ peragravit & oras?
Quæ mala confectis pertulit ille viis?
Quos fecit ſumtus? quas inſuper ipſe repulſas
Sæpè tulit, rogitans illa vel illa ſuper?
Ah quotus eſt, cupiat ſimiles qui ſponte labores
Suſcipere, aut cupiat ſi tamen, ipſe queat?
Qui velit ingenio Monachorum cœpta, domosque
Muneraque & vitas ſuppoſuiſſe ſuo?
Ergo agite effuſum hunc ne vos ſinite eſſe laborem,
Quos celebrat ſcriptis ille Poëta ſuis.

Et

Et date, quo norit vobis sua cœpta placere,
Præmia Proposito, præmia digna viro.
Forsitan auxilio hoc orsa ad meliora feretur,
Vestraque ei præsens munera calcar erunt.

Nobili Viro D. Gulielmo Giengero, Regio Cubiculario: S.

Dum tota applaudit Germania MAXMILIANO,
Urbsque Augusta suo est officiosa duci,
Quem rediisse sibi Hesperiis ita gaudet ab oris,
Ut nato mater gaudet honesta probo,
Incolumi redit is, si quando corpore salvus
Externa ad patrios è regione lares,
Dum Regni proceres inquam Dominique triumphant,
Excipiuntque ducem turba parata suum:
Nos etiam reduci gratamur carmine sacro,
Excipimusque aliqua parte favoris eum:
Quo duce non alius Germano est charior orbi,
Quem certatim omnis virque puerque colit.
Hoc cupimus carmen perferri MAXMILIANI
Regis ad Augusti & principis ora tui.
Te sacris verò Musis, Gulielme, favere
Accipimus, nostris his studiisque piis,
Heroum quibus & laudes cantari, & eorum
Nomina transmitti ad postera secla solent.
Carminis ergò mei istius quoque suscipe curam,
Qui fautor Clarii diceris esse chori.
Idque pio Regi commendans MAXMILIANO
Eloquioque tuo præsidioque juva.
Promisit mihi de Te multa Georgius heros,
Ille Giengeræ gloria summa domus.
Germanus frater tuus, ô Gulielme, sacrati
Quem Regis magnum numen ut aula colit.
Ille Tuum mihi pollicitus studium atque favorem est,
Cum conveniissem hoc nomine nuper eum.
Ille Tibi ingenium tribuit moresque benignos,
Et te Musarum prædicat esse Patrem.

Doctor Georgij Giengeri, Regiæ Rom. Majest. Consiliarius & Novici præses.

Ergò

Bruschij
Chronolog.
Monasterio
rum Germa.
S. IV.

Ergò patrocinio noſtrum hoc quoque ſuſcipe carmen,
Quique juvas multos, me quoque quæſo, juva.
Sic faveant Tibi non ſummorum pectora tantùm
Imperii Regum magnanimumque ducum:
Sed faveant etiam cœleſtia templa regentes
Dî tibi: mortalis quin etiam omnis homo.
Nos equidem, qui pars Heliconis dicimur eſſe,
Ingenuo noti pectore ad uſque Deos,
Te memori Vates nunquam non laude canemus
Pro pietate tua, hoc officioque. Vale.

BRUSCHIUS.

MONASTERIORUM GERMANIÆ præcipuorum ac maximè insignium CHRONOLOGIA,

collecta

à

GASPARE BRUSCHIO EGRANO,
Poëta Laureato & Comite Palatino.

ANHUSIUM, (quod hodiernum vulgus corrupta voce Anhusium, Anhausen/ vocat) Benedictinæ professionis Monachorum præclarum cœnobiũ, in Brentiana valle, amœnissimo Sueviæ tractu, ad Brentium amnem in Augustana diœcesi, quatuor ferè miliaribus ab Ulma Suevorum metropoli situm: fundatum & constructum est in honorem S. Martini Episcopi, à Manogoldo Comite Palatino Tubingensi, ejusq; filiis Walthero Episcopo Augustano, Mangoldo, Adalberto, & Udalrico Comitibus, annum Christi circiter 1125. Privilegiatur à Pont. Max. Celestino II. cujus tale extat diploma:

Abus. ad Brentium amnem.

Fundator Manogoldus.

CELESTINUS Episcopus, servus servorum DEI dilectis filiis, Monachis S. Martini de Anhausen, tam præsentibus, quam futuris regulariter substituendis: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Desiderium quod ad religionis propositum & animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impartire suffragium. Ea propter dilecti in Domino filii, Venerabilis patris nostri Gualteri Episcopi precibus inclinati, vestris justis postulationibus clementer annuimus: præfatum Monasterium, quod ab

Diplo. ma Celestini II.

Bruschij
Chronologia Monasteriorum Germaniæ
S. III

egregiæ recordationis viro Manogoldo Palatino Comite, ejusq; filiis, præfato videlicet fratre nostro Gualtero nunc Augustensi Episcopo, Adalberto & Udalrico in proprio Allodio constructum est, & beato Petro cum omnibus ad ipsum pertinentibus oblatum: Sub ejusdem Apostolorum principis & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus: Statuentes, ut quascunq; possessiones vel decimas, quæcunque etiam bona idem Monasterium in præsentiarum juste & Canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, Largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis DEO propicio poterit adipisci: firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Concambium, eò quod de loco (in quo ipsum Monasterium situm est) cum Ecclesia S. Petri de Oetingen (ad cujus parochiam pertinebat) utriusq; partis assensu rationabiliter factum est, authoritate Apostolica confirmamus. Liceat autem vobis communi consilio Advocatum (quem ad defensionem ejusdem Monasterii utilem esse cognoveritis) libere eligere: ipsumq; (si inutilis apparuerit) removere, & alium quem utiliorem provideritis substituere. Obeunte vero Abbate (qui pro tempore ibidem fuerit) nullus, qualibet surreptionis astutia & violentia præponatur: sed liceat vobis communi consilio vel parti consilii sanioris, secundum Dei timorem & S. Benedicti Regulam, absq; ullius contradictione Abbatem eligere. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu Basilicarum, ordinationes Monachorum (qui ad sacros ordines fuerint promovendi) à Diœcesano suscipiantur Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam atq; communionem sedis Apostolicæ habuerit, & ea gratis & absque aliqua pravitate vobis voluerit exhibere. Alioqui liceat vobis Catholicum quemcunq; volueritis adire Antistitem, nimirum qui nostra fultus authoritate quod postulatur, indulgeat. Sepulturam quoq; illius loci liberam esse concedimus, ut quicunq; se illic sepeliri deliberaverint, ni forte excommunicati sint, nullus obsistat: salva tamen justitia matris Ecclesiæ. Ad indicium autem hujus à sede Apostolica perceptæ libertatis, Aureum unum nobis nostrisque successori-

soribus, annis singulis persolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temere perturbare: aut ejus possessiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus inquietare: sed omnia integra conserventur: eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnibus profutura: Salva Diœcesani Episcopi Canonica Justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam infringere, aut sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove admonita se non satisfactione congrua emendaverit: Potestatis dignitatisque suæ honore careat, reamq; se divino judicio existere de perpetua iniquitate cognoscat: & à sacrosanctissimo Corpore & Sanguine Dei & Divini Redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat: atq; in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi: quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.

Inchoatum vero primum erat, hoc ipsum Cœnobium in pago Langenaw/ qui duobus lapidibus ab Ulmensi urbe abest, & ejusdem Reipublicæ S.P.Q. hodie paret, cujus etiam pagi Parochia & decimis fundatores primum Abbatem munifice donarunt. Translatum est autem à Mangoldi primi fundatoris filiis in Brentianam vallem: quod major ibi esset & lignorum & aquarum copia ac ubertas. Hæc translatio à Pont. Max. Eugenio III. anno Domini 1149. approbata & confirmata est. Catalogus ejus loci Abbatum, etsi acephalus & valde mancus sit: tamen talis à me collectus & consutus est ex variis monumentis & diplomatibus, quem antiquitatis studioso lectori non volui subtrahere. *Langenaw.*

Degenhardus, præfuit sub Pont. Max. Gregorio IX. Anno videlicet 1231. quo donatus legitur à Sibothone Augustano Episcopo, Parochiali Ecclesia in Heldelfingen, ne Cœnobium miserè tum ad extremam inopiam redactum, prorsus corrueret. *Catalogus Abbatum Monasterii Ahus.*

Waltherus præfuit anno 1291. quo donatus est duobus agri jugeribus à Sifrido Morhardo in Nawe ejusq; conjuge Wyba.

Conradus præfuit anno Domini 1312. & adhuc anno 1327. quo consequutus est Jus patronatus in vicina villa Tettingen à Friderico abbate in Lorch.

Henricus de Werde præsedit Abbatiæ huic, An. Christi 1336.

Henricus de Gabelnbach præfuit anno 1353. Eo enim anno donatus est ab Imperatore Carolo IV. jure patronatus Ecclesiæ S. Crucis, quæ fuit in civitate Ulmensi. Hæc donatio postea à Ruperto Imperatore confirmata est anno 1401. Præfuit verò anno etiam 1359. Sepelitur in Capitulari domo. Aliud de his Abbatibus extat nihil.

Nicolaus Abbas, Ahusio Brentiano præfuit anno 1410. seditq; ad Abbatiæ clavum utiliter ad annum usq; Domini 1446. quo legitur ex hac vita ad aliam meliorem emigrasse.

Georgius à Sundtheim, successit Nicolao. Præfuit adhuc anno Domini 1465. sed adeò non utiliter, ut exauthoraretur & nullus postea assumeretur Abbas, nobilitate generis conspicuus. Habet Cœnobii hujus templum, sublimem & quinq; concameratis sursumq; se invicem consequentibus testudinibus pulchre intus, ad summitatem usq; exornatam turrim, in cujus suprema parte, amœnissima est habitatio, quam isti Georgio Abbati quasi incarcerato ita adornatam fuisse, vulgus accolarum affirmat.

Martinus Georgio subrogatus est, sed quo anno, id incertum est. Præfuit tamen anno Domini 1469. & anno 1472. resignavit, tandemq; Eichenbrunnensis adhuc Monasterii Abbas factus esse legitur.

Abus. incendio vastatum.

Ulricus Martino successit: præsedit anno salutis 1475. & sequente. Fuerunt hujus Cœnobii res sub his Abbatibus admodum angustæ & tenues: erat enim totum Cœnobium incendiis extremè vastatum, in bello civili, quod vulgo Civitatense vocant: eò quod sub Bavariæ Principum tuitione esset, quibus cum bellum erat civitatibus imperii.

Restauratum.

Jacobus Legerlinus ex Abbate Echabrunnensi Ahusianus designatus permutatione facta cum Martino: præfuit anno Domini

mini 1478. ad annum usq; 1501. quo Abbatiam Friderico Augustano Episcopo resignavit, cum magnam Cœnobii partem post incinerationem præclare instauraſſet & pristinæ dignitati restituisset. Humatus est in templo laicorum ante aram S. Crucis.

Joannes Weydenkrantzius ex vicino oppido Heydenheimensi oriundus, ad Abbatiæ gubernationem susciendam invitus adigitur & compellitur à Friderico Episcopo, anno 1501. octava Iduum Februarii. Præfuit laudabiliter & utiliter 16. annis, insignis paterfamilias, & Cœnobii sui variis structurarum generibus illustrator maximus. Obiit anno Christianæ salutis 1517. Sepelitur ante chorum ad sinistram.

Joannes Mannius ex Langenaw S. P. Q. Ulmensis amplissimo pago natus: de quo extat in epitaphio alioqui rudi talis versiculus:

Sorte pater, sed corde favente per omnia frater.

Succeſſit Weydenkrantzio. Præfuit annis quinq;. Obiit 17. Kalend. Maji, anno Christi 1522. Sepelitur in ambitu, ante domum Capitularem.

Joannes Agricola ex Gersteten Alpestri pago natus, ut nomine & patria ita re ipsa etiam verè rusticus: nam literarum & literatorum maximus osor fuisse dicitur, qui suis etiam juvenibus nec pædagogum alere, nec quicquam librorum emere unquam voluit. Eligitur anno 1522. Præfuit annis 20. penè. Et cum à duce Wirtenbergensi Ulrico expellerentur è Cœnobiis Monachi, uxorem ipse duxit, qua cum, ad finem usque mortalis vitæ suæ in Bolheimensi vicino pago inter agrestes & sui similes homines vixit, in cujus parochiali templo humatus est. Habetur tale epitaphion, quod ei superstiti adhuc & tunc temporis adhuc amico fecerat Andreas Thierlerus Abbas Elchingensis præclare doctus. *Abbas literatorũ hostis.*

Cujus ibi corpus tegitur, Venerabilis Abbas
Dictus Joannes Rusticus ecce fuit.
E Gerstet genitus, sed utrisq; parentibus orbum
In Gussenstat Avus fovit amandus eum:

Pro quo præteriens dicat pietatis amore,
Ut DEUS æternam donet ei requiem.

Vacavit aliquot annis Cœnobium & eo superstite & tandem etiam sublato, ad finem usque belli Germanici, in quo laudatissimus Imperator Divus Carolus V. victor, Monasterium à Duce Wirtembergensi violenter occupatum, pristino juri restituit.

Onofrius Schadutzius ex Burgow Austriacæ domus oppidulo Suevico natus, professus prius Ahusanus, sed post religionis in Ducatu Wirtembergensi immutationem Augustam translatus, ubi apud S. Ulricum postea Monasticen professus est, vir omninò obæso corpore, ingenii verò & animi bonis non vulgaribus insignitus: Eligitur, non quidem à Conventu (nam is totus partim obierat mortem, partim verò Monasticæ professionis veste abjecta, ad alia sese studia contulerat) sed ab Abbatibus, Jacobo Coplinio Ulrichiano, Joachimo Fendio Thierhauptensi, Thoma S. Crucis in Donawerda, à Præposito item S. Georgii Augustano Jacobo Saliceto, & à summi templi Augustensis Clero, in ipso Januario anni Christianorum 1548. Is Monasterii sedulus instaurator, hoc adhuc præsidet currente Jubilæo: in cujus gratiam de ejusdem Cœnobii origine, tale nuper lusi Idyllion Heroicum.

Has Benedictinas Mangoldus condidit ædes
Cum natis Ulrico, Alberto & Præsule sacro
Urbs Augusta tuo, Gvalteri nomen habente.
Condidit has, inter sylvas & flumen amœnum:
Ut coleretur ibi Majestas inclyta cœli,
Et pater & gnatus & procedens ab utroq;
Spiritus, ipse DEUS cœlestis, Trinus & Unus.
Condidit has Celestino sub Præsule summo
Roma tuo, qui libertatibus auxit easdem
Pluribus: Undecimum cum seclum à Virginis almæ
Salvifico partu jam præteriisset, & ipsum
In cursu Quintum Lustrum foret, Efferus ignis
Has tandem vastavit, & hostis plurimus. At quod
Nunc instauratas præclare cernis easdem:

Hos

Hoc Jano Salicum de ſerto nomen habenti
Te debere ſcias ſpectator, Onofrio & ipſi,
Qui poſt Teutonici clademq́, & funera belli
Sic reparavit eas primus: collegit & iſta
Rurſus in æde Scholam, in qua virtus Relligioq́.
Et probitas plantaretur morumq́, bonorum
Integritas omnis. Hæc te neſcire Viator
Nolebam, tu rurſus abi, quo te via ducit.

Non procul ab hoc Benedictino Monaſterio, eſt ad eundem fluviolum aliud Auguſtanæ Diœceſeos, ſed ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini Cœnobium HEERBRECHTINGUM, aut ut hodie vocant Heerbertingen. Id in honorem S. Dionyſii fundatur anno Domini 1144. à potentiſſ. Suevorum Principe Friderico Barbaroſſa, qui tandem ad Imperii culmen ac dignitatem evectus eſt. In ejusdem Cœnobii elegantiſſimo templo, S. Pharaonis Epiſcopi & confeſſoris cujusdam, de quo nihil tamen aliud in literas relatum invenio, corpus humo mandatum quieſcere dicitur, quod à juvencis huc tractum & avectum ajunt, ad fontem usque Cœnobii, qui hac adhuc ætate Pharaonis puteus à Cœnobitis dici ſolet. Habuith oc Cœnobium ſemper ad hæc noſtra usque tempora gubernatores Præpoſitos, quorum talis extat etſi non omnino integer catalogus. *Heerbertingenſe Cœnobiũ.*

1. *Amandus.*
2. *Rapatho.*
3. *Bertholdus.* Huic Fridericus II. Neapolitanus ille, & Barbaroſſæ nepos Imp. Rom. dedit tutorem Godefridum de Wolfach.
4. *Martinus.*
5. *Jodocus.*
6. *Bertholdus II.* præfuit anno 1220. ſub P. M. Honorio IV.
7. *Conradus*, præfuit anno 1283. & ſequenti, ſub Imp. Rodolpho Habſpurgio.
8. *Bertholdus III.* præfuit anno Domini 1327. quo Theodori-

Præpoſitorum Cœnobii Heerbertingenſis, catalogus.

doricus de Althaim cum conjuge Adelheide bona quædam tradidit Monasterio. Emit iste Præpositus Jus patronatus Ecclesiæ Stotzingensis (quod oppidum Sueviæ est) anno 1329.

Stotzingum.

9. *Ulricus de Plintheim* præfuit anno Domini 1347. quo ex imis fundamentis novum murum, per totum Cœnobii circuitum, cum porta occidentali construxit.

10. *Eberhardus* præfuit anno Domini 1349. Huic Imp. Carolus IV. cum Archiepiscopi Moguntini consensu Parochiam dedit oppidi Giengensis in ea ipsa vicinia ad Brentium amnem siti, anno Christi 1348.

Parochia Giengensis.

11. *Henricus* præfuit anno 1369.

12. *Ulricus II.* præsedit anno 1407. sub Eberhardo Episcopo Augustano. Is totum Cœnobium renovavit anno 1410.

13. *Joannes* præfuit anno salutis 1420. quo fundata est prædicatura in vicino oppido Imperiali Giengen dicto, à Magistro Joanne de Riedlingen, Medico & Physico Noribergensi.

Prædicatura Giengensis.

14. *Henricus Hitzlerus*, ex Mergelsteten oriundus: præfuit anno Domini 1438. Decessit ex hac vita mortali An. 1466. mense Julio. Sub ejus gubernatione S.P.Q. Giengensis incendit & spoliavit Cœnobium Heerbrechtingense, in ipso Civili bello, quod exarserat anno Domini 1450. & præcedenti inter Civitates ex una, & Duces Imperii ex altera parte. Giengenses à Papa Nicolao V. anno pontificatus sui 4. hoc est, anno 1451. Romam citati sunt. Res transacta tandem est anno 1453. à Ludovico Palatino Rheni & ejus Consiliariis Nicolao Abbate Cæsariensi, Ulrico Comite de Helffenstein, Ulrico de Alto-Rechberg, Gulielmo Truchtlingero & aliis.

15. *Georgius Piscatorius* successit Henrico, quarta Augusti, anno Christi 1466. Quamdiu præfuerit, aut quis ei successerit: non invenio.

16. *Magnus Ammonius*, patria Giengensis, præfuit adhuc anno Domini 1520. quo per Reverendos ac egregios viros, Michaëlem Ulmensem, & Wolfgangum Augustanum præpositum reformatum legitur Monasterium istud Heerbrechtingense.

17. *Pan-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

17. *Pantaleon Keſslerus*, patria Gislingenſis, præfuit annis 15. Obiit anno 1535.

18. *Valentinus Peyhardus* ex Laugingiaco natus, ſucceſſit Pantaleoni. Præfuit per menſes circiter octodecim. Sub eo occupatum eſt Cœnobium ab Ulrico Duce Wirtembergenſi. Abbas abjecta veſte & profeſſione Monaſtica uxorem duxit Annam Doctoris Nicolai Mayeri vel Marii Jurisconſulti & Ducalis Cancellarii filiam, quâ cum hodie adhuc vivit in vicino pago Heerbrechtingenſi, pater quatuor liberorum.

19. *Rulandus Mercator*, ex Roſshaupten Danubiano pago natus, ejectus ex Monaſterio erat cum aliis Cœnobitis anno 1536. Factus Parochus Sundthofenſis pagi in Algovia ſiti. Unde iterum pulſus in bello Germanico, Caroli V. Imp. caſtra ſequutus, Rochlitzii in Miſnia captus, paulo ſq; poſt manumiſſus: tandem à Cæſare adiutus Monaſterium ſuum feliciter recuperavit, cujus Præpoſitus deſignatus eſt anno Domini 1548. Præſidet hoc adhuc currente Jubilæo, vir literarum & literatorum omnium amantiſſimus. Is novum dormitorium conſtruxit elegans ac magnificum, cui hoc Idyllion inſcribi curavit.

Cum numerarentur poſt natum ſecula Chriſtum
Quinq; decemq;, & ſex cum luſtris inſuper annus
Unius &: ejecta eſt ex æde Monaſtica turba
Heerbrechtingenſi hac, Ulrico à Principe terra
Wirtemberga tuo. Nam cum nova Schiſmata rurſus
Inſurrexiſſent, Monachorum tota caterva
Facta invisa fuit prorſus plebiq; ducique.
Suſcipientibus at ſenibus nova dogmata, ſoli
Se ſubduxerunt juvenes tres, Relligionis
Acceptæ à patribus priſcis ſtudioſi & amantes
Rulandus Mercator. Jannes Ruffius atq;
Martinus Steynerus Dillingenſibus orti
Patribus: hi templis mox ſervivere Deoq;
Vicina in terra, donec ſe Carolus hujus
Nominis & Tituli Quintus, Germanica contra
Agmina defendens, evaſit Victor ad Iſtrum

Brulchij
Chronolog.
Monaſterii
rua Germa
S. M
I

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Atq; Lycum. Tunc Augustanæ in mœnibus Urbis
Imperii Cæsar dum Sacra negotia tractat:
Præpositum legere inter se, qui prius isti
Excessere loco, Rulandum. Hunc Carolus omni
Tantopere adjuvit virtute & dexteritate,
Tamq; diu, donec Ulricus singula Princeps
Redderet hæc, alienarat quæ aliquando, & in usus
Transtulerat proprios seclares atq; prophanos.
Sic demum Rulandus amans Pietatis & Artis
Canonicorum iterum cœtum collegit honestum:
Instauransq; Lares in multis partibus istos,
Hanc fundamentis ex imis condidit ædem
Quam coram cernis. Tu quisquis es (oro) Viator
Læta precare viro humano, patriq; verendo.

Alba Augia Brigantina.

ALBA AUGIA BRIGANTINA, sive Monasterium Brigantinum; quod vulgo Majorem Augiam, Germanicè die Mererow appellant, ac vetustius aliqui esse censent, quam est Abbatia Sangallensis: eo quòd S. Galli adhuc non procul inde monstretur Oratorium, Sacellum videlicet omnino humile & exiguum, in montanis supra Bregantum situm, & ante pauculos annos à Brigantini oppidi cive quodam, & Imperatorio Capitaneo Joanne Schnabelio renovatum: ubi visuntur nostra adhuc ætate cavernæ scopulis inciſæ, in quibus cubasse Venerandus senex dicitur, quas ipse & vidi & contrectavi. Id inquam Brigantinum Monasterium, ad Bregantii amnis in Lacum Acronium incursum amœnissimo loco situm, olim & Monachorum & Monialium Cœnobium, nunc verò abolitis Monialibus Monachorum saltem D. Benedicti institutum profitentium Abbatia insignis & opulenta, fundata (ut nunc est) legitur anno Christi 1098. ab Udalrico Rhetorum & Bregantiæ nobilissimo Comite, avo videlicet nobilissimi Comitis Rudolphi à Pfullendorff. Dedicatum est templum, egregiè absolutum, ab Ulrico Constantiensi Episcopo, Comite à Dillingen. Tunc temporis Rudolphus ille à Pfullendorff ita liberaliter dotavit

Udalricus Comes fundator.

Augiam

Augiam Brigantinam anno Christi 1102. ut à Cœnobitis hodie adhuc secundus ejus fundator prædicetur: is Comitatum Bregantinum à matre sua Domina Elisabetha hæreditario jure acquisivit, & advocatiam Curiensis Rhetiæ feudo etiam obtinuit ita, ut omnium circumjacentis terræ Regulorum longe esset opulentissimus. Fundatoris Udalrici conjunx Bertha, filia fuit Rudolphi Rheinfeldiæ Comitis ac Suevorum Ducis, Romanorum Regis, ejus videlicet, qui in Saxonia bellum contra Imp. Henricum quartum gerens, occubuit Morsenburgi in Thuringia. Hæc liberalissima hujus Cœnobii fuit benefactrix, ac in eo cubare creditur. Sunt enim ibi in ipsa Beatorum Petri ac Pauli Basilica Augiensi, duo maxima ac augustissima sepulchra, sed qui aut quales ibi cubent, ne ipsi quidem ejus loci Cœnobitæ norunt. Sunt enim tumuli sine inscriptionibus, sed tamen ampliſſimi, & è solido marmore facti, nullis etiam Spirensis templi Imperatoriis monumentis cessuri. Benefecerunt huic Cœnobio Comites Montis Fortis, Domini Bregantiæ: quorum ibi in D. Virginis Sacello magnificum etiam mausolæum conspicitur, cum gentis insignibus appictis & insculptis. Rudolphus Udalrici fundatoris filius à Beato Presbytero Marbodone admonitus, dedit Monasterio Alberschwendam Parochiam nemoris Bregantini præpotentem cum omnibus ad eam pertinentibus juribus, prædiis ac bonis. Abbates ejus loci fuere hi, quos ex martyrologio loci excerpsi ipse, sine annorum gubernationis certo numero.

Bertha, Udalrici conjux.

Alberschwenda.

Abbatum catalogus.

1. *Mengosus.*
2. *Gernodus.*
3. *Schwiggerus.*
4. *Meinhardus.*
5. *Diethmarus.*
6. *Arnoldus.*
7. *Marquardus.*
8. *Hermannus.*
9. *Gebhardus.*
10. *Dietericus.*
11. *Antonius.*
12. *Burcardus.*
13. *Bertholdus.*
14. *Ulricus.*
15. *Conradus.*
16. *Albertus.*
17. *Henricus.*
18. *Udalricus.*
19. *Theodericus.*
20. *Rodulphus.*

21. *Andreas* interfuit Concilio Constantiensi.

22. *Jodocus Cellarius*, qui præfuit anno 1422. Et est testis fundatæ Cervorum Vallis vicini Monasterioli. Decessit ex hac vita anno 1437.

23. *Henricus Hentzius* præfuit 25. annis, & decessit anno Domini 1462.

24. *Albertus* obiit anno 1470. cum præfuisset annis 8.

25. *Joannes Gruel* obiit anno 1472.

26. *Joannes Eltzius* præfuit triginta annis, & cum propter ingravescens senium inutilis esset gubernator, amotus est anno 1502.

27. *Georgius Magirus* Constantiensis præfuit annis octo. Obiit anno 1510.

28. *Gaspar Haberstrohe* Bregantinus præfuit annis undecim. Valedixit huic vitæ mortali anno redemti orbis 1521.

29. *Joannes Schobloch* Brigantinus, præfuit annis 12. & obiit anno 1533. Incepit egregie reædificare penè collapsum Monasterium: sed præventus morte, nihil eorum, quæ inchoarat, absolvit.

30. *Ulricus Moetz* Dorenburanus ex pago prope Amysium sito, eligitur anno Christi 1533. Egregie absolvit ea quæ inchoarat antecessor. Præest currente adhuc anno hoc 1550. optimus Oeconomus.

Talbachium. *Cervorũ Vallis.*

In hujus Monasterii vicinia ipso videlicet suburbio Brigantino est Dalbacense Cœnobiolum ad Talium rivum situm, in quo Moniales tertiæ Regulæ Franciscí habitant. Supra Bregantum ad ipsum memoris Brigantini initium sita est Cervorum Vallis, Cœnobium Monialium, Ordinis D. Dominici, ad aquas Bregantinas & Kendelbachium pagum. Id fundatum legitur S. Joanni Baptistæ ac laudabili S. Ursulæ societati, & inchoatum in ipso monte Cervorum anno Domini 1422. ab Hugone ac Stephano Comitibus de Monte Forti, Dominis Bregantii & Pfannenbergi, pro 23. piis fororculis Deo ibi servituris, quarum collectrix fuerat Elisabetha Simlerin Pfullendorffana, prima ejus loci Prioriſſa. Tactum est aliquoties fulmine, ac funditus deletum,

tum, cumq; peregrinator quidam fatidicus respondisset Deo placere, ut ex monte in adjacentem vallem transferretur: annuit & consensit Sigismundus Austriæ Dux munificus ejusdem instaurator ac benefactor. Translatum igitur est anno Domini 1264. & primus lapis inferioris Cœnobioli positus à Suffraganeo Constantiensi, Domino Ulrico Comite de Monte Forti, & à Domina Barbara Comitissa Amasiana, Jacobi Trappii Brigantini Præfecti conjuge. Præest ei nunc Apollonia Episcopa Kendelbacensis ab anno Christi 1532.

ALBA AUGIA Narisorum aut potius Norici, nostrate lingua **Weissenaw im Nordgew** / Cœnobium ordinis D. Benedicti ad Schwabachium amnem, quatuor lapidibus à Noriberga, in Diœcesi Bambergensi situm: fundatum legitur à Gebhardo Comite, ut aliquibus placet, de Hirsberg, aliis vero de Calovia vel Kalaw: hodie Kalb vocant, qui Aystetensis Ecclesiæ Episcopus, tandem post consanguineum suum Leonem nonum, Comitem à Dagsperg Alsatam, Romanus etiam Pontifex factus, Victor secundus cognominatus est. Cœpit autem Monasterium anno Domini 1053. sub Imperatore Henrico Nigro, quem Comitem quoq; Calowiensem sive Kalwensem è Suevia (ubi ad Nagoldum fluvium hodie adhuc in Wirtembergensi Ducatu, ejusdem nominis oppidum cum veteri arce, horum Comitum sede, extat) natum fuisse Annales referunt. Postea annum Christi circiter 1130. quasi postliminio renovatum & ampliatum est à S. Othone, octavo Bambergensis Ecclesiæ Episcopo, Pomeranorum Apostolo, cujus corpus Bambergæ in montis Monachorum Cœnobio à se liberaliter etiam donato, terræ mandatum est. Postremi hujus Cœnobii Abbates (de veteribus enim expiscari nihil potui) fuere, qui sequuntur breviter hoc loco annotati.

Alba Augia Nariscorum.

Heinricus Niger fundator.

S. Otho, Pomeranorum Apostolus.

1. *Henricus* præfuit annis sexaginta. Obiit anno Domini 1503.

2. *Eucharius Gotzman* de Buch præfuit octo annis. Obiit anno Domini 1511.

3. *Henricus Cellarius* de Bibrach præfuit annis 15. Obiit anno Domini 1526.

4. *Achazius ab Hirsheyd*, nobilis genere, succeſſit Henrico, & præeſt adhuc currente hoc Jubilæo. De reliquis Abbatibus nihil invenio prorſus, de quibus ne iſti quidem quicquam norunt, qui Monaſterium ſemilacerum nunc tenent.

Neunkirchium Monaſterium.

Abeſt ab hoc Cœnobio duobus brevibus miliaribus Canonicorum Regularium, Ordinis S. Auguſtini elegans Monaſterium Neunkirchium dictum, quod annum Chriſti circiter 1302. à Leopoldo ſacerdote & Epiſcopo, Comite de Grundlach, viceſimo Antiſtite Bambergenſis Eccleſiæ fundatum ac dotatum eſt, qui obiit anno Domini 1305. die 22. Auguſti, ſepeliturq; in hujus ſui Cœnobii loco Capitulari. Maximi hujus Monaſterii benefactores fuerunt Joannes Burggravius Noricorum, & Fridericus Marchio Brandenburgenſis: qui dederunt ejus loci Cœnobitis poteſtatem & copiam Sylvæ Noribergenſis. Abeſt verò Cœnobium à Noriberga tribus lapidibus. Habuit ſemper gubernatores Præpoſitos, quorum talis extat catalogus.

Præpoſiti Monaſterii Neunkirchenſis.

1. *Fridericus* obiit anno Domini 1334.
2. *Hermannus Strobelius* præfuit annis 26. Obiit an. 1360.
3. *Henricus* præfuit annis 13. Obiit anno 1373.
4. *Engelhardus* præfuit annis triginta. Obiit anno 1403.
5. *Wolframus Buckius* obiit anno 1418. cum præfuiſſet annis quindecim.
6. *Hermannus* ſedit annis octo. Obiit anno 1426.
7. *Udalricus* novem annis ad clavum ſedit. Obiit an. 1435.
8. *Erhardus* præfuit viginti annis. Obiit anno 1455.
9. *Jacobus* 10. annis præfuit. Obiit anno 1465.
10. *Joannes Mayer* præfuit 16. annis. Obiit anno 1481.
11. *Joannes Seckel* per triennium ſedit. Obiit anno 1484.
12. *Conradus Teugell.*
13. *Martinus* obiit anno 1515.
14. *Henricus Wurffpein* præfuit annis undecim. Obiit anno 1526.
15. *Wolffgangus Starck* ex Bamberga natus, annis novem ſedit. Obiit anno 1535.

16. *Fri-*

16. *Fridericus Winckelman* ex Neunkirchio natus, obiit anno 1546. cum præfuisset 11. annis, egregia corporis statura præditus, mire robustus, latine mediocriter doctus, egregius Monasterii illustrator & reædificator.

17. *Augustinus Crispus* ex Forchenheimio natus, eligitur anno 1546. Præest adhuc currente hoc Jubilæo.

❁ ❁ ❁

Alba Augia.

ALBA AUGIA Sueviæ, hoc est, Album pratum, sive ut alii vocant, minor Augia, vulgo die Minderow: sedes olim piorum aliquot Eremitarum, nunc verò instituti Præmonstratensis magnificum Monasterium propè Ravenspurgum oppidum Imperiale ad Schussium fluviolum duobus miliaribus inde in Acronium Lacum incidentem, situm: Fundatum est anno Christi 990. aut ut alii volunt (quod de collapsi aliquando Monasterii reparatione potius intelligendum arbitror) an. 1145. à Gebizone de Wysemburg, opulentissimo milite & Equite Aurato, ejusq; sorore Loicarde, Henrici militis ex Asenhusen conjuge. Sic enim habent ejus Cœnobii annales. *Gebwilerus* hunc Gebizonem Habspurgensem Comitem fuisse affirmat, & tres ei filios assignat: Rapatonem conditorem Arcis Ergovianæ Habspurg dictæ, quæ ad veterem Vindonissam, seu prope Bruggum Bernatium oppidum, non procul à confluxu Limagi, Araris, ac Rusæ in sublimi monte sita est. Rudolphum item ac Berengarium Argentinensem Episcopum, quem Argentinenses annales Wernharium secundum appellant, & cujus subsidiis ac sumtibus Habspurgum Ergoviæ Arx extructa & condita est. Erat initio utriusq; sexus Cœnobium, ut cætera ferè Præmonstratensia omnia: sed successu temporis propter vitanda scandala Monialium locus Messenthal dictus ejectis fœminabus, abrogatus & vel eversus vel in alios usus collocatus est. Legitur autem idem Monasterium postea, anno Christi 1282. à Rodolpho Habspurgio Romanorum Imperatore, ejusq; conjuge, Domina Anna Comitissa Hohenburgensi (quæ Basileæ in summo templo quiescit) ita esse auctum ac locupletatum, ut Rudolphus iste secundus fundator, Domina Anna secunda fundatrix Minoris Augiæ

Gebizo Eques Auratus monasterii fundator.

Habspurgum.

Rudolphus Impe-

Brulatij
Chronologia Monasterij
S. III

rator restaurator.

giæ perhibeantur. Contulit ad ejusdem ampliationem plurima Henricus Saxoniæ ac Bavariæ Dux, Superbus cognominatus, circa annum Christi 1152. Ortolphus nobilis miles de Wysenburg, dedit eidem Augiæ minori prædia quædam anno 1156. Welpho sextus, nobilis Dux de Altdorff, dedit pagum Vitishofensem anno 1180. Habentur pro magnis etiam ejusdem Cœnobii benefactoribus, Welpho septimus, Dux Spoleti & Sardiniæ Princeps: Henricus sextus item Rom. Rex anno 1206. Philippus item Suevorum Dux & Romanorum Rex, qui anno Domini 1197. huic Monasterio Ecclesiam S. Christinæ, Arci Ravenspurgensi penè contiguam & in apice montis sitam dono dedit. Hujus Monasterii Præpositi & Abbates à prima fundatione, aut potius reparatione ad hæc nostra usq; tempora hi recensentur, Capitulari ejus Cœnobii loco appicti.

Præpositi Monasterii Augiæ minoris.

1. *Hermannus* primus Præpositus eligitur anno Gratiæ per Christum reparatæ 1145. Præfuit annis 30. Obiit A. Christi 1175.

2. *Ortolphus* nobilis miles à Wysemberg eligitur an. 1175. Præfuit annis quinq; laudabiliter, & volens gubernationem resignat anno 1180.

3. *Albertus* eligitur anno 1180. Præfuit tribus annis, & resignat.

Schussenrietum.

4. *Udalricus de Thann*, ejus familiæ quæ nunc Dapiferorum à Waldburg est. Eligitur anno Christi 1183. Præfuit annis 8. & resignat. Sub eo fundatur Schussenrietum.

5. *Ortolphus* superior ille iterum repetitur ad Præposituræ gubernationem, anno Christi 1191. cui cum iterum summa cum laude præfuisset annis duodecim, mortuus est pie in ejus confessione, qui est via ad æternitatem, & vita, salus ac resurrectio nostra.

6. *Conradus* eligitur anno 1203. Præfuit annis 14. & resignavit.

7. *Udalricus* eligitur año 1217. Præfuit & profuit annis 20. & resignat.

8. *Hermannus* eligitur anno 1237. Præfuit 20. annis, & abdicavit se volens Magistratu ac Præposituræ gubernatione.

9. *Hen-*

9. *Henricus* ultimus Præpositus, & primus Abbas (Pontificalia enim ornamenta impetravit à Clemente IV. P.M.) eligitur anno 1257. Præfuit annis novem, & resignat Præposituram. Hunc qui sequuntur, sunt omnes Abbates.

10. *Waltherus* eligitur anno 1266. Præfuit annis 4.

11. *Henricus* eligitur anno 1270. Præfuit novem annis.

12. *Henricus de Anckenrut* eligitur anno 1279. Præfuit 5. annis, & resignat.

13. *Henricus* eligitur anno 1284. Præfuit annis decem.

14. *Rudolphus* eligitur anno 1294. Præfuit tribus annis.

15. *Joannes* eligitur anno 1297. Præfuit annis sex.

16. *Wernherus* eligitur anno 1303. Præfuit annis quinq;.

17. *Joannes* eligitur anno Domini 1308. Præfuit annis 42. & monasterio suo diligenti Oeconomiæ gubernatione plurimum profuit, idq; ampliſſime ditavit.

18. *Burcardus Holbinus* eligitur anno 1350. Præfuit novem annis.

19. *Henricus* eligitur anno 1359. Præfuit octo annis.

20. *Wernherus Ruth* Constantiensis eligitur anno 1367. Præfuit annis 24.

21. *Rudolphus de Kupferbergo* eligitur anno 1391. Præfuit 5. annis & resignat.

22. *Gerungus Churwaldensis* eligitur anno 1396. Præfuit annis viginti septem, & resignat gubernaculum. Interfuit Constantiensi Synodo.

23. *Joannes Fuchs* ex Martorffo Constantiensis Antistitis oppido natus, eligitur anno 1423. Præfuit utiliter & feliciter annis 47. Habuit duos Germanos fratres, alterum Abbatem Schussenrietensem, alterum Præpositum Waldseehensem.

24. *Nicolaus Hugelinus* Buchornanus eligitur anno 1470. Præfuit annis 4.

25. *Joannes Sagittarius* ex Alendorffo Baronum Kinsegkensium oppidulo natus, eligitur anno Christi 1474. Præfuit annis novem.

Brutschij
Chronolog. de Monasterio rum Germa. S. IM.
I

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

26. *Joannes Geslerus* patria Ravenſpurgenſis, eligitur anno Domini 1483. Præfuit annis duodecim, & gubernaculum alteri reſignavit.

27. *Joannes Villicus* de Umendorffo, eligitur anno 1495. Præfuit annis 28.

28. *Jacobus Murarius* Conſtantienſis, eligitur anno Chriſti 1523. Præfuit annis decem, & obiit anno Domini 1533.

29. *Udalricus Ephippiarius* vir ſtatura procerus ex Ravenſpurgo natus, eligitur anno 1533. Præfuit ad annum Chriſti usque 1549. quo gubernationem alteri cuidam Cœnobitæ ſuo reſignans, ipſe in Imperiale oppidum Buchornenſe conceſſit, ubi mediocri penſione contentus reliquum vitæ ocio & quieti impendit, præſidentibus Imperio Romano & Germanico Divis Carolo V. ac Ferdinando fratribus.

30. *Andreas Rietman* patria Ulmenſis ſucceſſit Ulrico, qui hoc adhuc currente Jubilæo præſidet fœliciter ac uti ſui ordinis hominem decet.

❁ ❁ ❁

Album Caſtrum. ALBUM CASTRUM vel Weiſſenburgum, Weiſſenburg/ Monaſterium inſtituti Benedictini, unum ex Germ. omnibus antiquiſſimũ ac potentiſſimũ, una item ex quatuor illis ſacri Romani Imperii Abbatiis, ducali dignitate conſpicuis, Fuldenſis, Campidonenſis, ac Murbacenſis Abbatiarum in hac fœlicitate conſors ac ſocia: id inquam ampliſſimum Cœnobium in media Alſatia ad montana Voſagi, & in ejusdem nominis Imperiali oppido, ad amnem Lutharum, qui mediam civitatem perfluit, amœniſſimo loco ſitum, Spirenſis Diœceſeos, quod alibi Witzenburgum quaſi ſapientiæ Caſtrum dicitur, quod nomen Scholæ & Academiæ tali pulchre convenit: Fundatum ac inchoatum legitur anno 623. dotatum verò & auctum anno Chriſti 664.

Dagoberti filia fundatrix. à Dagoberto potentiſſimo Galliarum Rege, cujus filia Domina Irmina, prima fundatrix & Abbatiſſa Horrei Treverenſis, in ſiniſtra Weiſſenburgenſis ſumi templi abſide, ſublimi & magnifico Mauſolæo (in cujus ſummitatem Clerus ejus loci circa Paraſceves feſtum corpus Dominicum collocare ſolet) depoſita, ac terræ

terræ omnium parenti reddita est. Dedicatum est S. Petro Apostolorum, & Stephano Martyrum principibus. Diploma primæ fundationis integrum extat in Chronicis *Joannis Trithemii*, Spanheimensis Abbatis, de Regum Galliæ origine & rebus gestis inscriptis: & in novo Cosmographico opere *D. Sebastiani Munsteri*. Catalogus ejus loci Abbatum partim à Reverendissimo Principe, Domino Philippo Flersheymio Spirensi Episcopo doctissimo mihi communicatus, partim à me ipso Weissenburgi collectus, talis est, etsi is initio perturbatus ac mendosus esse videatur. *Abbates.*

1. *Principius*, Abbas & Episcopus Spirensis, sed utri dignitati prius præfectus, incertum: ego ex Abbate Episcopum factum existimo: dedit ei Abbati Dagobertus Rex exemtionis ab omni jugo Episcopali & aliarum plurimarum libertatum privilegia.

2. *Cheodonius.*

3. *Radefridus.* Huic Badenses Thermæ concessæ esse leguntur. *Thermæ Badenses.*

4. *Ebrwaldus.*

5. *Instulphus* Abbas aliquot annorum, & tandem Episcopus, sed cujus loci, id incertum est. Quidam catalogi Moguntino Episcopatui eum præfuisse, & Haistulphum esse ajunt, qui obiit Moguntiæ anno 825. Sed cum numeri annorum non correspondeant, aut hunc catalogum mendosum esse necesse est, aut Moguntino Episcopatui Instulphum hunc non præfuisse. Judicium sit penes lectorem.

6. *Astrammus.*

7. *Gerbertus.*

8. *Ehrimbertus*, vel Erembrechus Abbas, & tandem Wormatiensis Episcopus, ubi præfuit anno 798. Hic iterum catalogum hunc mendosum & perturbatum esse judico, in quo nihil tamen temere mutare volui.

9. *Dragebodo* Abbas Weissenburgensis, tandem Episcopus Spirensis designatus anno Domini 678.

10. *Charialdus.*

11. *Bernhardus*, alibi Wernharius, ex Abbate tandem Wormatiensis Ecclesiæ antistes.

12. *David* anno 767. ex Abbate Spirensis Episcopus designatur à superstite adhuc Pipino Rege.

13. *Wielandus*.

14. *Odgerus* vel Odogarius Abbas, & Episcopus Moguntinus anno 844.

15. *Grinaldus*: obtinuit restitutionem balnei Badensis sub Rege Ludovico anno Domini 871. Calendarum Junij 15.

16. *Volcoldus* Abbas & Episcopus, sed cujus loci Episcopus, non invenio.

17. *Gerbochus*.

18. *Voltwicus*, alibi Volcwicus, designatur Episcopus tandem Ecclesiæ Vangionum.

19. *Mimoldus*.

20. *Adelhardus*, aliis Geylo. Obiit 12. Calend. Octobr.

21. *Gerrichus* præfuit annis 8. Obiit Idibus Maij.

22. *Ercambius* 3. annis sedit ad clavum Abbatiæ Weissenburgensis. Obiit 3. Id Febr. sed quo anno, id non invenio. Nihil enim de his Abbatibus primis aliud scriptum reperi, quorum seriem etiam ac successionem (ut dixi) aliquid erroris habere non dubito. Quæ sequuntur vero de successoribus horum, certa esse non est quod quisquam ambigat.

23. *Adalbertus* Monachus primum Treveri ad S. Maximinum fuit, ex quo Cœnobio evocatus sanctus Dei vir ab Imperatore Othone Magno ad convertendos in viam Christianæ veritatis Rhuthenos, annum Domini circiter 954. cum vix eorum manus evasisset, ab eodem Othone primo Weissenburgensi Abbatiæ præfectus est. Ubi cum pie ac fideliter præfuisset annis 15. evocatus est iterum ab eodem Imperatore Othone ad gubernationem recens à se instituti ac fundati Archiepiscopatus Magdeburgensis annum Domini circiter 970. ubi *Alberto Crantzio* Saxonicarum rerum scriptore diligentissimo teste, 12. annis summa cum laude, & cum magno bonorum operum fructu præfuit, strenueque Pontificatum (qui omnium Vandalicarum

carum Ecclesiarum caput erat) administravit, multosq; Vandalorum populos prædicando Christo lucratus est. Obiit is anno Christi 981. XII. Calendarum Julij.

24. *Sanderadus* successit Adalberto ad Archiepiscopatum Magdenburgensem evocato, anno 970. Præfuit annis 15. Accidit sub hujus gubernatione, ut Dux quidam Otho, Conradi Ducis filius, Cœnobium Weissenburgense invaderet, diriperet & exureret anno 985. & Abbate Sanderado expulso Gisillarium quendam Monasterio tandem præficeret. At quis ille Dux fuerit, nusquam reperio.

25. *Gisillarius* vel Giselharius intruditur anno 985. præsidet fideliter 14 annis. Celebratur exusti & ad extremam inopiam redacti Monasterii, tenacissima vivendi ratione, & diligentissima Oeconomiæ gubernatione instaurator & quasi secundus fundator. Obiit 16. Calendarum Novembrium anni à nato Christo 989. *Restaurator.*

26. *Gerrichus* eligitur anno Christi 989. præfuit annis 12. reddidit Abbatiam anno 1001. in manus & potestatem eorum, à quibus eandem prius acceperat. Obiit 2. Nonarum Julii.

27. *Sigebodo* constituitur unanimi consensu Gerrichi antecessoris ac Conventualium in Abbatem. Præfuit per annum saltem unum. Obiit Anno 1002.

28. *Luithardus* successit Sigebodoni. Præfuit annis 30. Construxit Collegiatam Ecclesiam S. Stephani in ejusdem nominis monte, civitati Weissenburgensi vicino, quæ in seditione Rusticorum Anno 1525. à furente plebe Landoviana lacerata iterum, & solotenus penè vastata est. Sub hujus Abbatis gubernatione Monasterium combustum est anno Domini 1004. Obiit Calendis Novembribus anni 1032.

29. *Volmarus* præfuit annis 12. Obiit anno 1043. secundo Idus Maij.

30. *Arnoldus* eligitur anno 1043. præfuit Abbatiæ annis 12. Constituitur Episcopus Spirensis anno 1051. præfuit annis 4. Emigravit ex hac lachrymarum valle sexta Nonarum Octobrium anni à nato Christo 1055.

Bruchij
Chronolog.
Monasterii
rum Germa
S. III

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

31. *Samuel* præficitur Abbatiæ post evocatum ex mortali vita Abbatem & Episcopum Arnoldum. Præfuit annis 42. Est fundator quatuor Turrium, præposituræ in monte sitæ, & funditus deletæ in seditione Rustica, cum D. Pauli etiam, ac S. Germani Cœnobiis in Sickingensi bello circa annum Domini 1520. eversis ac vastatis. Obiit 6. Iduum Maii, anno Christi 1097.

Quatuor turrium præpositura Weissenburgensis.

32. *Stephanus* obiit 10. Calend. Aprilis.

33. *Menigandus* obiit 5. Cal. Decembr.

34. *Udalricus* obiit in Calendis Maij.

35. *Werinherus* obiit 10. Cal. Maij.

36. *Ernestus* obiit 2. Nonarum Julii.

37. *Benedictus* obiit 12. Calend. Septembr. Sedit ad Abbatiæ gubernaculum annis 10.

38. *Engiscalcus* præfuit annis 23. Obiit quinto Iduum Septembris.

39. *Gundelacus*, alibi Gundericus, præfuit 20. annis. Obiit 4. Iduum Martii. Repertæ sunt literæ cum ejus sigillo, datæ anno Domini 1182. Aliud enim de his Abbatibus nihil extat in literas relatum. In Gunderici tamen hujus tumulo hoc repperi Octostichon, cujus ipsum Abbatem authorem fuisse credibile est.

Lector siste gradus, hominum quoq; discito casus.
Nam quod es fueram, sumq; quod ipse fies.
Gundricus fui dictus, dum corpore vixi,
Abbas & Monachus, heu merito alterius
Quisq; forem studiis, nunc hic alibiq; videbis:
Nescio quo penset hæc Deus omnipotens.
Unde mei posco miserans miserere precatu,
Ut merear veniam, & in requie maneam.

40. *Godefridus* præfuit annis octo.

41. *Walramus*, alibi *Wolframus*, sedit ad clauum cœnobii annis 27. sub Conrado Spirensi Episcopo. Vixit anno Domini 1207. Et anno 1224. obiit 5. Iduum Julii.

42. *Chuno* præfuit 26. annis. Obiit 2. Calend. Septembrium anni 1248.

43. *Conradus* præfuit annis tribus. Obiit 9. Calendarum Septembrium anni 1251.

44. *Fri-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

44. *Fridericus* succeſſit Conrado mortuo, præſedit Abbatiæ annis undecim. Obiit vero 16. Calend. Septemb. anni 1262. Incepit muros Weiſſenburgenſis oppidi. *Weiſſenburgum.*

45. *Edelinus*, aliis *Wendelinus*, etſi primum nomen verum nomen ſit: eligitur poſt defunctum Fridericum. Præfuit annis 30. Cinxit muro, turribus, foſſis & propugnaculis oppidum Weiſſenburgenſe: condidit cœnobii refectorium & alia multa. Obiit Idibus Octobr. anni 1293. Sepelitur in ambitu.

46. *Wilhelmus* ſucceſſit Edelino Abbati, & præfuit annis octo. Obiit in Calend. Februariis anni 1301.

47. *Egidius* præfuit 10. annis & menſibus ſeptem. Obiit ſeptima Calendarum Junii anni 1312.

48. *Bartholomæus* conſtituitur in locum Egidii. Sedit ad Abbatiæ gubernationem annis tribus, & menſibus aliquot. Obiit 13. Calendarum Auguſti anno 1316.

49. *Wilhelmus* ſex annis præfuit. Obiit 5. Idus Martii, anno Domini 1322.

50. *Joannes* deſignatus Abbas, 15. annis pedum paſtorale geſſit. Obiit 3. Nonarum Novembrium anni 1337.

51. *Eberardus* de Saræ ponte præfuit annis 44. Obiit in Januario anni 1381.

52. *Hugo* de Navelden viginti annis præſedit. Valedixit & officio & vitæ anno virginei partus 1402. in die S. Benedicti. Sepelitur in ambitu.

53. *Joannes* de Veldentz præfuit annis 33. Obiit anno Domini 1434. Interfuit Concilio Conſtantienſi.

54. *Philippus* ex Pincernarum de Erpach nobili & illuſtri familia natus, præfuit annis 32. Deceſſit ex hac momentanea ad meliorem vitam anno Domini 1467. in ipſo ſolſtitio hyberno. Sepelitur in ambitu.

55. *Jacobus* generoſus Dominus de Prugk præfuit annis 4. menſibus 8. Obiit anno 1472. in vigilia S. Laurentii. Sepelitur apud anteceſſores ſuos in ambitu ſummæ Eccleſiæ.

56. *Henricus* præfuit Abbatiæ ab anno Domini 1475. ad annum usq; 1496. quo obiit.

57. *Wil-*

Prüfch.
Chronolog.
Monaſterii
S. M.

57. *Wilhelmus*, vir pius & honestus, gubernavit Abbatiam annis 4. Obiit in anno Jubilæo, hoc est, anno 1500. Sepelitur in ambitu cum tali Hexasticho:

Hoc sepelit saxum lector gelida ossa Guilelmi.
Ille domus sacræ duxq; paterq; fuit.
Clericus & dominus Christiq; inolevit amicus,
Quinq; ter emensus secula Phœbus erat
Quinq; ter implerat Februas cum Luna Calendas,
Exolvit vitæ debita fata suæ.

58. *Rudigerus* cognomento piscator eligitur in Abbatem Weissenburgensem anno Domini 1500. Præfuit annis 45. Est Abbas hujus cœnobii amplissimi ultimus, Præpositus vero ejusdem primus. Nam anno Domini 1526. odio monasticæ vitæ incensus, & liberioris desiderio flagrans auro effecit, ut monasterium Weissenburgense contra primorum fundatorum voluntatem ac sententiam in Præposituram commutaretur. Obiit anno Domini 1545. Sepelitur in summi templi sinistra abside. Sub eodem hoc Rudigero, & eo etiam procurante Abbatia S. Walburgis, ordinis ac instituti Benedictini in sacra sylva sita prope Haganoam, defuncto Bartholomæo ultimo ejus loci Abbate, anno 1544. præposituræ Weissenburgensi unita, annexa, & incorporata est.

Weissenburgense Monasterium, in Præposituram mutatur.

S. Walburgis Abbatia Weissenburgensi Præposituræ conjuncta.

59. *Philippus* à Flersheim Episcopus Spirensis doctissimus, fit præpositus Weissenburgensis, post mortuum Rudigerum. Is Præposituram Episcopatui Spirensi incorporavit, anno Domini 1546. consentientibus Divo Imperatore Carolo V. ac Romano Pontifice Paulo tertio.

✿ ✿ ✿

Andlow.

ANDLOW, antiquitus Andelaha, Germ. Andlau, ab ejusdem nominis fluvio, vel Helionis Cœnobium, in pago Helisatia S. Fabiano & S. Fœlicitati sacrum, Canonissarum, celebri loco natarum, opulentum Collegium, ad montana Vosagi situm: Fundatum, ac pro 12. Canonissis, totidemq; Canonicis liberalissime dotatum est anno Christi 880. aut ut alii volunt 888. à S. Richarde Scotorum Regis filia, Caroli Crassi Romanorum Imperatoris

S. Richardis Imperatoris

toris conjuge, quæ per divortium à marito segregata, ibi vixit, mortua, & honorifico tumulo, post summam Aram, in sublime collocato, sepulta est. Maritus vero Carolus Crassus Neydingi, in pago ad Danubium sito, (in quo nunc etiam Monialium congregatio est, à Furstenburgensibus Comitibus fundata) interfectus anno Domini 888. cubat in Augia Divite. Causam dissidii inter hos conjuges, recitant *Regino*, Abbas Prumiensis, & *Cuspinianus*. Dicitur, in hoc ipso Cœnobio, requiescere Lazarus, à Christo resuscitatus. Sequitur catalogus Abbatissarum etsi non integer. *ratrix fundatrix.* *Lazari sepulcrum.*

1. *Domina Adelhaidis* ab ipsa S. Richarde Imperatrice ac Fundatrice prima Abbatissa hujus Collegii constituitur, sed quàm diu illa præfuerit, in literis nusquam reperitur.

2. *D. Magdalena* successit Adelhaidi: sed neq; de ista quicquam in fastos relatum.

3. *Hrudrudis*, Richardæ fundatricis neptis, tertia Andelaviensis Abbatissa, liberaliter donata est à Ludovico Imperatore, & Juditha Imperatrice anno 18. Imperii ejus.

4. *D. Charitas* ejusdem fundatricis neptis, successit dominæ Rudrudi: quando præfuerit aut quamdiu, vel quis huic successerit, id omne intercidit, & in oblivionem ex omni hominum memoria devenit.

5. *D. Brigitta* legitur præfuisse anno Domini 1004. sub Henrico Francorum & Longobardorum Rege.

6. *D. Mechtildis* successit Brigittæ. Hæc Imperatoris Conradi secundi soror germana præfuit anno Domini 1056. & anno 1058. & multa contulit ad Inferius monialium cœnobium, quod S. Otiliæ monti subjacet. *Inferius Monasterium.*

7. *D. Juditha* successit Mechtildi. Hæc dedicari fecit à Godefrido monacho S. Trinitatis sacellum in Castel anno 1064. Hic aliquæ Abbatissæ desiderantur: sed hoc invenitur, quod anno Domini 1090. ex hac vita decesserit inclytus Comes Hugo à Dagspurg Advocatus monasterii & Dominus Alsatiæ.

8. *D. Haziga*, alibi Hayzka, eligitur ab Imperatore Friderico Barbarossa: tulit gravissimas passiones, quas ipsa prolixe descripsit,

scripsit, quales tamen hæ fuerint, ignoro: nam legere eas non vacabat mihi. Contulit anno Domini 1167. aliquid vicino monasterio Boumgartensi.

Bomgarten.

9. *D. Hedowigis* successit D. Hazigæ Abbatissæ: fuit Haganoæ apud Imperatorem Fridericum Barbarossam anno Domini 1178. cum is Stivagiensis Præmonstratensium cœnobii privilegia confirmaret, præsentibus Godefrido Cancellario, Vicetenente Christiani Archiepiscopi Moguntini, Conrado Episcopo Argentinensi, Ludovico Basiliensi, Friderico duce Svevorum, Amedeo comite Montis Peligardi, Ludovico comite Phyretarum, & Wernhero Abbate Stivagiensi.

Stivagium.

10. *D. Hedowigis* Abbatissa præfuit anno Domini 1227. Bertholdi Episcopatus in Argentina anno quarto. Hic iterum hiatus est, & aliquæ hujus sive cœnobii sive collegii gubernatrices desiderantur.

11. *D. Mechtildis* Abbatissa præfuit anno Domini 1309.

12. *D. Chunigundis* de Geroldseck Comitissa & Abbatissa successit Mechtildi. Obiit anno Domini 1333. ante chorum templi in sublimi tumulo sepulta.

13. *D. Adelheidis*, ex Comitibus de Geroldseck prope Tabernas Alsaticas habitantibus nata, successit D. Chunigundi sorori suæ. Præfuit ad annum Christi usq; 1358. Sed an diutius, id etiam incertum. Nam aliud de ea nihil in literas relatum invenitur: & videntur hic iterum Abbatissæ aliquæ deesse.

14. *D. Elizabetha* Baronissa à Rappoldtstein, de qua amplius inveni nihil præter nudum nomen.

15. *D. Sophia* de Andelow Abbatissa, & collapsi cœnobii reparatrix. Obiit anno Domini 1444. Sepelitur ante chorum.

16. *D. Susanna* de Eptingen succesit Dominæ Sophiæ. Præfuit 35. annis. Obiit anno 1479. quarta Idus Augusti. Sepelitur in eodem tumulo, in quo D. Sophia cubat.

17. *D. Barbara* Knoblocherina eligitur anno 1479. præfuit 14. annis. Obiit anno 1493.

18. *D. Otilia* de Mullhofen præfuit duobus annis. Obiit anno 1495.

19. *D. Chu-*

19. *D. Chunigundis* à Rinach succeſſit Dominæ Otiliæ. Præfuit annis 42. Obiit anno 1537.

20. *D. Cordula*, nobilis virago de Krœzingen, gravis & facunda Domina, eligitur anno 1538. Præeſt adhuc currente hoc jubilæo. Hæc ſuperiore anno clementer mihi communicavit, quicquid habebat veterum monumentorũ, inſpiciendum, in quibus & hoc repperi, quod Domina Richarda Imperatrix, ante hujus cœnobii conſtructionem, habitarit in S. Marini Papienſis urbis præpotenti monialium cœnobio, cujus ipſa fuit ſuprema gubernatrix, ſicuti & Secanici ad Rhenum, & Thuregenſis ad Limagum ſiti, ex mariti ſui Caroli Craſſi donatione anno Domini 881. facta. Diploma ejus donationis ad Potamum in Palatio Imperiali datum eſt, In nomine Domini, in quo & hoc animadverti diligenter, quod Imperator, etſi ab uxore jam ſegregatus, ubiq́ue tamen Imperatricem dilectiſſimam conjugem ſuam appellat. *Richarda.*

ANHUSIUM, Anhauſen / cœnobium monachorum inſtituti ac ordinis Benedictini magnificum ac opulentum, in Marchionatu Brandenburgenſi Norico, aut in Rhiæſa potius (quæ Sveviæ pars eſt) non procul à Waſſertruhedinga oppido, olim ejusdem nominis Comitum, nunc vero Brandenburgenſium Marchionum, ad Wernicum amnem ſitum, Aureatenſis Diœceſeos: fundatum ac conſtrui cœptum eſt anno Chriſti 958. ab Erneſto Comite de Alto-Truhendingen ejusq́; ſororio Hartmanno Barone de Lodenburg. Occaſio conſtruendi cœnobii hæc erat. Exutus erat Comes Erneſtus propter inobedientiam ditione ſua ac toto comitatu ab Imperatore Othone magno, in cujus Gynæceo habuerat nuper ſororem Comes Erneſtus, quam uxorem duxerat Baro Hartmannus de Lodenburg, Myſius: qui cum clementem haberet & Imperatorem & Imperatricem, fideliter etiam & tam diu apud Cæſarem laboravit, donec affini ſuo Comitatum amiſſum recuperaret: hac tamen lege & conditione, ut Erneſtus Comes Weſtenſen pagum alioſq́; vicinos ad Anhuſenſe ſacellum legaret, unde cœnobium ibi Benedictinæ pro- *Monaſterium Anhuſium qua occaſione ſit exſtructum.* *Benedictinum*

cœnobium.

professionis constrúi posset. Accidit vero postea successu temporis, ut Hartmannus etiam ille Lodenburgius in Rhiæsa ab hostibus suis fugatus Dei beneficio ex magno periculo in hoc ipsum cœnobium elapsus esset salvus & incolumis: moriens itaq; dextrum brachium suum eidem cœnobio legavit, ubi in D. Virginis sacello humatum est. Quod cum audiret aliquando unus ex ejus posteris, qui tum Episcopus Herbipolensis erat, legavit ille etiam Deo in gratiarum actionem, pro servato illic olim Hartmanno eidem monasterio, plaustrum boni vini Francici, singulis annis ejus loci cœnobitis transmittendum. Hartmannus vero Comes cum aliis suæ gentis heroibus cubat in cœnobio Heydenheimensi. Habuit cœnobium hoc initio gubernatores præpositos, quorum nomina interciderunt. Abbates vero ad hæc nostra usq; tempora, omnes ferè nobili genere nati, hi annotati inveniuntur.

Hartmannus Lodenburgius brachium suum legavit cœnobio Anbusio.

1. *Marquardus* Abbas primus. Obiit anno Domini 1102.
2. *Albertus* obiit anno 1127. Præfuit annis 25.
3. *Leopoldus* præfuit annis 29. Et obiit anno 1156.
4. *Conradus* præfuit annis 25. Valedixit rebus mundanis anno 1181.
5. *Henricus* præfuit annis 40. Obiit anno Domini 1221.
6. *Sigefridus* de Lacu præfuit annis 25. Obiit anno 1246.
7. *Rupertus* præfuit decem annis, decessit anno 1256.
8. *Otho* de Lacu præfuit annis quinq;. Migravit ex hac vita anno 1261.
9. *Sifridus* de Lacu præfuit 13. annis. Obiit anno 1274.
10. *Henricus* de Witabo præfuit annis novem. Obiit anno 1283.
11. *Otho* de Lacu triginta præfuit annis, & obiit anno 1313.
12. *Sigefridus* de Lacu præfuit annis tredecim, & obiit anno 1326.
13. *Sifridus Peisserus* præfuit annis 28. decessit anno 1354.
14. *Udalricus* de Lacu præfuit annis viginti duobus. Obiit anno 1376.
15. *Udalricus* de Gew præfuit annis sedecim. Obiit an. 1392.

16. *Wilin-*

16. *Wilingus* præfuit 10. annis : deceſſit ex hac ad meliorem vitam anno 1402.

17. *Wilhelmus* de Lacu præfuit annis uno & quadraginta. Interfuit Concilio Conſtantienſi : migravit ad patres ſuos anno 1443.

18. *Georgius* de Schechingen ex Elwangenſi Abbatia aſſumtus, præfuit annis triginta octo : migravit ex hoc ſæculo anno 1481.

19. *Wilhelmus* Schechs, nobilis de Pleinfeld, primus hujus monaſterii Abbas infulatus, præfuit annis 18. Obiit anno. 1499.

20. *Georgius*, Dapifer de Wetzhauſen, egregius monaſterii illuſtrator, eligitur anno Domini 1499. Antea terræ ſanctæ peregrinus, anno videlicet 1490. In cujus rei memoriam condidit in choro templi Anhuſenſis Dominicum ſepulchrum anno Domini 1521. ut ſcriptum eſt in marmoreo monumento eidem parieti inhærente. Ceſſit ex monaſterio ad Eychſtadium propter mutatam in Marchionatu Brandenburgenſi religionem anno Domini 1530. Vivit adhuc Eiſtadii anno Domini 1548. Reverendiſſimo Aureatenſium Epiſcopo Domino Mauritio ab Hutten eximiè charus. Monaſterio interim præfuit, & adhuc hodie Marchionum Brandenburgenſium præſidet (etſi facta ſit jam à Marchione Alberto copia monachis ad priſtinum locum ſuum redeundi) Benedictus Mulbergerus, Lauffenſis, monaſticæ juventutis antea pædagogus. Fuit hoc monaſterium olim ſub tutela Dinckelſpuhelii, Gamundiæ ac Nordlingiaci, civitatum in Suevia imperialium : ſed redegerunt in ſuam poteſtatem totum Marchiones Brandenburgenſes eo anno, quo civile bellum exarſerat inter Germaniæ principes & urbes imperiales, videlicet 1450. Plurima ad hoc cœnobium ampliandum contulit anno Chriſti 1367. ſtrenuus vir *Sigefridus Peiſſerus*, ex cujus poſteritate ego Bruſchius natus ſum. Ratio verò immutati nominis mei in Waldſaſſenſis cœnobii explicatione aperietur : eo enim cœnobio ejusdem familiæ aliqui ante annos ſeptuaginta Abbates extitere.

Sepulcrum Chriſti exſtructum.

Anhuſii monaſterii protectores.

Brandenburgenſes Marchiones domini facti Monaſterii Anhuſiani.

Bruschij
Chronologia Monasterii Augiæ
S. IV.

Reichenau.

AUGIA DIVES, vulgo die Reichenow/ olim Sindleosana, ut *Nauclerus* refert, à Gallico quodam præfecto Sindelesio sic dicta, qui insulam istam S. Pyrminio excolendam incolendamq; dedit. Insignis insula est, lacus Cellensis, Veneti aut inferioris Bodamici, quæ abest à Constantia urbe hactenus imperiali, nunc (miro fato) Austriaca, per spatium dimidii miliaris, & habet in longitudine miliare dimidium Germanicum, ac tres in se parochias, vineta verò egregia, omnis generis fructus in summa copia. In ea longe florentissima insula fundavit & construi curavit annum Christi circiter 724. S. Pyrminius Episcopus Meldensis in provincia Senovensi, auxiliis ac subsidiis Caroli Martelli (qui Caroli Magni avus, Dux Barbantiæ ac Namurci erat) præclarum ac nobilissimum Monasterium Benedictinæ professionis, in quod assumi primum solebant tantum principes, Comites ac Barones, ut hi illic educarentur, ac erudirentur à prima infantiâ ad adolescentiæ usq; tempora. Tum enim bene institutis ac libere educatis integrum ac liberum erat prodire iterum, & vel uxores ducere, vel aulas Principum & militiam sequi. Equitum verò ac civium liberi admittebantur nulli. Erat igitur tantum principum ac sublimi stirpe natorum schola ac pædagogium quoddam. Hodie promiscue omnis generis homines recipi solent. Id autem cœnobium adeo potens ac opulentum fuit olim, cum ex Regum & Imperatorum donationibus, tum ex diligenti Oeconomiæ administratione: quod ejus loci Abbas Romam petiturus singulis noctibus in suo proprio domicilio, quoad Romam attingeret, pernoctare potuit: & annuos redditus aureorum sexaginta millium habuisse dicatur: unde dives Augia, quasi opulentus ager aut opulentum pratum (id enim Germanis Ow dicitur) dici & cognominari meruit. Huic Abbatiæ per se jam opulentissimæ dederunt Pipinus pater, & Carolus Magnus filius, liberalissimus ille pietatis Christianæ, literarum, & Scholarum patronus, totum Pagum Ulmensem cum omnibus ad eum pertinentibus decimis, libertatibus ac possessionibus: ita ut per multos annos hujus cœnobii potestati ac jurisdictioni tota Ulmen-

Carolus Martellus quis fuerit.

Principes Juvenes quondam in Monasteriis educati.

Ow quid Germanis notet.

Ulma datur Augiæ diviti.

mensis Respublica parere cogeretur. Qua de re, & quomodo Ulmenses monasticum hoc jugum vicissim excusserint, qui plura legere volet, videat quæ *Nauclerus* ac *Sebastianus Francus* annotarunt. Nulli in ea insula sunt serpentes, nulli lacerti, nulli bufones, idq; S. Priminium, primum ejus loci Abbatem, effecisse ajunt. Si verò tale aliquod animal aliunde isti Insulæ infertur, vivere diu non potest. Narrant, ibi situm esse S. Marci corpus, etsi id habere se Veneti etiam jactitent. Quoties ergo Monachi ejus loci Missam celebrantes recitaturi sunt Evangelium aliquod ex Marco desumtum, non canunt, Evangelium secundum Marcum, sed secundum istum, monstrantes tumulum, in quo cubare creditur. Fuit ibi in inferioris cellæ templo, veteris Alemanni vel Herculis Alemanici à Germanis olim culti idolum, id D. Maximilianus Imperator Anno Christi 1511. ad Oenipontem transferri jussit. Sepultus est in ejus majori templo Romanorum Imperator Carolus Crassus Neydungi ad Danubium à ministro suo trucidatus, anno Domini 888. Donavit hoc ipsum cœnobium liberalissime etiam illustrissima Domina Hedowigis, Henrici Aucupis Romanorum Imperatoris ac Saxonum ducis filia, Eberhardi Comitis de Eberstein in Suevia relicta vidua, quæ anno Christi 956. In Duello arce Hegoviana vitam agebat. Dedit hoc cœnobium Episcopos plurimis Germaniæ Cathedralibus Ecclesiis, imprimis Constantiensi ac Argentinensi: præcipue verò etiam S. Wolffgangum Ratisbonensi Diœcesi. Summa ejus loci Basilica cœpta est ædificari anno Domini 1172. sub Abbate Diethelmo, Barone de Krenkingen. Gubernatores ac Abbates à prima ejus origine ad hæc nostra usq; tempora hi inveniuntur cum annalibus suis breviter annotati.

In Augia nullum venenosum animal. S. Marcus in Augia sepultus creditur.

Alemanni Idolum.

Carolus Crassus, ubi sepultus.

1. *S. Pyrminius*, Episcopus Meldensis, constituitur primus ejus loci Abbas à Carolo Martello, Caroli Magni avo, anno Christi 724. Ejicitur ex abbatia à Theobaldo, Alemannorum & Sueviæ Duce, anno Domini 727. Secedit in Alsatiam, ubi etiam aliquandiu docuit, & aliquot cœnobiorum author, aut instaurator potius extitit. Mortuus est in Hornburgo Vestriæ cœnobio, non procul à gemini pontis Civitate sito, in quo terræ redditus est.

Hornburgium cœnobium.

2. *Etho*

2. *Etho* vel Otho, Comes Brisgoviæ, Chronographis Argentinenſibus omnibus unanimiter conſentientibus, Habſpurgius: aliis vero ex Ethiconis Alſatiæ ducis genere ortus, Monachus primum, poſtea Abbas Vallis S. Georgii, miſſus eſt à S. Pyrminio ad Augiæ divitis gubernationem, cui cum pie & prudenter præfuiſſet annis ſeptem, & Abbatiam anno Domini 734. reſignaſſet, vocatus eſt paulo poſt à Carolo Magno ad Argentinenſis Epiſcopatus clavum. Creditur autem Epiſcopo Gaudoni, non Wandelfrido ſucceſſiſſe: alioqui enim numeri annorum minus convenirent, quod candidus lector in noſtro Epiſcopatuum tomo facile emendabit. Etſi fieri poteſt, ut bis Epiſcopatui præfectus ſit, quod aliis etiam Epiſcopis accidit non ſemel.

Quatuor ſcholæ ex Augenſi plantantur.

Hic Abbas cum inſignem haberet in Augia divite ſcholam (ut erant omnia Monaſteria antiquitus oratoria ferè & ſcholæ, in quibus pietas, doctrina, virtus & religio florebant ut quam maxime) miſerunt ad eum Legatos Dux ſuperioris Rhetiæ, Duces Bavariæ, & Alſatiæ, petentes perſonas & libros ad inſtauranda Monaſteria, & ſimilia veræ doctrinæ ac virtutis domicilia in ſuis provinciis erigenda: quibus gratificari volens Etho diviſit libros ac diſcipulos ſuos in quatuor partes: unam partem ſuo reſervans Monaſterio: ſecundam ad inchoandum Fabarianum cœnobium in Rhetia: tertiam ad Altaheim in Bavariam: quartam ad Murbachium in Alſatiam ſuperiorem miſit: ſingulis locis duodenos aſſignans Monachos, & unum gubernatorem ſeu Abbatem. Cumq; à Carolo Epiſcopus Argentinenſis deſignatus eſſet, & eò proficiſceretur, duxit ſecum ex Augia aliquam etiam Conventualium ſuorum partem, in cujus gratiam renovavit & de novo condidit in Alſatia Cellæ Monachorum vetuſtiſſimum cœnobium, cui de ſuo jam nomine aliud nomen faciebat, ut appellaretur Ethonis Monaſterium, vulgo Ettenheimmünſter, de quo infra.

Ettenheimmünſter.

3. *Kebo* eligitur ab Othone in Abbatem divitis Augiæ anno Domini 734. Is immoderate ac tyrannico potius quam paterno more præfuit, tantum duobus tamen annis. Obiit ſubitanea morte; ſub eo locus iſte prius Sindleſolou quaſi Sindelii

Augia

Augia dictus, propter immensas quibus accreverat jam divitias & quotidianas accessiones Dives Augia appellari cœpit.

4. *Ernfridus*, alibi Ehrembertus, anno Domini 736. electus est Caroli Magni jussu, & in Abbatem hujus cœnobii, & in Episcopum Constantiensem. Præfuit utriq; loco ad annum Christi usq; 746. quo una cum vita utriq; dignitati valedixit. Alii vocant Eribertum.

5. *Sidonius*, aliis Sinodius, præfuit ab anno Christi 746. ad annum Christi usq; 760. Constantiensi Episcopatui, ac Abbatiæ divitis Augiæ. Is Diaboli instinctu cum Warino & Ruthardo Comitibus consultavit de S. Othmaro Sangallensi Abbate exauthorando, qui à Pipino Rege Abbatiæ S. Galli præfectus erat. Sed ultus est tantam injuriam Deus, qui venientem ad Sangallense templum adortus, torminibus ventris ita eum invasit & exercuit, ut paucis diebus post, fœdissimo mortis genere interiret, ita fœtens, ut nemo ferè funus ad Augiam comitans illi adesse posset. Sepelitur in Augia. *Hermannus Contractus*; Monachus Sangallensis & celebris Chronographus, ante aram S. Galli statim eum dysenteria periisse & concidisse dicit.

Vindictæ divinæ propter injuriam illatam exemplum.

6. *Joannes* constituitur à Pipino anno 760. in Episcopum Constantiensem, Abbatem vero & Sangallensem & Augiensem. Et hic primus, *Hermanno Contracto* teste, utrumq; Sangallense videlicet & Augiense Monasterium, ab omni jugo Episcopali liberum ac immune reddidit, quod impetravit à Pontifice Max. Adriano primo, sub Carolo Magno, & Hildegarde Regina, & Heroldo Comite anno 780. Præfuit uno & viginti annis. Obiit plenus dierum anno Domini 781. Sepelitur in Sacello S. Chiliani.

Augiense Monast. quando à Jurisdictione Episcopali liberatum.

7. *Petrus* eligitur à fratribus Conventualibus anno Christianæ redemtionis 782. Homo senex ac decrepitæ ætatis, præfuit quinq; annis. Romam petens Psalterium 70. interpretum consequutus in Augiam detulit.

Psalterium 70. Interpretum.

8. *Waldo* eligitur & constituitur favore Caroli Magni anno 787. ex Abbate Sangallensi in Abbatem etiam Augiæ, ubi præfuit 19. annis. Factus postea Ticinensis Ecclesiæ in Italia Episcopus,

pus curavit scribi multos libros, & ejus tempore venerunt ad cœnobium multi ex omnibus Germaniæ partibus Monasticen professuri, qui secum afferebant optimos libros, quibus Bibliotheca quotidie augmentabatur. Hujus temporibus obiit, & in Augia sepultus est honorifico Mausoleo, & in choro summi templi ad dextram, misericors, munificus & Christianus Comes Geroldus à Pussen, arcis insignis (quæ in media Suevia sita, antiquitus Suevia dicta est, & Sueviæ Principum avita sedes fuit) Bavariæ, item & Sueviæ præfectus, Caroli Magni vexillifer & Consiliarius, trucidatus ab Hunnis, contra quos fortiter ac strenue dimicarat, ingens Augiensis Abbatiæ benefactor. Cujus filius, Bertholdus de Pussen, advocatia cœnobii exutus legitur. Waldo Ticinensem Episcopatum deferens ad Basilienſis tandem Ecclesiæ gubernationem à Carolo Magno evectus est. Fuit is hujus Caroli confessor, missus aliquando legatus in Corsicam Insulam ad Regulum quendam Hierosolymitanum. Resignavit tandem has dignitates omnes anno Domini 806. cum haberet Eginonem Constantiensem antistitem valde injurium, & Lutetiam sese conferens, reliquum vitæ ibi in S. Dionysii præpotente cœnobio exegit privatus. Ejus temporibus confirmavit, & auxit Carolus Magnus, Rom. Imperator Germaniæ & Galliæ Rex, fundationem ac dotationem Augiensis Monasterii, factam prius ab avo Carolo Martello, Galliarum Rege ac Pipini parente: id factum est anno 803.

Mons Suevus hodie, der Buß.

9. *Hetto vel Hatto*, sapiens, doctus, sanctæq; conversationis Monachus ac presbyter, constituitur à Carolo Magno Imp. & Episcopus Basilienſis, & Abbas divitis Augiæ. Præfuit Episcopatui sedecim annis, Abbatiæ septendecim, & utramq; dignitatem resignans, privatus postea vixit ad annum Christi usq; 836. quo mortalium hominum consvetudini valedicens ad meliorem vitam emigravit. Fuit Carolo Magno Imperatori chariſſimus, qui misit eum legatum Constantinopolin ad Imperatorem Nicephorum, cum Hugone & Haione Comitibus, anno Domini 811. Consecutus est privilegium à Carolo Magno eligendi advocati unde velit, & ejusdem etiam dimittendi. Sub hoc

hoc Abbate plurimum benefecit huic cœnobio Carolus Magnus, liberaliſſimus ille plurimorum monaſteriorum fundator, Epiſcopatuum item Treverenſis, Colonienſis, Moguntini, & Salisburgenſis liberaliſſimus donator. Dono dedit enim huic cœnobio pagos, Ulmenſem, quem regiam villam ſuam appellat, Elchingenſem, Hochſtetenſem, Schocheimenſem, Glaheimenſem, Berggheimenſem, & Luteringenſem: cujus donationis adhuc habetur exemplar in Augia divite, quam Imperator ibi Inſulam Sindleheſow appellat. Facta eſt hæc donatio anno 813. advocatiæ præſidente Adalberto Comite Brigantino, Moguntiæ in conſenſu omnium aut præcipuorum imperii Conſiliariorum & ſenatorum. Quomodo vero Ulma ſeſe iterum ex hac ſervitute explicuerit, & facta ſit urbs Imperialis, id ſcribunt *Nauclerus* latine, *Francus* in ſua Germania Germanice, & copioſius, quàm Nauclerus. Idem ille Hetto Abbas & Epiſcopus conſtruxit in Augia divite inſignem Baſilicam D. Virginis matris anno 816.

Donatur Augia liberaliſſime à Carolo Magno.

Ulma urbs olim monaſtica.

10. *Erleboldus*, decimus Augiæ Abbas, præficitur anno Domini 823. per reſignationem Hettonis. Fuit ſanguine junctus S. Meinrado, Comiti de Sulga, Presbytero & Eremitæ. Præfuit ſapienter & laudabiliter annis 15. Donatur liberaliter à Ludovicopio, Caroli filio. Habuit ſua ætate Monachum Wytinum, vatem ac Prophetam, qui varias habuit viſiones, quarum etiam *Regino* in ſuis Annalibus mentionem facit. Obiit anno 838. Ejus temporibus allatæ ſunt in Augiam à Rathulpho Veronenſi Epiſcopo reliquiæ ſanctorum Martyrum, Marci, Valentis, Syneſii, ac Theopontii.

Viſiones Wytini.

S. Marcus aſſertur in Augiam.

11. *Ruthelinus* eligitur concordibus fratrum ſuffragiis poſt Erleboldi reſignationem: præeſt quatuor annis ærumnoſo ſæculo, & idcirco ſe Abbatiæ propter tumultus, quos excitarant filii Imperatoris Ludovici, abdicavit anno 842.

12. *Walafridus*, cognomento Strabo, à vitio oculorum, vir doctus & inſignis ſæculi Hiſtoriographus, eligitur, anno 842. Is duobus libris ſcripſit vitas S. Galli & Othmari, Sangallenſium Abbatum, à Gosberto Abbate Sangallenſi rogatus: Apocaly-

Walafridus Strabo.

pſin item S. Stephani Romani Pontificis. Donatus eſt liberaliter & privilegiatus ab Imperatore Ludovico Pio. Præfuit annis ſeptem. Obiit vero anno Chriſti 849.

13. *Chalcionius*, alibi Volcvinus, eligitur anno 849. Præfuit annis 9. Obiit anno 858. De eo enim aliud nihil reperitur, poſteritati uſpiam commendatum.

14. *Walthárius* eligitur anno 858. Præfuit annis ſex. Obiit anno 864. Tribus annis ante ipſius ex hac mortali vita egreſſum, hoc eſt, año 861. trucidatus eſt in Helveticis nemoribus S. Meinradus, conventualis antea in Divite Augia, filius Bertholti Comitis de Sulgow ad Danubium habitantis.

S. Meinradus occiditur.

15. *Hatto* ſecundus eligitur anno 864. Præfuit annis ſeptem ſub Imperatoribus, Lothario & Ludovico ſecundo. Obiit anno 871.

16. *Rutho*, alibi *Rudilo*, eligiter anno 871. Præfuit annis 16. & aliquot menſibus tempore Caroli Calvi Imp. qui ſumto à Judæo Zedechia veneno obiit Mantuæ. Habuit iſte Abbas beneficum Carolum Craſſum Imperatorem, Emmæ filium, qui Abbatiam & pagum Zurzazenſem in gratiam petentis conjugis ſuæ, Dominæ Richardis, dono dedit, & incorporavit diviti Augiæ, ubi volebat eſſe ſuum ſepulchrum. Id factum eſſe legitur in arce & Palatio Imperiali Bodmen 14. Octobrium anni à nato Chriſto 881.

Zurzachium.

17. *Hatto* tertius, ex Franciæ regum ſtemmate natus, vir magnæ prudentiæ & ſapientiæ, eligitur in Abbatem divitis Augiæ anno 888. quo Carolus Craſſus Neydingi ad Danubium interfectus eſt. Præfuit Augiæ diviti 26. penè annis, Elwangenſi Abbatiæ annis ſeptendecim, Monaſticæq; hujus gubernationis anno 4. Moguntiam evocatur ad Archiepiſcopalis ſedis regimen, anno videlicet 892. ab Imperatore Arnolpho, ubi præfuit annis uno & viginti. Conſtruxit in Augia divite Cellam ſive templum S. Georgii, ad quod multos pagos contulit Arnolphus Imperator in ditione Scherenſi & Barenſi tractu Danubiano ſitos. Sub hoc Abbate dono dedit Arnolphus privilegia diviti Augiæ in pago Suſmarahuſen anno Domini 892. Hic Hatto Im-

Carolus Craſſus interficitur.

to Imperatoris Arnolphi filium, Ludovicum, ab Augustæ Vindelicorum Episcopo Adalberone baptizatum, ex lavacro susceptit, quem iccirco Imperator postea in publicis etiam diplomatibus Monasterio datis Compatrem suum appellare est solitus. Cognominatur ab annalium scriptoribus Hatto iste malus, propterea quod Albertum Bambergensem Comitem impie prodiderit, ac Henrico Aucupi, Saxoniæ Duci, tandem ad Imperii decus evecto, insidiatus sit. Obiit anno Christi 913. Vide de eo plura in Episcopis nostris Moguntinensibus, & in Ursprergensi Abbate.

18. *Hugo* præfuit per unum tantum annum.

19. *Thietingus* eligitur anno 915. Præfuit tribus annis. Sub eo sanguis Dominicus scribitur ex Hierosolymis transmissus esse in Augiam divitem à rege Aza, qui concupivit videre faciem Caroli Magni, incitatus rerum ab ipso gestarum magnitudine. Pertimuit autem Carolus transire mare, iccirco Aza rex Romam venire decrevit, quo ut Carolus etiam properaret, oravit; sed adversa valetudine impeditus Aza, cum in Corsicam venisset, fessus & ægrotus ibi mansit, ad quem Carolus legatum misit Hunefridum, Historiæ Dominum, qui varia ac pretiosa accepit dona ab Aza ad Imperatorem Carolum ferenda, & inter cætera particulas etiam de cruce Dominica auro & gemmis inclusas.

Augia reliquiis & sanguine Dominico donatur.

Carolum M. videre desiderat Rex Aza.

20. *Heribrechtus* præfuit decem annis, electus anno 918.

21. *Lindhardus* vel Luithardus, religiosus princeps, fit Abbas anno 928. ex ejusdem loci præposito. Sedit ad clavum Ecclesiæ annis quinque.

22. *Alawicus* eligitur anno 933. Præfuit annis 25. Huic Otho Imperator plurima contulit anno 949. quod Dalenheimii actum est.

23. *Eccenhardus* successit anno 958. Præfuit 14. annis, sed non admodum utiliter. Est conditor templi ad S. Joannem. Ejus temporibus ad summam angustiam & inopiam res cœnobii hujus ante paucos annos opulentissimi redactæ erant, iccirco ab Othone Imperatore exauthoratur, apud quem à Conventualibus accusatus erat, quod inutiliter præesset.

Bruchij
Chronolog.
Monasterii
rum Germa
S. M.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

24. *Rodemannus*, Sangallensibus Monachis mire invisus, ex præposito in Abbatem constituitur ab ipso Imperatore Othone Magno anno 972. Præfuit laudabiliter, utilissime & felicissime annis 13. egregie recuperans amissa ab antecessoribus aliquot negligentibus patribusfamilias.

25. *Witegowius* eligitur anno 985. Præfuit Abbatiæ Augiensi annis 12. Condidit sacellum S. Pyrminii, & ambitum cœnobii. Fecit duas cruces de auro & gemmis. Vita ipsius descripta est à præposito ejus loci *Burcardo*, egregio ac famoso sui sæculi versificatore. Illustravit pulchris structuris summum templum, & id dedicari fecit in honorē Cœlorum reginæ Virginis, ac Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. Condidit Sacellum S. Bartholomæi, & aliud Sanctorum Erasmi & Heraclii, aram cum admirabili speculo, suggestum, & in eo aram S. Othmaro dedicatam. Hæc ædificia omnia tali carmine à Monacho Burcardo nobilitata & celebrata esse leguntur.

Floreat in quantis ornatibus Augia fœlix
Hac in structura, quam fecit nobilis Abba,
Dans studium Christo, qui nomen habet Witigowo:
Inquisita refer. Quid plores Augia mater
Auctrix cunctorum Domino donante bonorum?
Vertice crispantes aut quid divellere crines
Tu conare, genas aut dilaniare tenellas?
Quid ve rigans lachrymis malas, residere videris
Vultu submisso, veluti sub carceris antro?
Quid pia mater habes, quod sic tua tempora desles
Aureolæ pacis semper vernantia ramis?
An donis Domini sic vis ingrata videri?
Anne recordaris, niteas quo stemmate lucis?
Ipse tibi talem quomodo concessit honorem,
Semet, in orbe locus de quo non jactitet ullus.
Nam pietate sua sic disponente remota
Omnibus è terris speciali pace quiescis.
Libertate potens, terrena negotia spernens,
Solius Domini tantum sociaris amori:

Quod

Quod libertatis laus creditur esse perennis,
Servitioq; sacræ ferves devota Mariæ,
Aureus in terris cujus thorus ipsa vocaris.
Quod speciale decus tibi contulit ipse benignus,
Inspirata sacro genuit quem Pneumate Virgo.
Cur non exultas opibus, quæ plena redundas?
Quod super astra volat, quicquid maris unda ministrat,
Quidquid gignit humus, tibi suppeditatur in usus.
Dico lætanter, gaude nunc Augia mater!
Da studium Christo, ne nos fortuna sinistro
Cum pede prosternat, nobis & gaudia demat,
Munere pro tali: cum sis felicior omni
Mundo. Quàm felix est & tuus ille fidelis,
Subtilis talem tibi qui conjungit honorem,
In quo damna vales culparum tergere sordes,
Tantorum sordes operum: Deus accipe clemens.
Hoc velit ipse Deus, qui constat trinus & unus,
Ut Witigowo pater valeat, jubeatq; potenter,
Ac ipsius Amen vivat per sæcula nomen.

Fuit Abbas iste Witigovius vel Witegowo rarissime domi, sed aut Romæ, aut in aula Othonis tertii. Extant de ejus laudibus tales etiam versiculi, ab eodem versificatore *Burcardo* scripti.

Dicitur os regis, populorum lingua salubris
Inter Catholicas primas rutilando columnas:
Regum rectores, Comitum docet atq; cohortes,
Rege jubente, suis parent simul omnia dictis.
Contra velle suum vertit se nemo retrorsum.
Esse manum regis nam plebs hunc prædicat omnis.

Fuit aliquando Romæ, ubi à Pontifice crystallina lagenula donatus est, quæ plena scribitur fuisse sanguinis Dominici. De tali dono extat epigramma tale ejusdem Burcardi. *Sanguinis Domini lagena plena.*

Dic & Apostolicos cum viseret ille patronos
Romæ, post reditum quod ferat inde bonum?
Respondet Augia:

Quod

Quod dedit ipse mihi, licet esſem pectore triſti
Tale fuit donum, quo non pretioſius ullum,
In quo poſcendo ſpeciem - - - - -
Vas Cryſtallinum Chriſti de ſanguine plenum.

26. *Alawicus* ſecundus eligitur anno 997. ab Othone tertio Imp. à quo etiam privilegia conſecutus eſt. Præfuit tribus annis, conſecratus Romæ à Pontifice Max. Gregorio V. Succeſſit tandem Wilderolpho, Epiſcopo Argentinenſi, in Epiſcopatus gubernatione anno 1000. electus & confirmatus ab eodem Othone tertio Imp. Rom. cui in primis charus fuit, ut ex epiſtolis patet, quas Imperator ipſi Abbatiam adhuc gubernanti ſcripſit. De eo vide etiam Opus noſtrum de Germaniæ Epiſcopatibus.

27. *Wernhartus* Alawico ad Epiſcopatum evocato ſuccedens præfuit annis ſex.

28. *Immo*, Monachus Gorzienſis, & Abbas Prumienſis, homo ſeverus & vere Stoicus, ad Augienſis Abbatiæ clavum anno Domini 1006. non quidem eligitur, ſed ab Imperatore Henrico Claudo, contra Henricum quendam ex conventu Augienſi legitime electum, intruditur. Is cum tyrannus verius eſſet quàm Abbas, oſoréq; potius Monachorum quam pater, non rector, ſed vaſtator Monaſterii & expulſor Conventualium, ob hanc ipſam corruptiſſimorum morum ſuorum petulantiam & importunitatem, poſt biennium mox ab eodem Henrico rege exautoratur.

29. *Berno*, aliis Bernhardus, Monachus cœnobii Prumienſis in Veſtriæ regno ſiti, conſtituitur ſucceſſor Immonis ab Imperatore Henrico ſecundo. Erat is vir doctus, comis, & pacificus: præfuitq; annis 40. pie & laudabiliter, quibus collapſam penè Abbatiam præclare inſtauravit & erexit. Appellabat ſe in publicis ſcriptis egregio humilitatis exemplo Bernonem paſtorem. Conſequutus eſt anno 1032. à pontifice Joanne Viceſimo ejus nominis omnium privilegiorum ſuorum confirmationem & ornamenta pontificalia omnia: privilegia item ab Henrico ſecundo Imp. Rom. anno 1016. Scripſit varia, Epiſtolas ad Henricum Imperatorem de vera laude regis: Tractatum de adventu Domini ad Arribonem, Archiepiſcopum Moguntinum: tres libros de

Humilitatis exemplum. Abbas πλυγεάφος.

de Musica ad Pilegrinum Archiepiscopum Colonienſem: Librum de jejunio Sabbati: librum de jejunio 4. temporum: librum de menſura Monochordi: Vitam S. Ulrici Epiſcopi Auguſtani: librum de officio Miſſæ, & alia plurima. Erat vir eloquens & humaniſſimus. Conſtruxit ſummam Baſilicam Augienſem. Obiit ſeptimo Junii, anno Domini 1048. Sepelitur in Sacello S. Marci plenus dierum.

30. *Ulricus* ex decano fit Abbas an. 1048. conſtitutus ab Imp. Henrico tertio. Præfuit uno & viginti annis. Hujus ætate fuit in Augia & conſecravit ibi in die S. Clementis aram S. Alberti Rom. Pontifex Leo nonus, qui antea Bruno dictus. Præfuerat aliquamdiu Epiſcopatui Tullenſi. Obiit anno 1069. Vacabat poſt ejus ex hac vita diſceſſum Abbatia per integrum annum: non poterant enim ambitioſi Monachi convenire in electione Abbatis, donec Imperator Henricus dominum ipſis conſtitueret, quod factum eſt anno Chriſti 1070. Tum enim, in pœnam diſcordium ac diſſentientium ſuffragiorum, invitis Monachis, electus eſt, qui ſequitur.

31. *Menradus*, alibi Meginhardus, Saxo natione, ex Abbate Hildeſiano Abbas diviti Augiæ deſignatus præficitur ab Imperatore Henrico tertio, apud quem largitionibus ſibi ad eam patefecerat aditum, *Lamberto Schaffnaburgenſi* teſte. Cum itaq; Monachos Augienſes parum ſibi haberet propitios, Imperator vero quotidianis exactionibus ei nusquam non obſtreperet, pertæſus talis gubernaculi, poſt elapſum, cum aliquot menſibus, annum, gubernationem Henrico Imperatori reſignans, Hildeſiam rediit: homo omnino parum, aut nihil religioſus.

32. *Rupertus*, aliis Rudolphus, antea Abbas montis Monachorum amœniſſimi cœnobii in Bamberga, præclara Oſtrofrancorum urbe, cognomento numularius, vulgo **der Pfenning-Sammler**/ propter immoderatum pecuniarum ſtudium ſic dictus, intruſit ſe anno Domini 1071. donationibus in Abbatiæ Augienſis poſſeſſionem, non intrans, ut de eo *Lambertus* ait, per legitimæ electionis oſtium, ſed irrumpens potius per Simoniacæ pravitatis cuniculos. Iccirco ab Alexandro Pontifice anathe-

Largitionibus munus Eccleſiaſticum impetratur.

Bruschij
Chronologia Monasterii Augiæ S. III

mate percussus, ex Augiensi Abbatia cedere coactus fuit, qui Bambergensem prius amiserat. Sic idem ei accidit, quod in fabula cani frustum carnis gerenti, & aviditate quadam captanti etiam umbram, ac ita amittenti id quoq;, quod antea præsens & in promtu erat. Sic miser Rupertus intra duas sellas (quod dicitur) sedisset, omniq; frustratus spe pauper vivere coactus fuisset, nisi Hermanni Bambergensis Episcopi ope Gengenbacensis Abbatiæ gubernationem apud Monachos, quibus adhuc ignotus erat, consequutus esset. At cum ibi etiam avaritiæ studiis totus deditus, neminem vellet recipere in ordinem, nisi qui pecunias numerasset plurimas: mox ab ejus loci monachis unà cum alio quodam, quem secum ex Bamberga participem ac socium consiliorum suorum adduxerat, occiditur & trucidatur.

Avaritia punita.

Schaffhusianum Monasterium.

33. *Eckhardus* secundus, Comes à Nellenburg, Eberhardi Comitis ex Domina Ida filius, ejus videlicet, quem habuit Monasterium Schaffhusense fundatorem anno Domini 1056. Uthonis, Trevirensis Archiepiscopi, germanus frater, constituitur Abbas, adhuc Juvenis, ad preces & petitionem patris Eberhardi ab ipso Imperatore Henrico quarto, anno 1072. Præfuit annis 17. Favit & adhæsit Rudolpho regi contra Henricum quartum electo, & ab Henrico quarto (qui obsidione Sidmaringum cinxerat) ejecto ex universa Suevia. Gessit bellum contra Abbatem Sangallensem, Ulricum tertium. Anno 1077. Romam petiturus, captus est apud S. Dominicum, sed auxiliis Pontificis & Comitissæ cujusdam Mechtildis donatur iterum libertate & manumittitur. Fama vero Augiensibus fingente, Abbatem obiisse, Ulricus Abbas Sangallensis Abbatiam Augiensem vi occupat. Sæpe pugnatum est inter utriusq; Cœnobii subditos, semel vero cruentissime prope Feltheimium, ubi Wetzilo, Comes Burglensis, à Bertholdo, Marchione Zeringensi, trucidatus est. Accersitus Eccardus iste tandem à Guelphone, Augustam oppugnante, ad Episcopatus Augustani gubernationem, dum est in itinere, & Augustam tendit, lethali morbo corripitur. Jubens itaq; sese ad Augiam suam revehi, post pauculos dies ibi viam universæ carnis ambulavit, anno Christi 1089.

Sidmaringum, Sueviæ oppidum ad Danubium.

Bellum inter Abbates Augiæ & S. Galli.

34. *Ulri-*

34. *Ulricus*, Baro de Lupffen, ex præpoſito Abbas factus Welphonis juſſu, unanimi conſenſu Capituli contra Imperatorem Henricum quartum anno 1089. conſecratur ab Urbano Rom. Pont. in Concilio Placentino, præſente Gebhardo Epiſcopo Conſtantienſi. Præfuit annis 34. Obiit anno 1123.

35. *Rudolphus*, Baro à Bottenſtein, frater Mangoldi Abbatis Sangallenſis, præfuit huic Augiæ divitis monaſterio 9. annis. Obiit anno 1132.

36. *Ludovicus*, Comes à Pfullendorff, Suevus, præfuit annis quatuor. Trucidatur à ſuis miniſterialibus, indutus pontificalibus ornamentis omnibus, Tutlingi ad Danubium in ejus oppidi templo. Sepelitur in Augiæ Baſilica majore ante ſacellum S. Laurentii. Hic notandum obiter, eo loco, ubi nunc eſt patibulum Pfullendorffenſe, fuiſſe reſidentiam horum Comitum, quam Domina quædam Pfullendorffenſis una cum oppido devoraſſe & abliguriviſſe legitur in meris Truttarum, nobilium piſcium, jecineribus.

Abbas interficitur.

Luxu ingens patus abſumtus.

37. *Ulricus*, Comes Zolleranus, nobilis ſanguine, ſed moribus & vita nimium ignobilis, præfuit diviti Augiæ per unius ſaltem anni ſpatium.

38. *Otho*, liber Baro de Bottenſtein, eligitur contra Fridoleum. Præfuit tribus annis, & exauthoratur à rege Conrado. Deinde epilepſiam incidens, brevi poſt obiit.

39. *Fridello* vel Fridoleus, liber Baro de Heydeck, præficitur anno 1141. Præfuit uno & viginti annis. Conſequutus eſt privilegia ab Innocentio & Eugenio Pontificibus.

40. *Ulricus*, frater Fridolei Germanus, Baro de Heydeck, eligitur anno 1162. ex præpoſito in Abbatem. Præfuit 10. annis, & incidens incurabilem morbum reſignavit dignitatem his, à quibus ad eam prius evectus fuerat.

41. *Diethelmus*, Baro à Krenckingen, Dominus in Weiſſenburg, conſtituitur Abbas ab Imperatore Friderico Barbaroſſa. Præfuit annis 37. Scribebat ſeſe modeſto titulo humilem miniſtrum Eccleſiæ Augienſis. Conſecratur Romæ à Pontifice Urbano. Hujus temporibus emit nobilis Dominus Witigovius

Humilis Abbas.

Bruschij
Chronologia Monasterii Augiæ
S. M.
I

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mons S. Michaëlis, Ulmæ. de Albeck montem S. Michaëlis apud Ulmam, cum omnibus attinentiis à quodam ministeriali cœnobii Augiensis, fundans ibi Xenodochium pro peregrinis pauperibus, æternis seculis manendum: ei præpositum cum aliquot Canonicis præfecit, qui sub regula S. Augustini ibi militarent, Deo & S. Triadi indesinenti studio servientes. Id Monasterium Diethelmo commendatum est à fundatore Witigovio anno 1183. præsentibus Friderico Imperatore Rom. Luitholdo duce Austriæ, Rudolpho Palatino Tubingensi, Mangoldo Comite Veringensi, & Eberhardo filio ejus, Bernhardo Comite de Hohenberg, Conrado à Schussenriet, Diemone à Gundelfingen, Ernesto à Stuslingen, aliisq; plurimis. Assumitur in Episcopum tandem Constantiensem, cui cum 12. etiam annis præfuisset, Episcopatu sese abdicans in Augia postea mansit, ubi obiit tandem anno Domini 1209.

42. *Hermannus*, Baro à Speichingen celebris familiæ ad Anasum habitantis, fit Abbas ex præposito anno 1209. Præfuit mensibus saltem octo: resignavit propter adversam valetudinem, gratias agens Conventualibus pro exhibito sibi honore.

43. *Henricus*, Comes à Kalben, eligitur anno 1210. Præfuit 27. annis. Obiit anno 1237. Dederat ei prius legato missо, Pontifex Innocentius tertius insigne privilegium anno Domini 1207. in quo Romæ & in omnibus synodis Abbas Augiensis ex speciali gratia jubetur sedere ad pedes Rom. Pontificis, & tenere in manu librum Sacramentorum, Pontificiarum legum, positionumq; & ordinationum Sanctorum Patrum.

Abbas Augiensis sedet ad pedes Pontificis in Synodis.

44. *Conradus*, liber Baro nobilissimæ familiæ de Cimbris, præfuit annis 18. & mensibus duobus. Donavit liberaliter congregationis sororum S. Elisabethæ Ulmense cœnobium: quod Sefflingum postea translatum esse constat. Obiit 22. Junii anno 1255. Confirmavit in arce Megdberg privilegia ab antecessore data, anno 1252.

Sefflingum.

45. *Burcardus*, Baro Heuwensis, præfuit annis sex, & anno Domini 1261. resignat Abbatiam Episcopo Constantiensi Eberhardo, qui cum ipse retinere vellet unà cum episcopatu suo possessio-

sessionem ac gubernaculum Augiensis Abbatiæ, effecit Bertholdus Sangallensis Abbas tantum Romæ apud Pontificem, ut ea Episcopo ademta, Monacho cuidam Sangallensi gubernanda committeretur.

46. *Albertus*, Baro à Ramstein, familiæ circa Basileam tum habitantis in arce Zwingen, quæ post obitum totius familiæ devoluta est ad Episcopum Basiliensem, fit Abbas ex Monacho Sangallensi, & Decano Capituli Constantiensis anno 1262. Præfuit annis adhuc 1273. & 1286. Habitavit plerumque in arce Sandeck. *Arx Zwingen.*

47. *Henricus*, nobilis à Klingenberg, Protonotarius Imperatorius, legum doctor, & Episcopus Constantiensis, præfuit huic Abbatiæ sub gubernatoris vel Administratoris titulo annis decem prudentissime, sed an, vel quando resignarit, nusquam reperitur. Obiit anno 1306. Aliud ferè de eo habetur nihil. Vide Constantienses Episcopos nostros & de hoc & aliis ex Augia hac desumtis.

48. *Diethelmus*, Baro de Castel, illustris ac nobilis familiæ supra Constantiam habitantis, præfuit 34. aut, ut alibi invenio 36. annis, non Conventualis Augiensis, sed Abbas domus S. Petri extra muros Constantienses trans pontem sitæ, ubi cum summa laude præfuerat diu, varia ædificans & præclare construens. Reformavit iste cœnobitas suos Augienses, quos vestem Benedictinæ professionis aliquamdiu abjectam & neglectam resumere jussit: Condidit ipsis Refectorium & Dormitorium, ubi eos exemplo veteris & omnium primæ Monasticæ disciplinæ simul omnes cohabitare voluit: at ipsi impatienter eam Reformationem ferentes, conquesti sunt de Episcopi severitate apud cognatos suos, apud quos tamen Episcopus suum cœptum & consilium facile tutatus est. Monachi tam diu in eum seditiosi erant, donec effeciissent, ut anno Domini 1320. ab Henrico Furstenburgensi Comite caperetur. Tandem liberatus non tam frequens in Augia divite quàm prius, sed plerumq; Steckbornii habitabat in ædibus firma turre munitis, quas ipse sibi construxerat. Sub hoc Abbate incorporata est Augiæ Ecclesia Ulmensis & *Monachi emendationem vitæ & morum ægre ferentes.* *Steckbornium oppidum ad inferiorem la-*

cum Acronianum. Steckbornensis anno 1327. Fuit in eadem divitis Augiæ insula, ad lacum, arx quædam Schopula dicta, sed quo tempore, aut à quo condita, id omne ignoratur, & ex memoria hominum evanuit. Hoc tamen certum est, Gebhardum Ratisbonensem Episcopum, primum in arce Wulfflingen prope Danubium, postea in hac arce Schopula captivum detentum esse propter læsam Imperatoriam Majestatem. Fuit & imperiale ibi palatium, unde versus: *Nec procul hinc domus est regali stemmate fulgens.* Hoc à Diethelmo reædificatum est anno 1312. nova domus nominata. Obiit Abbas iste anno Domini 1342.

Schopula.

Nova domus.

49. *Eberhardus*, Baro de Brandis, brevi quidem statura, animo vero nequaquam pusillo præditus, præfuit Abbatiæ Augiensi infeliciter admodum annis 37. Huic sese opposuit Diethelmus de Krenckingen, sed frustra. Impetraverat enim jam Eberhardus cum Pontificiam consecrationem & confirmationem, tum Cæsaris Caroli Quarti investituram Regalium: ac etsi ipse ad Cæsarem non perveniret, tamen ejus nomine juravit fidelitatem Ulrico Episcopo Constantiensi, anno Domini 1349. Obiit in die S. Michaëlis anni 1384.

50. *Mangoldus*, Baro de Brandis, ex matre nobili fœmina de Kaltern Athesina editus, præfuit per unius saltem anni spatium, minus diebus 17. factus ex præposito Abbas: & eodem anno Episcopus etiam Constantiensis. Volebat restituere res cœnobii, & re sarcire quod esset ab antecessore neglectum, sed fata restiterunt: nam non diu præfuit. Habitabat frequens in turre Steckbornensi, unde equitaturus aliquando, cum conscenderet equum, subitanea morte è medio sublatus est, non sine porrecti veneni suspicione. Consule de eo amplius Episcopatus nostros. Sepelitur in basilica Augiensi cum tali epitaphio: *Anno Domini 1384. octava KL. Novemb. obiit Mangoldus de Brandis, Abbas monasterii Augiæ majoris, Episcopus electus Constantiensis.* Contendit aliquando cum S. P. Q. Constantiensi: cumq; ejus urbis aliqui piscatores temerario ausu Abbatem contemnentes, in aquis ejus piscarentur, quinq; ex eis cœpit & proprio digito suo excœcatos in urbem remisit: Constantienses indigne id ferentes Schopulam

Schopula

arcem

arcem & alia quædam Monasterii domicilia exusserunt, & incendio devastarunt. *arx exuritur.*

51 *Wernherus*, Baro à Roseneck, præfuit 18. annis in summa rerum angustia, cœnobio ab antecessoribus suis ad extremam inopiam redacto. Abbas capiebat cibum ad S. Petrum apud secularem quendam sacerdotem, habens unum tantum album equulum, quo singulis diebus & ad cœnam & ad prandium deferretur. Neque tunc quicquam erat vel studiorum, vel Cerimoniarum Ecclesiasticarum in cœnobio Augiensi. Obiit anno Domini 1402.

52. *Fridericus*, Comes de Zollern, ex monacho Abbas factus præfuit annis 25. Eligitur in Majo anni à nato Christo 1401. Vir pius, & religionis non obscure studiosus, sed non adeo doctus. Exauthoratur igitur à pontifice Rom. Sed quia Fridericus Sigismundum Imperatorem cum conjuge Domina Barbara, aliisque magno loco natis Dominabus hospitio exceperat perhumano, cum ex Concilio Constantiensi animi aliquando & recreationis causa Imperator egressus esset in Augiam divitem, à quo Imperatore privilegiatus erat ipse de perpetua Abbatiæ possessione: cedere nequaquam voluit, sed Abbatiam grunnientibus etiam quibuscunq; , salvam retinuit, contra Hornbergensem quendam à Pontifice designatum. Obiit tandem anno Domini 1427. prima Augusti. Sepelitur in summa Basilica Augiensi, ante aram Trinitatis.

53. *Henricus*, liber Baro de Hornberg, intrusus à Pontifice primum contra Zolleranum, postea contra Monachorum voluntatem, mortuo Zollerano, non diu superstes mansit. Cum enim præfuisset septimanis 14. & duobus diebus, decessit ex mortali hac vita, Zolleranum sequutus, non sine porrecti veneni suspicione. Sepelitur in Ecclesia majori anno Domini 1427. 14. Novembrium. Vixit ea ætate in cœnobio Augiæ divitis *Conradus Baro de Cimbern*, eximius sui seculi versificator, qui tali carmine statum Augiæ deploravisse legitur. *Baro de Cimbern Versificator egregius.*

Augia Regalis, dives quandoq; fuisti
Nunc talis, qualis, quia plurima damna tulisti.

Augia

Augia Regalis tu per multos tribulata
Sed fœcunda malis in multis debilitata.
Augia sublimis te primitus annihilavit
Flamma duplex hyemis: hinc vis te præcipitavit:
Tu captivato pastore tuo doluisti,
Et male tractato, sibi re compassa fuisti.
Incumbunt avidi post raptores generales
Tollunt impavidi, primoq; ministeriales
Res tibi collatas à Principibus reverendis,
Sorbent sublatas ac insidiantur edendis.
Hi defensores humiles quandoq; fuerunt,
Nunc se raptores crudeles constituerunt.
Lis tibi Papalis quæ deposuit Fridericum,
Et contemtorem fidei sacræ violentum,
Reddere commissum sibi dum negat ipse talentum.
Hæc sunt & plura, lædendi te tamen illa
Maxima: & urbs Ulma, tua quondam regia villa.
Cur jam non mœres opido quæ plena redundabas.
Dico luctanter, deste nunc te Augia mater,
Da studium Christo, ne nos fortuna siniſtro
Cum pede prosternat, nobis & gaudia demat.
Nam pietate sua sic disponente remota
Omnibus è terris speciali pace quiescis
Libertate potens, terrena negotia spernens.
Solius Domini tantum socieris amori,
Servitioq; sacræ fervens devota Mariæ.

Hypermeter.

Wildensteiniorum familia.

54. *Fridericus*, liber Baro de Wartenberg, dictus Dominus de Wildenstein, ex vetusta & nobili admodum familia natus, Conventualis ad S. Blasium in nemore Hercynio, & præpositus apud Klingenovium prope Basileam, postulatur à circumiacentibus Regulis ac Monasterii Vasallis, & à Comitibus, ac Baronibus sibi sanguinis necessitudine conjunctis, cœnobii Augiensis casum dolentibus. Etsi autem & alii duo, Baro videlicet de Gundelfingen, Canonicus Constantiensis, & Albertus, Baro de Saxen, Conventualis Einsidlensis, eandem prælaturam Romæ ambi-

ambirent: tamen Fridericus clavum apud Martinum 5. Pont. Max. quem antea in Augia divite magnifice tractarat, tempore Constantiensis Concilii, Romæ facile obtinuit. Anno igitur Domini 1428. præsidere cœpit cœnobio, cujus ipse merito suo secundus Pyrminius, hoc est, reparator & secundarius fundator appellari potest. Reformavit Augiam ad observantiam & regulam S. Benedicti. Et, cum inveniret tantum duos ibi Barones, Henricum, Comitem de Lupffen, & Joannem, Baronem de Rosseneck, qui tamen ambo relicta religionis professione discedebant propter summam cœnobii penitus exhausti inopiam, primus iste conventum ex nobilibus collegit, advocatis primum aliquibus ex D. Blasii cœnobio, qui sacra facerent. Invenit Monasterium pauperrimum, quod sua diligenti gubernatione resarcivit undiquaq;. Bibliothecam etiam collegit, doctos homines apud se aluit, à quibus plura disceret. Interfuit Concilio Basiliensi, ubi singulis diebus etiam sapientiæ auditorium ingressus, doctos audivit. Fuit ecclesiasticarum ceremoniarum diligentissimus curator, executorq;, vir religioni summo studio deditus. Quamdiu præfuerit autem, nusquam invenio, quemadmodum etiam de aliis Abbatibus, qui ei successerunt, nihil ferè præter nuda nomina in fastos relatum est, quod isti Abbates fortassis, ut aliqui superiorum temporum, bellis gerendis dediti essent, & seculum barbarum non haberet amplius monachos, ejusmodi annotationum studiosos, vel de annalibus posteritati relinquendis curiosos.

Augia restauratur assumtis nobilibus personis.

Friderici Wildensteinii amor in Literatos.

55. *Joannes* ab Hunwill, nobilis genere, ex Conventuali Abbas designatur. Sed quo anno id factum sit, vel quamdiu ad clavum sederit, id omne incertum est.

56. *Joannes Pfauserus* à Norsteten, nobilis & Conventualis, Baccalaureus Viennensis Academiæ, successit Joanni ab Hunwill. Dicebatur vulgo paranomasia quadam *Sauserus*, quod omnia abliguriret, & tantum conviviis & comessationibus delectaretur.

Prodigus quidam Sauser dictus.

57. *Martinus*, Comes de Weissenburg, ultimus de Comitibus, Pfausero è vivis sublato subrogatus. Aliud de eo habeo nihil.

58. *Georgius* Piſcatoris, ex Zuifalto duplicium Aquarum, Wirtenbergenſi cœnobio, ad Augiæ gubernationem aſſumtus, præfuit quatuor annis & prudentiſſime & utiliſſime. Mediocriter enim Monaſterii res & facultates inſtauravit & auxit.

Hohenkrehe, arx Hegoviæ.

59. *Marcus à Knœringen*, ultimus ejus loci Abbas, contendit anno Domini 1512. cum Epiſcopatu Conſtantienſi. In ea diſſenſione arx Hohenkrehe à Sueviæ confœderatis vaſtata eſt. Poſtea anno Domini 1540.

60. *Joanni à Wetza*, Epiſcopo Conſtantienſi, & Archiepiſcopo Lundenſi, Abbatiæ gubernationem reſignavit, qui eam ipſam Abbatiam Epiſcopatui Conſtantienſi conſenſu Romani Pontificis incorporavit. Præfuit iſte Epiſcopus Joannes Conſtantiæ annis decem. Obiit apoplexia Auguſtæ in frequentiſſimis Principum Comitiis à Divo Carolo V. habitis, anno Domini 1548. decima quarta Junii, ætatis ſuæ anno quinquageſimo nono: unde, ſed curato prius ſolenni pompa funere, proſequentibus usque ad ipſas urbis portas omnibus Principibus, ad Augiam hanc divitem elatum eſt cadaver plumbeo loculo, & honorifice ibi humatum, cum tali elogio, cujus author eſt Doctor *Andreas Maſius*, egregius vir, plurimarum linguarum cognitione illuſtris, Reverendiſſimi Epiſcopi (dum viveret) Secretarius. Carmen eſt Tricolon Tetraſtrophon.

O vanas hominum ſpes, fera ludere
Quas gaudent vicibus fata latentibus!
O duras nimis Orci
Leges! vindice nemine,
Sontes innocuis, Regibus aſſeclas,
Infirmis validos, & pueris ſenes,
Siſtit quemq; ſua ut ſors,
Æquas exitio pari.
Sic ſic quem tulerat læta Sicambria
Weza ſtirpe ſatum, ſanguine nobili
Formarat, tenerosq;
Agrippina Colonia

Claris

Claris artibus & moribus optimis
Annos, in stabilem nominis incliti
Spem famæq; perennis:
Mox quæ ætas daret insequens.
Cujus prima adolescentia Maximo
Virtutis specimen Pontifici dabat
Præclaræ, quoties ex-
Plerat credita munia.
Quem Rex consiliis Cimbricus intimis
Admovit juvenem: antistitis & sacro
Auxit munere Lundæ,
Dehinc fidum comitem fugæ
Per terram usq; suæ, per mare comperit.
Cuiq; arcana sacro pectore condita
Quintus Carolus annos
Ausus credere bis decem,
Magnis imperii non sine commodis
Fortunisq; sui: qua Rhodanus meat,
Qua Bætisq; Tagusq;,
Qua Rhenus fluit impiger.
Qua flavo Tiberis labitur agmine,
Longus qua vehit Istrum alveus uberem,
Ad reges populosq;
Ferre oracula jusserat.
Quem promto eloquio, leniter, acriter
Divini innumeris viribus ingeni
Lingua deniq; quavis
Sensus Cæsaris abditos
Pandentem stupuit Gallia, Bætica,
Et Germania lata & Latium potens,
Hunnusq; advena pugnax,
Tota Europaq;. Quem tuis
Postremum inclita Constantia præsidem
Sacris jam labefactis nimium, accipis:
Denos & colis annos
Prudentem, vigilem, & pium.

Brulchij
Chronolog.
Monasterio
rum Germa
S. III.
x

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

En dum se meritis sperat honoribus
Tandem posse frui: Prò dolor, invida
Fallunt fata viri spem:
Urna sors male condita
Ferali extrahitur: Dira apoplexia
Extinguit subito: funera Principum
Omnis perficit Ordo
Augustæ: unde clientuli
Multis cum lachrymis, huc humeris suis
Portarunt onus, heu, triste cadaveris,
Liquerunt tumulo, hoc
Luctus pignora perpetis.
Quam primus ditioni addidit insulam
Susceptæ, ut decoret primus Episcopus
Æternæ monumento
Famæ, & numine consecret.
Ergo quisquis ades, tristia contuens
Magni fata viri: Manibus optima
Tantis cuncta precare, &
Sortis vive memor tuæ.

Banthum. BANTHUM, quod hodie corrupto & abbreviato vocabulo Bantz dicitur, in dextra descendentis è Voitlandiæ montanis versus Franciam Orientalem Mœni, inter Liechtenfelsium & Staffelsteinium oppida, dextram versus in altissimi montis vertice situm: olim insigne & novem robustissimis turribus firmatum ac præclare communitum Castrum, primùm Baronum à Banth, tandem per matrimonii contractum Marchionum Vohenburgensium, qui latissime tum dominabantur, ad castra videlicet Schaumburgum & Sunnenburgum usq;, item ad confinia Herbipolensium ac ad Gelenhusium usq;. In quo castro S. Chunigundis nutrita & à S. Alberade educata esse legitur. Nunc verò cœnobium D. Benedicti, Herbipolensis diœceseos: id fundatum legitur in S. Dionysii honorem

Marchiones à Voburg.

S. Chunigundis ubi educata.

rem anno Christi 1071. regnante Heinrico IV. Rom. Imp. ab illustri Domina Alberade, Comitissa de Banth, cujus maritus Hermannus, Marchio Voburgensis, in equestribus certaminibus, hastiludio sive torneamento, hodie ut vocant, Herbipolensi, equestri lancea transfossus occubuerat, in cujus memoriam sempiternam in terris ex arce, majorum suorum sede, domum orationis fecit, additis prædiis plurimis inter Banthense castrum, Sunnenburgum, & Schaumburgum: fluviosq; Itheſin & Moganum sitis. Domina Alberadis fundatrix in cœnobii Banthensis primario templo sub ara S. Trinitatis sepulta dicitur. Habuit hæc filios tres Henricum, Othonem, & Conradum, quorum nomina thuribulo inscripta reperta sunt: quorum etiam unus in præterfluente Mœno trocho ludens super glacie periit: filiamq; à nobili quodam Centauro de Ratzenburg raptam ac devirginatam, propter quam Heidingsfeldense monialium cœnobium, supra Herbipolin in sinistra Mœni situm, construxit & fundavit, in quo dicta filia & filius Conradus humati cubant. Erat initio utriusq; sexus monasterium, quod cum esset paulo post primam fundationem, nescio quo casu aut infortunio, misere vastatum ac collapsum, abolita prius & amota monialium congregatione, instauratum & redintegratum est anno Christi 1127. à sancto Othone, Comite Andecensi, Episcopo Bambergensium octavo, qui Pomeranorum (propterea quod ipse prius eos in fide Christiana imbuerit) appellabatur Apostolus. Is Rapathoni, Comiti cuidam de Wolfeswack, cœnobii prius non admodum fideli Advocato, tam diu institit, donec ex eo vicissim extorqueret, quicquid bonorum & prædiorum antea is per vim cœnobio abstraxerat: imo ut de suis propriis etiam aliquid jam ad recompensationem delicti hujus sui adderet. Abbates ejus loci tantum hos hactenus inquirere & adipisci potui.

Hastiludium triste.

Alberadis, Comitissa.

Heidingsfeldum, virginum cœnobium.

Otho Pomeranorum Apostolus.

Abbatum catalogus.

1. *Baldwinus*, ex Prifelingensi prope Ratisbonam sito cœnobio evocatus, præficitur renovatæ Banthensi Abbatiæ anno Domini 1127. ab ipso S. Othone Episcopo Bambergensi, sub quo dedicatum est templum S. Petro Apostolo & S. Dionysio Martyri. Abbas iste moriens reliquit post se 40. monachos.

2. *Conradus* Abbas præfuit Banthenſi cœnobio ſub Epiſcopis Bambergenſibus Eberhardo & Hermanno. Habitabat *Steglitz caſtrum.* hujus Abbatis tempore in vicino caſtro Steglitz (quod nuper à Meroniæ ducibus devolutum erat hæreditario jure ad nobiles viros de Razenburg) Centaurus ille Razenburgius, qui filiam fundatricis Alberadis rapuerat. Is omni perſequutionis ac tyrannidis genere monachos opprimere ſtudebat, quorum bona per fas & nefas ad ſe rapiebat, inſatiabilis Harpyjæ inſtar. Sed, cùm puniviſſet eum Deus, ita ut filium, quem ex rapta puella exceperat unicum, S. Siſelinum nomine, ad inſaniam redactum, ac ipſum ſibi pedes & manus crudeliter laniantem, & ita expirantem cernere cogeretur, motus ille miſerrimo hoc ſpectaculo, & ſua etiam ægrotatione, pœnitentiaq; actæ vitæ ductus, arcem Stegliz, ante Dominæ Alberadi per vim ademtam, ſemel miro ſtratagemate recuperatam, Abbati huic Conrado & Conventui Banthenſi dono dedit, & omnibus ſeculis tradidit poſſidendam. Hanc Abbas mox dirui ſoloq; æquari fecit, ne quis amplius illic Cacus latibulum habere, & monachis moleſtus eſſe poſſet.

3. *Eberhardus*, nobilis heros à Schaumberg, obiit anno Chriſti 1404. cui quis ſucceſſerit, non invenio. Neceſſe, eſt autem aliquem fuiſſe inter hunc Eberhardum, & alterum Eberhardum ſequentem.

4. *Eberhardus*, nobilis vir à Lichtenſtein, obiit anno Domini 1474.

5. *Triſtramus Zuffrus*, egregius eques, præfuit novem annis. Obiit anno Domini 1483.

6. *Henricus Gros* à Drokau, frater Epiſcopi Bambergenſis Henrici, eligitur anno Domini 1483. Præfuit annis 22. Obiit anno Domini 1505.

7. *Joannes Sagittarius* eligitur anno 1505. Præfuit annis 24. Vidit primo ſuæ gubernationis anno conflagrare ſuum cœnobium incendio domi nato, quod cum mediocriter inſtauraſſet, venerunt anno Domini 1525. ſeditioſi Oſtrofrancorum agricolæ, idemq; funditus pene denuo devaſtarunt. Obiit Abbas iſte anno 1529. menſe Julio.

8. *Alex-*

8. *Alexander Rubigallus* vel de Rubeogallo, vulgò Rotenhan, succeſſit Joanni ex hoc ſeculo evocato, vir procerus & humaniſſimus. Præeſt adhuc laudabiliter & utiliſſime hoc anno Domini 1550. Reædificavit monaſterium, ab agricolis incenſum ac vaſtatum, ſatis magnifice: inſtituitq; in eo inſignem ſcholam tam pro nobilibus adoleſcentibus, quam pauperibus quoq; pueris. Conſtruxit & Bibliothecam, ad quam per 30. ſaxeos gradus aſcenditur, è quibus amæniſſimus eſt proſpectus in Mœntum & in vicina oppida, Staffelſteinium ac Liechtenfelſum: quæ Epiſcopum Babenbergenſem habent Dominum: in ipſam item Babenbergenſi urbi confinem arcem Aldenburgenſem, in qua olim optimus Imperator Philippus, Friderici Barbaroſſæ filius, ab Othone de Wittelsbach, Bavarorum duce, trucidatus legitur. In hujus reverendi patris ac liberaliſſimi Abbatis gratiam extat in ſylvarum mearum libro octavo tale elegidion ſuperioribus annis luſum. *Bibliotheca Banthenſis.*

Si laudantur adhuc Epheſinæ templa Dianæ,
Et Mauſolæi grandia buſta vigent:
Si memoratur adhuc hodie Babylonia turris,
De qua nil penitus nunc ſupereſſe ferunt.
Ipſa ſuos ſi jactat adhuc Rhodos alta Coloſſos,
Quos olim ſalvos, nunc ferus hoſtis habet.
Quis noſtras prohibet nos commemorare vetuſtas
Ac plenas veteri relligione domos?
Quas partim ad fluvios nobis Germania monſtrat,
Partim intra montes & juga ſumma ſitas.
Has inter Banthum eſt ad Mœni fluminis undas
In valde excelſa condita rupe domus.
Quam ſtudio quondam & veræ pietatis amore
Condidit eximia fœmina laude potens.
Principis à Voburg Albradis nobilis uxor,
Cum poſt Chriſti jerant tempora, ſecla decem.
Centaurorum ita quæ fuit olim barbara ſedes,
Nunc Chriſti membris eſt ſchola facta piis.

Apta

Apta domus Musis, & Apollinis artibus æquis
Christiadumq; piis apta ministeriis.
Hanc modo Alexander Rubri cognomine Galli,
Præditus eximia vir bonitate regit.
Ille novenarum fautor tutorq; sororum,
Quem sinat in multos vivere Parca dies.

❁ ❁ ❁

Beatæ Virginis Monasterium.

BEATÆ VIRGINIS Lutzelburgense Monasterium ordinis D. Benedicti, extra muros civitatis situm, fundatum est annum Domini circiter 1080. sub Imperatore Henrico Quarto, à Conrado, Comite quodam Lutzelburgensi, ejus gentis, quæ postea ad ducalem dignitatem sub Carolo quarto Imperatore evecta est. Occasio constructi cœnobii erat, quod Conradus, ob rationem nescio quam, à Romano Pontifice excommunicatus, cum absolutionem peteret, hanc quasi viam quandam redeundi cum Pontifice in gratiam ingredi cogebatur, ut & pedes Hierosolymam religionis ergo adiret, & inde rediens de suis facultatibus cœnobium construeret. Catalogus ejus loci Abbatum non extat integer. Cum enim anno Domini 1543. bellum gereret Imperator Divus Carolus V. contra Gallum, qui tum Lutzelburgensem ducatum invadere, & urbem expugnare absente Cæsare ausus fuerat: in eo inquam bello monasterium à Gallis direptum, exustum, & vastatum, & Joannes, Bohemiæ rex, Comes etiam Lutzelburgensis (qui in ejusdem cœnobii templo honorifice fuerat depositus) ab iis Gallis tumulo exemtus, in Minorum cœnobium (quod in superiore ac monti insita civitate splendidum est) deportatus: Bibliotheca vero tota misere distracta est, ita ut nihil amplius librorum aut monumentorum ibi reliquum manserit, præter plumbeam tabulam in sepulchro fundatoris repertam, cujus inscriptionem, mihi ab ejus loci nuper adeo defuncto Abbate communicatam, huic loco, quod cœnobii originem contineat, inferere volui. Ea talis est:

Peregrinatio Hierosolymitana.

Bibliotheca Lützelburgensis monasterii distracta.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Quiescit hic Comes Conradus. Hic cum inter seculi principes fama probitatis esset celeberrimus, sepulcrum vitæ principis adiit amore divino succen-

ſuccenſus, indeq; rediens, divina ſe vocante clementia, obiit peregrinus, ſepultus in terra decenter, non ſua: indeq; anno dormitionis ſuæ ſecundo ſublatus, anno quarto, ipſo die annuæ migrationis ſuæ de ſeculo hic fuit repoſitus, præſente conjuge ſua Clementia, per manus filiorum ſuorum Adelberonis, primicerii Metenſis, Henrici Comitis, Conradiq; Comitis, præſente Rodolpho Abbate filio Comitis, quem ipſe proviſorem & ordinatorem hujus loci ſtatuerat. Facta ſunt hæc regnante permiſſu Dei Henrico, tyranno damnato, ac piæ memoriæ Gregorio pontifice Romano. Obiit autem ſexto Idus Auguſti anno Dominicæ incarnationis 1086.

Catalogus Abbatum.

Ex hac inſcriptione conſtat, Rodolphum, filium Conradi Comitis & fundatoris, primum fuiſſe hujus loci Abbatem. Cujus ſucceſſorum nomina & res in proximo bello Gallico interciderunt. Poſtremi tamen Abbates, à nuper adeo mortuo ejus loci gubernatore hi mihi (cum Lutzelburgi eſſem, & Clariſſimi viri D. Doctoris Keckii, Vicepræſidis Imperatorii ac Domini in Thorn, epiſtola duce eum conveniſſem) nominati ſunt, qui ſequuntur.

1. *D. Suiggerus Burſcheid*, vir nobilis & eximia authoritate præditus, qui & diutiſſime & utiliſſime præfuit, conſtruxit ambitum monaſterii.

2. *D. Bernhartus Orley* nobilis.

3. *D. Nicolaus de Ara Lunæ*, non procul diſtante oppido, primus genere ignobilis, ante quem qui præfuerunt, omnes nobiles & majorum imaginibus conſpicui fuiſſe perhibentur.

4. *D. Jonnnes Heyco*, ex Trajecto inferiore natus, Protonotarius Apoſtolicus, fit Abbas anno Domini 1503. Præfuit duobus annis. Obiit anno 1505.

5. *D. Joannes Helmundus*, Brabantinus, & Trevirorum Archiepiſcopi ſuffraganeus, præfuit annis undecim. Obiit anno 1517.

6. *D. Nicolaus Widburgius*, Lutzelburgenſis, præfuit annis quinq; & menſibus tribus. Obiit anno 1522.

Pocula deaurata à Carolo V. Lützelburgensi monasterio donata.

7. *D. Joannes Harderus*, Lutzelburgius, præfuit annis 26. Vidit vastationem & ruinas sui cœnobii anno 1543. in bello Gallico. Sub ejus gubernatione cum Lutzelburgum iterum magnanimiter recuperasset Divus Carolus V. Imperator invictissimus, dotavit idem Imperator tria Lutzelburgensia monasteria in festo trium Regum de more suo tribus argenteis & pulchre deauratis poculis, ex quibus ipse etiam aliquoties bibi. Obiit Abbas anno Domini 1549. quo publicus Conventus omnium statuum totius ducatus Lutzelburgensis habitus est, de quo talia ego lusi epigrammata, quibus annus per litteras numerum significantes insertus est.

Conventus Lützelburgensis.

CaroLe DIVe, gVbernator tVVs InCLITVs ILLe
LVtzeLbVrgenses ConVoCat eCCe statVs.

Aliter.

In LVtzeLbVrgo CoIt orDo totVs eqVestrIs:
ConVoCat hVnC QVIntVs CaroLVs eCCe Leo.

8. *D. Nicolaus Bidburgius*, Lutzelburgius, superioris Abbatis Nicolai è sorore nepos, eligitur anno Domini 1549. vir latinè non vulgariter doctus, & facundus, sed natura iracundus & contractus: parvus statura corporis, sed ingenio profecto non itidem. Is cœnobium à Gallis vastatum in inferiorem civitatem Lutzelburgensem transferens, mediocriter ibi ad Alsum fluviolum reædificat, ubi antea xenodochium erat. Dicitur nunc etiam rebus humanis exemtus esse. In ejus gratiam lusi de ejusdem cœnobii fatis tale schediasma.

Hanc DIS sacratam quis primus struxerit ædem,
Si quis scire cupit, carmina pauca legat.
Conradus Comes illustris Lutzburgius omni
Virtute, & meritis, & pietate potens,
Pro se, proq; suis majoribus omnibus istum
Condidit illustrem conspicuumq; locum.
Cui mox Abbatem præfecerat ipse Rodolphum
Illustrem gnatum magnificumq; suum.
Consensit conjunx, Clementia, fortis amatrix
Quæ superûm & veræ relligionis erat.

Consensere trium natorum pectora læta,
Urbis Adalbero nempe Metensis honos.
Conradus Comes, Heinricusq; : omniq; parentem
Parte instaurantem talia templa juvant.
Tandem ardore Dei Solymas peregrinus ad urbes
Iverat, ut sacrum cerneret ipse locum.
In quo pro mundi peccatis mortuus ille est,
Qui nobis pura è Virgine natus erat.
Inde reversurus cum morbos æger acutos
Incideret, mentem misit ad astra suam.
Corpus ab uxore & natis pro more relatum
Huic commendatum dicitur esse solo.
Occubuit, cum post Christum millesimus iret
Annus, & octodecim lustra peracta forent.
Hæc cum sacra domus lacerata à milite Gallo
In bellis esset, Carole Quinte, tuis,
Instaurare illam translatam providus Abbas
Nicoleos patriæ cœpit amore suæ,
In Lutzelburgo natus Bidburgius, ipsa
Qui regis Jani huc transtulit ossa quoq;.
Tu quicunq; soles istac transire, Viator,
Tempora fac nobis fausta preceris, abi.

Est & monialium nobili genere natarum celebre ac magnificum Sancti Spiritus Cœnobium intra muros Lutzelburgenses, in sublimi & extremo penè montanæ civitatis angulo situm, Ordinis olim pœnitentium sororum, fundatum & constructum annum Christi circiter 1140. à Ducissa quadam Lutzelburgensi. In quo postea ordo S. Claræ cœpit anno Christi 1257. Huic cænobio præfuerunt Abbatissæ. *Sancti Spiritus cœnobium.* *S. Claræ Ordo.*

1. Domina *Elisabeta à Borscheid vel Orley*, soror Suiggeri, Abbatis in D. Virginis submontana Abbatia Lutzelburgensi. *Catalogus Abbatissarum.*

2. Domina *Agnes* de Rupe, præfuit annis 33. laudabiliter. Obiit anno 1521.

3. Domina *Elisabeta ab Orley*, præfuit annis quindecim. Obiit anno Domini 1536. in ambitu sepulta.

4. Domina *Anna ab Eugenſtorp*, dicta Meereligina Juliacenſis, facundiſſima domina, eligitur anno Domini 1536. in die S. Martini. Præſidet adhuc currente hoc Jubilæo viginti quatuor ſororibus laudabiliter. Sub ejus gubernatione ſepultus eſt in ejusdem templi choro magnificus ac Clariſſimus Dominus, Doctor Nicolaus à Nave, Imperatorius Conſiliarius, cum conjuge Guta, filia Franciſca & filio Joanne, legum eximio etiam doctore Imperialiq; Conſiliario.

Doctor Nicolaus à Nave.

❁ ❁ ❁

BONA CELLA, Germanicè **Gutezell** / ſive, ut ex vetuſtis quibusdam diplomatibus collegi, Dei Cella, Germanice *Gotteszell*, monialium olim ducentarum, nunc duodecim ſaltem præclarum cœnobium in Suevia, non procul ab Ochſenhuſio, quatuor miliaribus ab Ulma, Sueviæ metropoli, ordinis Ciſtertienſis, ſub cura & viſitatione Abbatis Salemitani: fundatum eſt in honorem ſanctorum Coſmæ ac Damiani, primum à duabus ſororibus Comitiſſis à Schlosberg, venerabilibus ac religioſis Dominabus, quarum nomina interciderunt, fortaſſis in incendiis, ſicuti etiam ipſe annus primæ fundationis. Donarunt vero & locupletarunt hoc cœnobium poſtea nobiliſſimi Comites arcis Aychaim, ad Ilerum amnem ſitæ, quorum utriusq; ſexus nomina hic ſubjungere in perpetuam rerum memoriam volui. Sunt autem, *Bertholdus* Comes, qui obiit anno 1330. & hujus filius, *Udalricus*. Item *Eberhardus*, *Hugo*, *Gulielmus*, *Ruffus*, *Fridericus*, *Conradus*, *Ruffus* ſecundus, *Marquardus*: Domina *Kunigundis*, Domina *Juta*, Domina *Adelheidis*, Domina *Bertha*, Domina *Betha*; omnes Comites, & Comitiſſæ de Aychaim in eodem cœnobio ſepulti. Item Domina *Anna*, Comitiſſa de Kirchberg, nata de Aychaim, quæ obiit anno Domini 1369. Domina *Anna de Alto Rechbergo*, Duciſſa Deccenſis, & Domina *Bertha* de Griſſingen, magna benefactrix Bonæ Cellæ, quæ obiit anno 1444. Habent verò & alii nobiles plurimi ſua in eo cœnobio ſepulchra, nobiles videlicet à Gieſſenberg, Rechbergeri ab Alto Rechbergo, & nobiles de Bauſtetten, fundatores Heckenbacenſes, *Fridericus* item à Schwenda, qui obiit anno 1375. Abbatiſſæ

Schloſsburg.

Comites de Aychaim.

batissæ ejus loci fuere à prima fundatione ad hæc usque tempora. *Abbatissarum series.*

1. Domina *Mechtildis.*
2. Domina *Ita.*
3. Domina *Hiltadis.*
4. Domina *Loicardis.*
5. Domina *Gertrudis*, quæ præfuit anno 1299.
6. Domina *Haylga.*
7. Domina *Guta.*
8. Domina *Elisabeta Freyhin.*
9. Domina *Otilia Durlacherina*, quæ obiit anno Domini 1491.
10. Domina *Walburgis Gretenna*, quæ obit anno Domini 1504.
11. Domina *Walburgis Buglerina*, Ravenspurgi nata, quæ obiit anno 1516.
12. Domina *Catharina Bechtina*, Ulmensis, quæ decem annis præfuit, & anno Domini 1526. exauthorata, Poundum in aliud Sueviæ vicinum monasterium profecta est.
13. Domina *Barbara à Stoczingen*, præfuit duobus annis, & obiit juvencula anno 1528.
14. Domina *Magdalena à Freyburg*, præfuit 14. annis. Valedixit hominum in terris viventium consuetudini anno Domini 1542.
15. Domina *Maria de Landenberg*, honestissima gubernatrix & uere uirtuosa herois, eligitur anno Christi 1542. Præest adhuc laudabiliter hoc currente anno 1551. Hæc ipsa vere laudandis virtutibus ac moribus prædita Domina, inter cum hæc, tum alia multa, breves etiam literas Imperatoris Rudolphi Habspurgii, brevissimæ membranæ inscriptas, legendas mihi exhibuit, quas hoc loco cum in sacratissimi Imperatoris nostri D. Caroli V. tum hujus cœnobii honorem subjungere placuit: id Lector grato ac benevolo animo ut excipias, oro. *Rudolphi Imperatoris literæ.*

Rudolphus, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, universis Imperii Romani fidelibus, præsentes literas inspecturis,

ris, gratiam suam & omne bonum. Ob sacræ religionis reverentiam, quam tenemur speciali gratia prævenire, tam futuris, quàm præsentibus volumus esse notum, quod quicquid vel quantumcunq; religiosis personis, Abbatissæ & conventui & cleris in monasterio Godenzelle Cistertiensis ordinis, de feudis, quæ tenentur ab Imperio, vel aliis proprietatibus quibuscunque usque ad centum marcarum valorem per quoscunq; donatum vel legatum fuerit, de nostræ procedat beneplacito voluntatis, præsentium testimonio literarum. Datum Ulmæ VII. idus Januarii, Indict. XI. anno Domini 1283. regni nostri anno decimo.

❁ ❁ ❁

BUCHAUGIA vel Buchovia, Bucau / Canonissarum seu monialium nobilium ac antiquo stemmate majorumque imaginibus conspicuarum, ab omni tamem ordine, professione ac voto immunium ac prorsus liberarum, collegium potius, quàm cœnobium in Suevia, ad ejusdem nominis amœnissimum lacum, quem vulgo liberum lacum, vel plumarum lacum **Seederſee** vocant, non procul à Biberaco, urbe Imperiali, in Suevis situm: in quod assumi solent tantum Comitissæ & Baronissæ, quæ ibi sub Abbatissa pudice & probe educari, ad pietatem & virtutem informari, postea nubiles & ambitæ aut expetitæ egredi iterum & honeste nubere solent, quod omnibus concessum & liberum, soli Abbatissæ propter acceptam Pontificiam benedictionem, ut vocant, integrum non est. Iccirco non moniales, sed expectatrices potius, & domus ipsa non monasterium, sed honestissimæ disciplinæ magis domicilium ac sacrarium (ut erant omnia olim cœnobia) nominari debebat. Id inquam amplissimum ac pulcherrimum collegium fundatum legitur in honorem sanctorum Cornelii & Cypriani à Domina Adelinde, Hildebrandi, potentissimi Suevorum ducis filia, Hildegradis Reginæ & Campidonensis fundatricis sorore, Comitis verò Othonis à Kesselburg in Blanchina valle circa Biberacum habitantis relicta vidua, quæ ibi sepulta est.

Monialibus Buchaviensibus nubere concessum.

D. Adelindis, Hildegardis Reginæ Soror.

Tota fundationis historia sic se habet. Imperabat Suevis ante annos octingentos, Pipini Galliarum regis temporibus, poten-

tentissimus quidam rex, Marsilius, Laureaci in ducatus Wirtembergensis prædivite cœnobio sepultus. Is Pipinum, Galliarum regem, à Stephano secundo Pont. Max. in Italiam contra Longobardos provocatum, ac iccirco armata manu Romam profectum sequutus, strenue se ibi gessit in expugnandis Longobardorum munitionibus & invadendis sternendisque aciebus. Post adeptam ex Longobardis victoriam & servatam Romam à tyrannide Haistulphi, Longobardorum regis, duxerunt Pipinus ac Marsilius inter alios captivos ac datos obsides, duos etiam egregios juvenes, Bonosium ac Sophonium, Russonis Longobardici cujusdam reguli, aut, ut aliqui volunt, Græci alicujus Comitis de Tragento (qui in hoc ipso bello occubuerat) filios secum in Germaniam. Sophonium decem annorum puerum Pipinus sibi vendicabat: Bonosium, uno anno majorem natu, Marsilius apud se retinuit, & in Laureacensi cœnobio sacro baptismate ablui fecit. Hic adolescens omnibus Sueviæ incolis nullo jam alio nomine notus erat, quàm quod nuper baptisatus Comes appellaretur undique. Quia vero egregia ex puero virtus elucebat, charissimus erat principi Marsilio Bonosius, qui cum successu temporis unà cum ætate proceram etiam staturam, egregium corporis robur, rerum item bellicarum non vulgarem peritiam consecutus esset, omnibus totius regni, cum summis, tum infimis admirationi fuit.

Lorch cœnobium.

Longobardi à Marsilio superati.

Bonosius, Comes.

Venerant tum recens in Germaniam è Roma nobilissimi Comites Montisfortis. Horum unius filiam quandam dedit Marsilius Suevorum rex huic ipsi Comiti Bonosio in uxorem: dotis vero loco provinciam illam, quæ Lacui plumario & Biberacensi pago vicina erat. Peractis regia pompa & solenni apparatu nuptiis, prodibat aliquando Bonosius cum sponsa sua Domina Montfortia, ut quæreret locum ædificandæ arci idoneum: quem cum in densis nemoribus inveniisset commodissimum, dixit inter alia charissimæ nuptæ suæ: O bella, o chara mea & dulcissima animula, si Dei bonitate & misericordia in promtu jam nobis essent opes & pecuniæ, quas Tragenti charissimus pater meus terræ infodit, cum videret oppugnari urbem

Comitum Montis fortis in Germaniam adventus.

bem ac dulciſſimam patriam ſuam, quàm ego nobis vellem in hoc ipſo amœniſſimo tractu bellam extruere arcem, quæ poſteris noſtris domicilium eſſet, & ſedes, & habitatio. Cui mox etiam, in honorem æternæ ac omnipotentis Triados, egregie ornatum Templum adjicerem pro gratiarum actione, quòd me tam clementer illa miſericordiæ ſuæ oculis aſpexerit, & extinctis meis omnibus non ſuperſtitem ſolum eſſe me paſſa eſt: ſed fecit etiam, ut ſacro Baptiſmate æternæ ipſius Eccleſiæ inſertus, jam illum agnoſcere cœperim, à cujus notitia omnis pendet vita, ſalus, ac felicitas mortalium. Has voces cum audiſſet Montfortia, conſolata eſt Bonoſium ſuum, ac animo hilari eum inchoare jubet in nomine agniti æterni ac miſericordis Dei cum arcis tum Templi conſtructionem: Deum dubio procul dubiis conatibus non defuturum, & eum (qui vitam ac alia meliora dediſſet) vere etiam cætera non negaturum, quibus opus eſſet in hac mortali vita. Talibus ultro citroq; habitis ſermonibus in nomine Chriſti locum inventum accedunt, & fodere incipiunt firma ſpe certi ſubſidii divini. Cumq; foderent pio bonoq; ſtudio, invenerunt fauente Deo mox ahenum ſive caldarium amplum, ingens & capax, pecuniis, auro, & argento plenum. Hilares itaque Deo gratias agunt, & arcem una cum Templo erigunt, cui titulum ac nomen indunt ab invento lebete, totumq; adjacens territorium ſuum, Caldarienſem ſive *Keſſelburgenſem* Comitatum appellant. In hac ipſa arce Montfortia heroïs enixa eſt Bonoſio ſuo primum filium Beronem. Condidit idem vero Bonoſius mox Warthuſenſe etiam in hac ipſa vicina caſtrum. Aliud de ipſis invenitur in literas relatum nihil.

Gratus animus in Deum, pro baptiſmatis beneficio acceptо.

Theſaurus divino beneficio inventus.

Keſſelburg, vel arx Caldarienſis, unde dicta.

Warthauſen.

Bero, Bonoſii filius.

Bero, filius Bonoſii & Montfortiæ, ducta uxore nobili puella de Bodmen, pater quatuor filiorum *Clingoldi*, *Huſſonis*, *Tallatarii*, & *Burridonarii*, duarumq; filiarum, *Perſinæ* & *Berillines*, factus eſt. Hos omnes à primaria arce Keſſelburgenſes Comites tota appellavit circumjacens vicinia, fortes ac ſtrenuos bellatores, totius circumiacentis provinciæ defenſores acerrimos, Regibus ac Imperatoribus gratos. Horum unus Tallatarius uxorem ducens Comitiſſam Hillermontanam, filium Godefridum genuit,

Comites à Keſſelburg.

genuit, Comitem Kesselburgensem: is postea ex Andecensi Comitissa Bavarica Hattonem vel Othonem filium suscepit. Iste sive Hatto sive Otho, Comes Caldariensis, ex ephebis egressus, strenuus ac egregie exercitatus juvenis, Dominus opulentus ac potens, qui vicinis etiam Principibus prudentia & consilio suo proderat sæpe, potentissimi Svevorum Ducis Hildebrandi, & Dominæ Regardæ, Bavarorum Duciss, nobilem ac illustrem filiam, Dominam Adelindin, in arce Andechs natam, sororem Hildegardis Reginæ (quæ Carolo Magno desponsata fuerat) uxorem duxit: quæ quatuor ei filios peperit, egregios juvenes, Comites Kesselburgenses, *Beringerum, Reginolphum, Gerhardum,* & *Hattonem.* Accidit vero, ut lustris aliquot labentibus irruerent in Germanias Hunni, effera ac omnino barbara gens, minitans Germaniæ extrema omnia. Ibi admoniti à Carolo Magno Germaniæ Principes prodeunt obuii Hunnis. Commissum est autem ingens prælium prope Biberacum, in quo Otho iste, Comes Tragentinus & Caldariensis, cum tribus filiis Beringero, Reginolpho, & Gerhardo inter cæteros fortiter pro defensione patriæ occubuit. Locus ipse, in quo pugnatum est, postea Vallis planctus à planctu Dominæ Adelindis & accolarum (qui suos ibi amiserant charos) cognominatus est, quem hodie adhuc corrupta voce Planchinam vallem accolæ appellant. Atto vel Otho, quartus filius Comitis Othonis & Dominæ Adelindis, religioni deditus ac diaconus factus, paulo post mœrore animi contabuit. Fusis vero Hunnis, & ex Germania virtute Caroli Magni ejectis, Domina Adelindis trucidata mariti ac filiorum corpora collegit, & in sempiternam eorum memoriam Buchoviense monialium Augustinianæ primum professionis cœnobium fundavit, in cujus templo maritum cum filiis honorifice sepeliri fecit. Ipsa postea tædio & odio vitæ, redditis Deo omnibus bonis, possessionibus, & facultatibus suis, mundo in universum valedicens, prima sui cœnobii facta est gubernatrix, in quo mortua tandem honorifico Mausolæo terræ parenti reddita est. Annumeratur Divarum catalogo propter insignem vitæ ac morum innocentiam: festum ejus celebratur in die S. Augustini, hoc est,

Otho, Comes Caldariensis.

Hunni irruunt in Germaniam sub Carolo Magno.

Vallis planctus, Vulgo Planchtal.

S. Adelindis Abbatissa.

S. Adelindis festum: Adelindis panes.

28. Augusti. Ea die solet in ejus memoriam Domina Abbatissa distribuere per suas virgines, Comitissas ac Baronissas, omnis generis advenientibus & accurrentibus ex tota circumjacente regiuncula, cum suis tum etiam peregrinis & exteris, summo & infimo loco natis hominibus Panes Divæ Adelindis fundatricis siligineos: quod fieri solet insigni pompa, cujus ego etiam spectator fui anno 1548. cum distribuerentur panes quatuor mille.

Ludovicus Pius instauravit cœnobium monialium Buchoviensium.

Secundus præclarissimi hujus collegii fundator, & post primam ejus incinerationem instaurator fuisse legitur Imperator Ludovicus Pius, Caroli Magni filius: qui donodedit huic ipsi collegio oppida, Magingam, vulgo Mengam, & Sulogow tunc adhuc villas, cum omnibus ad eas pertinentibus juribus, possessionibus, immunitatibus ac proprietatibus, anno imperii sui sexto, hoc est, anno Domini 821. Ejus donationis diploma habet hodie adhuc, & mihi legendum exhibuit Reverendissima ejus loci Abbatissa. Hæc oppida postea cum Munderkingo, Riedlingo, & aliis aliquot ad Austriæ duces, & jure tandem oppignorationis ad Waldburgenses Dapiferos devoluta sunt, quorum adhuc hodie jussibus & imperio parent. Ejusdem vero Imperatoris Ludovici Pii authoritate & privilegio ab omni professione ac regula exemtum est Buchovienſe cœnobium: unde nunc liberum, immune ac imperatorium Canonissarum collegium dici solet.

Munderkingum. Riedlingum.

Catal. Abbatissarum.

Post Adelindin quæ Abbatissæ præfuerunt, ignoratur omnino, usq; ad Dominam 2. *Irmentrudin*, Abbatissam Buchaugiensem, quæ legitur mortali vitæ valedixisse anno Domini 1021. Cui successit 3. Domina *Abharilis*, quæ sex annis præfuit, sub cujus item gubernatione plurimum diffluere cœpit locus ille usq; ad Dominam *Juotam*.

Abharillidi subrogata est communibus omnium Canonissarum suffragiis 4. Domina *Hildegardis* anno Domini 1027. quæ negligenter præfuit. Sub ejus gubernatione, secundum incendium (quo iterum periit totum ferè monasterium) natum est in Junio anni à nato Christo 1032. Inde fit, ut Abbatissarum (quæ Dominam Adelindin præter hactenus dictas sequutæ sunt) ne quidem habeamus nomina ad annum usque Domini

1043. quo Imperator Henricus tertius, Niger cognominatus, collapsum in cineres monasterium denuo restaurans, nobilem ac religiosam fœminam 5. Dominam *Juotam*, alibi *Jutam*, & iterum ab aliis *Tutam* dictam, & huic Buchovienſi ac Lindavienſi Canoniſſarum congregationibus præfecit gubernatricem. Hæc legitur ex hac vita ad immortalem emigraſſe anno Domini 1051. cum laudabiliter præfuiſſet utriq; collegio annis octo. Succeſſit huic & nobilitate & virtute illuſtris fœmina 6. Domina *Gertrudis*, Baroniſſa de Bindhaldt, ſed quamdiu illa præfuerit, aut quæ illam ſint ſequutæ, id intercidit & in oblivionem venit omne, cum propter varios bellorum tumultus, tum propter ſuperioris temporis hominum incomparabilem ignaviam ac ruditatem, qui vel omnino nihil, aut certe pauciſſima annotarunt. Anno autem Domini 1223. electa eſt Abbatiſſa Buchovienſis collegii 7. Domina *Machildis de Buewenburg*, quæ præfuiſſe legitur annis 24. & ex hac vita emigraſſe anno Domini 1247. Huic poſtea annumerantur, ſed per intervalla ſequentes.

8. *Domina Adelheidis, Baroniſſa à Martorff*, quæ obiit anno Domini 1303. Dedit cœnobio vel collegio Buchovienſi nobiliſſima vineta Martorffenſia.

9. *Domina Catharina*, *Baroniſſa à Stoffeln*, Hegovienſis, præfuit & Buchovienſi & Waldkirchenſi Canoniſſarum collegiis, annis 26. Obiit anno 1329.

10. Domina *Anna, à Winberg Comitiſſa*, eligitur anno 1329. Præfuit annis 24. Valedixit huic mortali ſeculo in Octobri anni Chriſtianorum 1353.

11. Domina *Adelhaidis*, *Comitiſſa de Lupffen*, eligitur mox mortua Anna Winbergenſi. Quamdiu autem hæc præfuerit, aut quando ex hoc ſeculo emigrarit, non eſt in faſtos relatum.

12. Domina *Anna, Comitiſſa à Ruſeck*, obiit anno 1402.

13. Domina *Anna*, *Baroniſſa à Gundelfingen*, eligitur in Abbatiſſam & gubernatricem Buchovienſem anno 1402. Præfuit octo annis. Obiit anno 1410.

14. Domina *Agnes*, *Comitiſſa à Tengen*, præfuit 16. annis. Obiit anno Domini 1426.

15. Domina *Clara*, *Comitissa de Monteforti*, magnifica sui collegii illustratrix, & aliquot sacellorum fundatrix & conditrix, præfuit laudabiliter 23. annis, & mortalium hominum consuetudini valedicens ad superos migravit anno 1449.

16. Domina *Margareta*, *Comitissa de Werdenberg*, successit Dominæ Claræ Montfortiæ. Præfuit laudabiliter 47. annis. Decessit ex hac ad aliam longe meliorem vitam anno Christianæ redemtionis 1496. anno ætatis suæ octogesimo.

17. Domina *Anna*, *Comitissa Werdenbergensis*, Germana soror Dominæ Margaridos, eligitur anno 1496. Præfuit septem mensibus tantum & plane decrepita valedixit huic seculo anno Domini 1497.

18. Domina *Barbara*, *Baronissa à Gundelfingen*, successit Dominæ Annæ Werdenbergensi. Præfuit laudabiliter 26. annis. Munivit turribus & muro collegium suum, quod aliis etiam structuris exornavit. Obiit anno redemti orbis 1523.

19. Domina *Elisabeta*, *Baronissa de Alto Geroldisseggo*, eligitur anno 1523. Præfuit 17. annis. Expulerunt eam seditiosi agricolæ anno 1525. Sed est pristinæ dignitati ac sedi mox à Suevico fœdere feliciter restituta. Hæc absolvit muros collegii, & alio insigni muro totum ampliſſimum spaciosiſſimumq; hortum circumduxit. Migravit ex mortalis hujus vitæ lugubri & navifrago pelago ad portum æternæ salutis anno 1540.

20. Domina *Margareta*, *Comitissa de Monteforti*, magnifica, procera, virtuosa ac humaniſſima principissa, eligitur anno 1540. Præest adhuc laudabiliter currente hoc Jubilæo. Fecit duos elegantiſſimos fontes. Habet sub se hoc tempore Canonissas sex, Dominam *Margariden*, *Baronissam à Geroldisseckо*, Dominam *Clarannam*, *Comitissam à Furstenberg*, Dominam *Jacoben*, *Baronissam de Schwarzenberg & Alto Landisbergo*, Dominam *Sibyllam*, *Comitissam Montisfortis*, Dominam Hugonis illustris Comitis filiam, Dominam *Wandalbaram*, *Comitissam è semper libera Pincernarum à Limburg* familia natam, ac Dominam *Felicitatem*, *Comitissam de Alta Flamma*, insigni virtute ac morum elegantia præditas.

Est

Est in ea ipsa vicinia trans Lacum plumarium, infra celebratissimum Sueviæ montem Pussium, medio ferè, sed non recto itinere inter Riedlingum & Biberacum, Eremitarum S. Augustini monasterium, *Uthonis Wylerium*, quasi Uthonis villa dictum, quod fundatum est anno Christi 1450. à Bertholdo, Conrado, & Joanne, Nobilibus de Lapide, Equitibus auratis, in eo ipso cœnobio cum uxoribus ac liberis suis sepultis. Bertholdus fundator obiit anno 1473. Habuit uxorem primam Dominam *Clementiam* à viridi monte, secundam Dominam *Osannam Thiminam*, parentem duarum filiarum, Chunigundis, quæ Neydegkero cuidam, & Rosinæ, quæ Gulielmo à Rechberg nupsit. *Uthonis Wyler.*

❁ ❁ ❁

BVRRHONIUM (Blaubewern) quasi fons sive fontes, propter amplissimum ac admirandæ profunditatis fontem vicinum, ex quo Blavus fluvius aërii coloris oritur, jam vero mutata parum voce *Blauburnium vel Blaburium* dictum, olim, antequam oppidum aut cœnobium ibi constructum esset, S. Joannis Baptistæ exiguum saltem Idolion, ab Anshelmo, Hugone, ac Sigibotone fratribus, Comitibus Palatinis Tübingensibus & Rugkensibus, conditum: nunc vero Divi *Benedicti* monasterium in ducatu Wirtenbergensi, magnificum sane ac amœnissimum, duobus miliaribus ab Ulma, Sueviæ metropoli, pene in ejusdem nominis peramæno oppido situm, fundatum ac inchoatum legitur annum Christi circiter 1095. sub Urbano II. Pont. Max. & Henrico quarto Rom. Imp. ab Anshelmo patre, & duobus ejus filiis, Henrico ac Hugone, Palatinis Tubingensibus & Comitibus de Rugka, quorum hanc invenio Genealogiam. *Blaubewern.* *Blavus fluvius.* *Monasterium Wirtenbergense D. Benedicti.*

Hugo Palatinus Tubingensis, Comes arcis Rugkhæ & Dominus castri Gerenhusii: de quibus hodie adhuc incolumibus arcibus dicitur id vulgatum: Hüte dich Ruck / daß dich Gerenhusen nicht erdruck. Is inquam genuit

Ruck. Gerenhusium.

Hugonem, de quo nihil in fastos relatum invenio.

Ansbelmum, Tubingæ sedentem, primum fundatorem S. Joannis Burrhonensis, qui ex Bertha Comitissa duorum filiorum pater factus est.

Sigibothonem, qui ex Adelhaide, Comitissa de Elisatia, excepit

Wernherum clericum.

Waltherum.

Sigefridum, [magnum ejusdem monasterii benefactorem, cujus filius erat

Hugonis junioris, qui genuit filium *Fridericum*, diligentem augmentatorem eorum, quæ à suis majoribus in honorem Dei videbat esse constituta.

Henrici, cujus conjunx Domina Adelhaidis, Comitissa de Entzenberg, ad pontificem Urbanum secundum profecta, fundationum mariti ac leviri sui confirmationem impetravit, ut est videre in diplomate fundationis.

Hardmannus, cui cum liberi non essent, monachus factus est in hoc ipso majorum suorum cœnobio.

Benefecerunt eidem cœnobio alii etiam Comites Tubingenses, Conradus videlicet anno 1120. & Mangoldus, & Waltherus, Episcopus Augustanus, anno Domini 1125. fundatores Anhusiensis cœnobii, in valle Brentiana siti. Hugo item tertius anno 1164. advocatus hujus monasterii, qui Guelphonem, potentissimum Alemanniæ ducem, cum quibusdam aliis Principibus & Comitibus, Tubingam gravi obsidione cingentibus, in fugam convertit, fudit & cepit anno Christi 1165. Idem ex Martalensi Canonicorum collegio Præmonstratense cœnobium fecit, anno Domini 1171. Hujus item Hugonis filius, Rudolphus, Palatinus Tubingensis, & Bregantii & Curiensis Rhetiæ Dominus, qui

Martalium cœnobium.

qui anno Domini 1181. dicitur Bebenhusium liberaliter donasse. Henricus item, qui anno Domini 1167. Fridericum Barbarossam sequutus, in obsidione urbis Romanæ peste interiit: & alius insuper Rudolphus, qui anno Domini 1267. advocatiam cœnobii Blaubyrensis resignavit nono Calend. Januarii, quo die multa etiam ad altare S. Joannis Baptistæ obtulit. Postremo etiam Goso vel Gozo, & Gulielmus, Palatini fratres, qui anno Domini 1342. vendiderunt Tubingam Ulrico, Comiti Wirtenbergensi. Præfuerunt huic cœnobio Abbates ad hæc nostra usque tempora, qui sequuntur breviter annotati. *Bebenhusium cœnobium.* *Tubinga venditur.*

Abbatum Catalogus.

1. *Azelinus* ex Hirsaugia, à S. Wilhelmo Abbate datus, anno Domini 1095. primus Abbas Burrhonensis constituitur ab Henrico & Hugone, Comitibus Palatinis Tubingensibus, & Dominis in Rugka. Hunc alibi Anshelmum vocant. Præfuit is sex annis. Obiit anno Domini 1101.

2. *Otho* constituitur in locum Azelini. Præfuit annis 15. Obiit Anno 1116. *Oppidum Blaubyrense.*

3. *Rudigerus* eligitur anno 1116. Præfuit annis sex. Obiit anno 1122. Sub his Abbatibus legitur cepisse oppidum Blauburnense, quod monasterio multo est recentius.

4. *Wolpoto* eligitur anno à partu Virgineo 1122.

5. *Otho* secundus, ab aliquibus Ezelinus dictus.

6. *Wernherus*, qui obiit anno Domini 1159.

7. *Eberhardus* præfuit annis 19. Obiit anno Domini 1178.

8. *Fridericus* præfuit annis 25. Decessit ex hac vita anno 1203.

9. *Henricus* præfuit novem annis, & anno Christi 1212. usu oculorum divino judicio, justo quidem, sed occulto privatus, onus regiminis deposuit.

10. *Wolpoto* eligitur anno 1212. Præfuit annis septem. Obiit anno 1219.

11. *Rudolphus* eligitur anno 1219. Præfuit annis 12. penè. Dejicitur à gubernatione anno Christi 1231. cui successit legitime & Canonicè electus

12. *Albertus*. Is præfuit annis 14. & obiit anno Christi 1245.

13. *Main-*

13. *Mainfridus* præfuit non amplius biennio & pertæsus œconomicarum moleſtiarum voluntarie Abbatiam reſignat anno Chriſti 1247.

14. *Conradus* præfuit duobus annis. Obiit año Domini 1249.

15. *Hermanus* præfuit 14. annis, & obiit anno 1263.

16. *Eberardus* præfuit annis ſex, & infirmitate afflictaq; valetudine compulſus Abbatiæ gubernatione ſeſe abdicat anno Chriſti 1269.

17. *Albertus* præfuit duobus annis, & deponitur anno Domini 1271.

18. *Marquardus* præfuit 15. annis. Obiit anno 1286.

19. *Conradus*, Mirabilis cognominatus, præfuit ſex annis cum dimidio. Reſignavit Abbatiam anno Chriſti 1293. Sub hoc Abbate cum civis quidam in cœnobii templo vulneratus eſſet, dedicatum eſt monaſterium ſecundario, & Altare ſummum in honore S. Joannis Baptiſtæ.

20. *Albertus* Canonice eligitur anno 1293. Præfuit annis 15. Obiit anno 1308.

21. *Godefridus* eligitur anno 1308. Præfuit & profuit 26. annis. Obiit anno 1333.

22. *Albertus*. Sub hoc Abbate interfectus eſt à Conrado quodam Diacono Prior Monaſterii, anno Chriſti 1347. De Alberto Abbate nihil invenio.

23. *Rumboldus* à Griffenſtein reſignavit Abbatiam anno Chriſti 1356 in vigilia ſanctorum Chriſti Apoſtolorum Petri & Pauli. Erat enim homo afflictæ valetudinis.

24. *Joannes Kloczerus* eligitur anno Chriſti 1356. Præfuit utiliter uno & triginta annis. Obiit anno Domini 1387. Optimus œconomus. Hoc Abbate ad clavum ſedente, obiit anno 1361. Ulricus de Helffenſtain Comes, Blaburnii ſepultus.

25. *Joannes Hugo*, Ulmenſis, concorditer & una omnium voce, unoq; omnium ſpiritu eligitur anno Domini 1387. Præfuit 20. annis. Vulneratur à quodam monacho ſuo Henrico Fulgmeyer in cellario infirmorum. Moritur ex eo vulnere die duodecimo, anno Chriſti 1407.

26. *Joan-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

26. *Joannes Ungeheir*, aliàs Hettelinus, præfuit 12. annis. Obiit anno Domini 1419.

27. *Henricus Hasenbergius* præfuit annis 36. & anno Domini 1456. resignavit Abbatiam, & obiit postea anno 1466. Hunc alibi invenio dictum esse Schaffnaburgium. Sepelitur in templo laicorum. Sub ejus gubernatione vixit & obiit in cœnobio Blauborniano anno Domini 1428. reverendissimus dominus Anshelmus à Nenningen, Episcopus Augustanus, ibidem humatus. Sub eo ipso cœnobium cum vicino oppido ac territorio venditum est ab Helffensteinnensibus Comitibus Comiti Ludovico de Wirtenberg 40. millibus aureorum, mense Martio anni 1447. *Blauby-rium venditur.*

28. *Udalricus Kindig* eligitur in octava Epiphaniæ, anni 1457. antea secularis sacerdos. Præfuit annis 19. Erat mediocriter doctus & diligentissimus omnis generis librorum scriptor, vir bonus, sed œconomus non admodum monasterio utilis. Resignat Abbatiam anno 1475.

29. *Henricus Fabri* successit in octava Innocentum, primus hujus loci Abbas infulatus, optimus œconomus, & adeo diligens tam spiritualium quam secularium cœnobii sui rerum curator, omniumq; ædificiorum renovator ac illustrator, ut secundus hujus monasterii fundator vulgo dici ac prædicari meruerit. Reformavit unà cum Georgio, Hirsaugiensi Abbate, monialium cœnobium Sefflingense anno Domini 1484. Romani pontificis Sixti quarti jussu ac mandato. Est multorum sui seculi poëtarum carminibus & opusculis celebratus, *Henrici videlicet Bebelii*, Tubingensis professoris ac poëtæ Laureati: *Et Joannis Casselii* Gislingensis, ac fratris *Leonharti*, monachi cujusdam in Anhusio Brentiano. Præfuit 20. annis. Obiit anno Domini 1495. in die S. Ambrosii. Sepelitur sub Dominici corporis ædicula. *Sefflingum cœnobium.*

30. *Gregorius Rœsth*, Martorfensis, vir bonus & fidelis rerum monasterii administrator, & qui egregie absolvit ea, quæ antea ab Henrico Abbate erant ædificari cœpta, præcipue vero Basilicam summam monasterii pulcherrime illustravit. Præfuit annis 17. & aliquot mensibus, Abbatiamq; volens resignavit anno

Christi 1523. nihil sibi reservans, sed cum aliis sui ordinis ac loci hominibus humiliter vivens ad finem usq; vitæ suæ. Obiit postea anno sequente. Sepelitur in sacello S. Petri cum tali disticho.

Respice, qui transis, illo sub marmore dormit
Abbas Gregorius providus atq; pius.

31. *Ambrosius Rasor*, Landavianus, successit Gregorio. Is Abbatiam Ulrico, Wirtenbergensium Principi, mutanti ritus Ecclesiarum suæ ditionis, resignavit, splendide interim ac delicate vivens, donec anno Christi 1545. vitam etiam ei resignaret, à quo illam ipsam olim acceperat. Sub ejus gubernatione translata est anno Domini 1530. ad Blauburnianum hoc monasterium Academia Tubingensis, eo quod Tubingæ admodum grassaretur pestis. Eodem anno *à Reismanno*, Poëta, Blavus fons celebratus est elegiaco carmine, & Blauburnii obiit doctissimus sui seculi mathematicus *Joannes Stoffler*us, primus, quem pestis inter literatos Blauburnii è medio sustulit. Is inde Tubingam revectus & ibi in Parochiali templo honorifice sepultus est. Post Ambrosii Abbatis obitum vacabat Abbatia tribus annis.

Tubingensis Academia translata Joannes Stœflerus

32. *Christannus* sive *Christianus, Tubingius*, ex Martorffo Episcopali oppido natus, eligitur in ipsa patria sua, oppido Martorfensi, à fratribus (qui ante multos annos è Blauburno exules Martorffum secesserant) anno Salutis 1548. duodecima Januarii, cum ubiq; jam expulsi ac fugati monachi jussu & authoritate Caroli V. Imp. Aug. introducerentur in sua, & pristinæ dignitati restituerentur. Iste Christannus Abbas, vir doctus, proceræ staturæ, humanitate nemini secundus, mihi Martorffi & hunc catologum & diploma primæ fundationis communicavit, quod tale est:

Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, dilecto Azelino, monasterii Burrhensis Abbati, ejusq; successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Sicut irrationabilia poscentibus negari debet assensus, sic justa petentium votis benigna debemus assensione concurrere. Eapropter charissimæ filiæ nostræ Adelhaidis Comitissæ desiderio ac petitioni duximus annuendum.

Hæc

Hæc nimirum ad limina sanctorũ Apostolorum veniens, & suam & Viri & Leviri sui devotionem strenue adimplere curavit. Burthonensem namq; Ecclesiam, cui nunc authore Deo tua Fraternitas præsidet, soceri sui studio ac fundamentis ædificatã, secundum ipsorum vota super sacrosanctum Beati Petri altare obtulit, & per manum nostram in proprium sedis Apostolicæ allodium delegavit: quam videlicet oblationem scriptorum nostrorum petiit authoritate confirmari. Nos igitur præsentis decreti authoritate sancimus, ut tam præfatus locus, quam universa, quæ ibidem supradictorum Comitum Henrici & Hugonis, seu prænominatæ Adelheidis Comitissæ largitione collata sunt, vel in futurum ipsorum aut aliorum fidelium oblationibus conferentur, sub Apostolicæ sedis tutela, integra semper & illibata permaneant, servorum Dei illic degentium usibus omnimodis profutura: salva Constantiensis Episcopi Canonica reverentia, ut tamen ex eodem loco unius Bisantii census annuus Lateranensi Palatio persolvatur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones aufferre, minuere, vel quasi piis de causis suis usibus applicare. Obeunte te nunc loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptione vel violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem & Beati Benedicti regulam elegerint. Si quis igitur Sacerdotum, Clericorum, Regum, Ducum, Comitum & Judicum vel secularium personarum hanc nostræ constitutionis paginam agnoscens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiòve commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisq; dignitate careat, reumq; se divini judicii existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemtoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum Laterani per manum

num Joannis, S. Rom. Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, 8. Calend. Febr. Indictione septima, anno Dominicæ Incarnationis 1099. Pontificatus autem Domini Urbani secundi, P. P. undecimo anno.

❁ ❁ ❁

Byblingium. BYBLINGUM, Bibsingen/cœnobium ordinis D. Benedicti, Constantiensis diœceseos, non procul ab Ulma, Sueviæ metropoli, in sinistra descendentis in Danubiū Ileri situm, sic dictum à prætereunte fluvioloBibingo, qui ibi in Ilerum cadit, fundatum ac inchoatum est in honorem S. Martini, anno Domini 1099. ab Othone & Hartmanno fratribus, Comitibus de Kirchberg, religionem Christianam mirifice amantibus Regulis, in ejusdem monasterii templo honorifice sepultis, qui hoc suum cœnobium Pontifici Rom. obtulerunt ac donarunt totum, unde Abbas loci singulis annis ducatum Bisantinum Cameræ Apostolicæ in perpetuam hujus oblationis memoriam numerare cogitur. Dicitur autem monasterium primum inchoatum esse in vicino monte Kirchbergo, ubi primum adhuc templum est satis magnificum. Iste mons tum latissimus subterfluentis Ileri crebris tempestatibus ita successu temporis diminutus, exesus & vastatus est, ut magna ejus pars in Ilerum deciderit, quæ res occasionem præbuit transferendi cœnobium in proximè adjacentem, & ab Ileri incursibus paulo tutiorem agrum, in concursu Winii vel Bibingi & Ileri situm; etsi ne ille quidem locus interdum satis tutus sit sæviente fluvio, hibernarum aquarum accessionibus aucto. Est contiguum penè cœnobii templo fanum D. Virginis. In eo devotæ ac Deo dicatæ sorores, nobilitate cum generis tum virtutum conspicuæ, olim inclusæ habitasse, Deoq; precationibus, jejuniis, ac cantionibus serviviſſe dicuntur. Harum adhuc in eo ipso cœnobio supersunt nomina, martyrologio inscripta. Habent in eodem monasterio reconditoria ac sepulchra sua omnes penè Comites Kirchbergenses cum liberis & uxoribus suis, quorum insignia parietibus templi affixa & adpicta sunt. Horum brevem catalogum in arboris forma hoc loco subjungere volui, ne intercidat omnino tam vetustæ familiæ memoria.

Kirchberg. *Iler fluvius.* *Comites Kirchbergenses.*

Wilhel-

Wilhelmus à Kirchberg, magnus benefactor hujus cœnobii, obiit anno Domini 1366. Habuit uxorem Dominam Agnetem, Duciſſam Deccenſem, quæ obiit anno Chriſti 1384. Reliquerunt poſt ſe liberos

- *Conradum.* Is obiit año Domini 1417. Reliquit duos filios
  - *Conradum* II. qui obiit anno 1470. & ex Anna uxore excepit
    - *Joannem Eberhardum*, qui obiit anno 1486.
    - *Wilhelmum*, Equitem auratum, qui obiit anno Domini 1489.
    - *Philippum*, ſtrenuum bellatorem & tanta membrorum corporis fortitudine ac robore præditum, ut clavum ferreum ſolo digito potuerit ligneo parieti infigere. Is ultimus hujus ſtemmatis ac nominis obiit & ſepultus eſt Byblingæ, cum ſuis ac totius gentis ſuæ inſignibus, anno Chriſti 1510. viceſima Auguſti.
- *Eberhardum*, Epiſcopum Auguſtanum, qui obiit anno 1411. Sepelitur cum aliis Byblingæ.
  - *Eberhardum* I. in hac familia Equitem auratum deſignatum à Friderico tertio Imp. Hieroſolymis juxta Dominicum ſepulchrum. Is ex Domina Chunigunde, Comitiſſa de Wertheim, excepit
    - Quinq; filios.
      - *Philippum.*
      - *Georgium.*
      - *Ludovicum.*
      - *Sigismundum.*
      - *Joannem.*
    - Filias vero 4.
      - *Chunigundin.*
      - *Walburgin.*
      - *Helenam.*
      - *Agnetem.*
- *Wilhelmum.* Is obiit an. 1478. Excepit ex Dña Anna de Aychain
  - *Eberhardum* unicum filium, qui obiit anno 1499. Reliquit poſt ſe
    - *Conradum.* Is occiſus eſt circa Rhodam in agro, anno Chriſti 1460. die ſabbathi ante feſtum corporis Chriſti.
    - *Eberhardum*, Equitem auratum, qui obiit anno Domini 1463.
    - *Hartmannum*, qui deceſſit ex hac mortali vita, anno Chriſti 1470.

De

De quibus omnibus nihil amplius invenio usquam, adeò negligentes fuerunt harum rerum non monachi solum, sed omnes eruditi: etsi fortassis non negligentia in causa est, sed justa odii ac ingratitudinis retaliatio. Cum enim Nobiles non *curarent eruditos, ut hac etiam ætate fieri videmus, merito etiam eruditi non laborarunt in rebus ac familiis nobilium, posteritati ac immortalitati commendandis.* Quod utinam nostra saltem ætas intelligeret, & essent nobis futuri nostri etiam Nobiles magis propitii. Habent in eodem monasterio sepulturam suam Nobiles viri à Schwenda. Abbates vero, qui à prima fundatione ad hæc nostra usque tempora præfuerunt, hi numerantur.

Literati contemtui sui vind. care norunt.

Abbatum catalog.

1. S. *Wernherus*, nobilis ab Ellerbach, vir pius & justus, eligitur in Abbatem Byblingensem anno Christi 1102. Præfuit religiosè & utiliter 24. annis. Obiit feliciter anno Christi 1126. Sepelitur in medio ecclesiæ. Fuit antea monachus ad S. Blasium in nemore Hercynio: egregius vero sui monasterii illustrator & ampliator.

2. *Hermannus* primus.
3. *Hermannus* secundus.
4. *Arnoldus.*
5. *Eberhardus.*
6. *Bertholdus.*
7. *Hartmannus.*
8. *Udalricus.*
9. *Gerwicus.*
10. *Conradus.*
11. *Wernherus.*
12. *Geruchus.*
13. *Richardus.*
14. *Henricus.*
15. *Eberhardus.*
16. *Conradus.*
17. *Bertholdus.*
18. *Hartmannus.*
19. *Conradus.*
20. *Henricus.*
21. *Gerungus.*
22. *Stephanus.*
23. *Hartmannus.*
24. *Erachlinus,*
25. *Rudolphus.*
26. *Wilhelmus.*
27. *Richardus.*
28. *Ulricus.*
29. *Gerungus.*
30. *Conradus.*
31. *Gerungus.*
32. *Andreas.*
33. *Joannes.* Horum omnium nuda saltem reperiuntur nomina.

34. *Udal-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

34. *Udalricus*, sub quo cœpit observantia Regularis anno 1434. & augmentabatur monasterium Byblingense tam in spiritualibus, quàm temporalibus.

35. *Joannes.*

36. *Conradus Rhue* obiit anno 1504. Is apud Romanum Pontificem ornamenta pontificalia obtinuit primus, & hujus loci numeratur primus Abbas infulatus, cujus tumulo adscripti sunt hi sequentes versus, authore *Martino Mylio*, Wengensi apud Ulmenses cœnobita.

Abbatum nervus, monachorum gloria, pulchræ
Virtutis specimen, cum gravitate pudor.
Relligionis apex: hujus spes unica claustri,
Hac qui Conradus Rhue tumulatur humo.
Præsulis in Bybling mitram qui fronte bicornem
Primus suscepit, corpore, mente probus.
Tu modo, qui hac transis, pia Numina flecte precando,
Ut repetat tanti spiritus astra patris.

37. *Martinus Stör* eligitur anno Christi 1504. Præfuit annis quatuor, & ano Domini 1508. iterum depositus est, qui diu adhuc superstes, tandem naturæ debitum solvit anno Domini 1542.

38. *Georgius Hackher*, ex superiori Wylerio natus, eligitur anno Domini 1508. Præfuit utiliter annis novendecim. Obiit anno 1527. Sub hoc Abbate anno Christi 1525. seditiosi agricolæ nocte quadam monasterium invadere ac spoliare decreverant: ea ipsa autem hora, qua rustici cœnobium erant adorituri, monachi, talis consilii prorsus ignari, ad matutinarum precum officium omnes campanas in honorem S. Benedicti (cujus festum postero die futurum erat) pulsare cœperunt. Rustici, insolitos campanarum omnium tinnitus & clangores audientes, existimarunt, monachos ab aliquo corycæo admonitos, his campanarum inusitatis pulsationibus Suevici fœderis equites in subsidium advocare, quibus cum scirent sese resistere non posse, omnes infecto negotio mox fugam arripuerunt, & ad sua redierunt, nihil amplius adversus cœnobitas & eorum bona tentantes. Sic vafrum agricolarum consilium pulchre elusum est.

Campanarum pulsus efficax adversus rusticos tumultuantes.

39. *Hen-*

39. *Henricus Clausius*, Weissenhornanus, eligitur anno Christi 1527. Præest adhuc currente hoc Jubilæo septuagenarius, latine mediocriter doctus, justitiæ & æquitatis studiosissimus, monasterii sui diligens inspector & illustrator, œconomus strenuus & vigilantissimus.

Sub hoc Abbate, anno Christi 1546. efferuescente Germanico bello, viginti Heluetii impetum facere & armata manu accurrere in cœnobium ausi fuerunt, egregie bibentes & magnis truncis omnes januas effringentes. Monachi mox campanas pulsare & colonorum ita præsidia advocare cœperunt, qui sine mora venientes, Helvetios misere verberarunt, & carceri incluserunt: ubi per dies aliquot sub duris jejuniis detenti, tandem iterum dimissi sunt, facta prius de non ulciscendo conventione. Hæc communicavit mihi egregie doctus ejus loci cœnobita & prior, versificator ingeniosissimus, *D. Bartholomæus Stella*, patria Isnensis, qui carmine semper ludere, sed illa, quæ componit, vel in nonum usque annum premere, aut sibi certe tantum ludere solet, ut ille ingeniosus citharœdus faciebat, de quo est apud veterem Poëtam.

B. Stella Poëta.

CÆSAREA, Germanicè **Kaisersheim** / corrupto autem vocabulo Keysheim, opulentum, magnificum, ac longe pulcherrimum Cistertiensium ordinis ac instituti cœnobium, in sylvis Sueviæ, olim *Haidwang* dictis, circa Donawerdam, urbem Imperialem, non procul ab eo loco situm, ubi Lycus & Danubius confluunt, & hodie adhuc in eo maximorum amnium concursu vetus est ac penitus eversum Castrum veterum Comitum de Lechsmund, ab ipso Lyci in Danubium ingressu Lycostoma seu os Lyci cognominatum, Augustanæ diœceseos, sub visitatione Abbatis Lucellensis: fundatum est anno Christi 1133. ab Henrico, Comite de Lechsmund & ejus conjuge, Domina Loicarde, quæ illic sepulta est, & unà cum marito in unum tumulum collocata anno 1142. Tumulo inscripti sunt sequentes versiculi:

Lycostoma.

Lechsmund.

Hoc

Hoc latet in tumulo almæ religionis amator,
Cui de Legesgmund ſtirps generoſa fuit.
Illuſtris Comes Henricus, fundator & author
Ipſe monaſterii Cæſarienſis erat.
Quis tibi, clare Comes, grates perſolvere dignas
Poſſet pro meritis muneribuſq; tuis?
Te Pater altitonans cœleſti munere donet,
Ipſe tuis meritis præmia digna ferat.
Anno milleno, centeno, quadrag; geno
Ac bino, ah vitam mors tibi dira rapit.
Te Deus extinctum, te det requieſcere ſanctis
Molliter, & regnis ſidere det ſuperis.
Ipſe ſuam faciem faciet te viſere lætam,
Clare Comes. Fauſte perpetuoq; vale.

Confirmationem ſui monaſterii fundator à Domino Walthero, Epiſcopo Auguſtano, conſequutus eſt per nobilem & liberum Hartindum de Graiffenſpach, Achatem ſuum, anno Domini 1135. Is Epiſcopus, genere & origine Palatinus Tubingenſis, dedit Cæſarienſi cœnobio Auguſtæ in Comitiis Imperatoris Lotharii inſulam S. Udalrici Antiſtitis Auguſtani. Eſt hoc Cæſarienſe cœnobium limes ac terminus Epiſcopatuum, Aureatenſis & Auguſtani: cujus rei teſtis eſt lapis acuminatus in monaſterio poſitus, inter Eccleſiam & portam. Comitum de Lechsgmund, qui anno Domini 815. temporibus Ludovici Imperatoris, & anno 842. temporibus Lotharii Imperatoris floruerunt circa Danubium in arce & oppido Lechsgmund, quaſi Lyci ore, ſive Lechsend, quaſi Lyci fine, talis habetur in eodem cœnobio *genealogia*. Leguntur autem aliqui horum fuiſſe Principes ac duces, quod teſtantur quatuor ducalia officia, quæ habuiſſe eos, ex veteribus monumentis conſtat. Fuerunt enim Marſalli ad ad Meulnhardum, Dapiferi de Altisheim, Pincernæ de Schœinisbeundo, Camerarii ad Gansheimium, Comitum de Lechsmund miniſteriales: quarum appellationum ſunt adhuc vaſtatæ arces in *Bavaria*. Sequitur Genealogia.

Cæſarea limes Epiſcopatuum Aiſtetenſis & Auguſtani.

Comites de Lechsgmund.

Bertholdus, Comes in Burggheim & Lechsgmund, è quadam Sueviæ Ducissa excepit filios

Henricum, Comitem in Lechsgmund, fundatorẽ Cæsarienſem, anno 1134. is excepit è

Theobaldum, de quo nihil prorsus invenitur in fastos relatum.

Domina Loicarde fundatrice & prima uxore filios tres

Domina Adelheide secunda conjuge

Conradum

Volcardum, sive Wolgeradum, quæ germanica vox est. Is genuit

Henricum secundum, año 1160. mortuum.

Adelheidin, filiolam, quæ in Casarienſi cœnobio sepulta est.

Henricum tertium.
Henricus vero

Theobaldum, qui ab anno Christi 1188. ex Agatha, Ducissa Deccenſi, ad annum usq; 1193. factus est pater unius filii

Bertholdi, qui obiit anno Domini 1223. Ejus conjunx erat Domina Agatha, Comitissa de Aurach, quæ edidit duos filios, & unam filiam.

Bertholdum anno 1244. mortuum.

Henricum quartum, qui obiit an. 1595. Suscepit is ex conjuge sua Domina Gertruda, Baronissa Abeuspergenſi,

Agatham, quæ desponsata est Bertholdo, Comiti cuidam de Aurach.

Scheurenſe monaſterium in Bavaris.

Inferius Schonenfeldum.

Lechsgmund, vastatur à Ratisbonenſibus.

Bertholdum, Comitem in Lechsgmund & Graisbach, fundatorem monasterii Scheurenſis in Bavaria. Ejus conjunx, Dña Adelheidis de Cypro, fundatrix fuit inferioris Schonefeldi, monialium præclarî cœnobii, in confluxu Danubii & Lyci siti. Hic Bertholdus annum Christi circiter 1248. oppidi & arcis Lechsgmund possessionem amisit. Est enim incendio vastatum à S. P. Q. Ratisbonenſi. Nam cum mercimoniæ Ratisbonæ tunc florerent, quæ deinceps *Noribergam* translatæ sunt, Comes ille, invidens felicitatem eam Ratisbonenſibus, nolebat ferre, ut quicquam navigio deferretur Ratisbonam; unde ejus loci Resp. incitata & excitata, res suas defensura bellum in eum movit. Ita sequentes Comites se non Comites in, sed de Lechsgmund scriptis publicis jactabant.

Habuit

Habuit *Bertholdus* iſte filios.

Waltherum de Lechsgmund annis 1244. & 1278.

Bertholdum tertium, de Lechsgmund in Graiſpach anno 1266. Cujus conjunx Eliſabeta peperit

Gebhardum, Canonicum & tertium hujus nominis, epiſcopum Aiſtetenſem, qui tribus annis, octo menſibus, 14. diebus præfuit Epiſcopatui, & obiit anno Domini 1327. Lucæ in Italia.

Bertholdum in Graiſpach, & de Lechsgmund. Habuit uxores

Henricum, Comitẽ in Graiſpach 1292.

Eliſabetam, quæ nupſit Comiti Hirsbergenſi. Ejus filia Eliſſa fuit prioriſſa in inferiori Schonefeldo.

Eliſſam, Comitiſſam de Hirſberg, 1275. Ex hac excepit

Agnetẽ, Marchioniſſam Burgoviam.

Bertholdum 1301. & 1324. & *Henricum*, qui vixit anno 1324.

Comites in Graiſpach, Marſtetten, & Niffen.

Is ex Agnete, Helvetia Comitiſſa de Gundelfingen, excepit

Singuerum. *Agnetem* 1328. *Annam*, Abbatiſſam inferioris Schonefeldi.

Habent ſepulturas ſuas in Cæſarienſi cœnobio primum fundatores, Comites videlicet à Lechsgmund, Domini in Graiſpach: poſtea Comites etiam Niffenſes, & Comites Elephantini ſaxi: Comites Oetingenſes, præcipue vero Conradus, Comes in Oetingen, ab Henrico ſeptimo Imp. proſcriptus, qui obiit in Cæſarea: Barones in Gundelfingen, Marſalli à Pappenheim, Pincernæ à Geirn, Nobiles à Rechberg, & multi alii reguli. Abbates vero, qui præfuerunt huic cœnobio à prima fundatione ad hæcusque tempora, hi fuere. *Abbatum Catalogus.*

1. *Udalricus*, primus Abbas, eligitur anno Domini 1134. aſſumtus ex Lucellenſi cœnobio, vir pius ac religionis externæq; diſciplinæ ſtudioſiſſimus. Is fratres ſecum ex eodem cœnobio Cæſaream adduxit. Præfuit uno & viginti annis. Obiit anno Chriſti 1155.

2. *Conradus* eligitur anno Domini 1155. Erat optimus œconomus. Præfuit annis decem. Obiit anno 1165.

3. *Diethelmus* eligitur anno Domini 1165. Præfuit & profuit annis novem.

4. *Albertus* eligitur anno 1174. Ædificatur ab eo dormitorium & ecclesia spatio novem annorum. Sub eo dedicatur ecclesia ab Hardovigo, Episcopo Augustano, anno Christi 1183. in præsentia Othonis, Episcopi Aistetensis. Fuit author Bibliothecæ. Præfuit annis 19. Obiit anno 1194.

5. *Ebo* eligitur anno 1194. Præfuit laudabiliter annis 16. Obiit anno Christi 1210.

6. *Conradus* eligitur anno 1210. Erat Abbas pius & doctus. Præfuit annis octodecim. Obiit anno Christi 1229.

7. *Henricus* eligitur anno 1229. Præfuit 11. annis, & decessit anno 1240.

8. *Richardus* huic succedit, qui præfuit annis 12. Obiit anno Domini 1252.

9. *Wolwicus* eligitur anno Christi 1252. Præfuit annis undecim.

Sub hoc Abbate Wolwico vixit in hoc Cæsarienſi cœnobio & reliquum vitæ per decennium adhuc superstes exegit, resignato Augustano episcopatu, Dominus Sibotho, Baro de Gundelfingen, Cistercienſis instituti miro flagrans studio, & quod fratrem etiam germanum illic haberet, sub D. Bernhardi regula & præscripto Deo servientem, Henricum. Obiit vero episcopus iste Sibotho anno 1262. Sepelitur in Cæsarienſis monasterii choro.

10. *Henricus* constituitur anno Christi 1263. Fuit vir eximie doctus & in summa authoritate apud omnes tum summos, tum infimos. Præfuit quatuor annis pie & religiose, & designatus est Episcopus Chalcidonenſis, anno Christi 1267.

11. *Drutwinus* eligitur anno Domini 1267. Præfuit uno & viginti annis. Decessit ex hac mortali vita ad immortalem anno Domini 1288.

12. *Henricus* à Bappenheim eligitur anno 1288. Præfuit annis 15.

13. *Joan-*

13. *Joannes Chonoldius*, Auguſtanus, eligitur anno Domini 1303. Præfuit annis 18. Deceſſit ex hac vita anno Domini 1321.

14. *Udalricus Zoller* eligitur anno 1321. Præfuit 19. annis. Obiit anno 1340.

15. *Udalricus Nublingus*, Laugingenſis, ædificator templi eximis fundamentis anno Chriſti 1352. eligitur anno 1340. Præfuit uno & viginti annis. Reſignavit Abbatiæ gubernationem propter ingraveſcentem fenectutem anno 1361.

16. *Joannes Zauer* eligitur anno Domini 1361. Abſolvit templum ab Udalrico anteceſſore inchoatum. Præfuit utiliter 19. annis. Obiit anno 1380.

17. *Joannes Molitor*, Hochſtadianus (eſt id oppidum Palatinorum ad Danubium ſitum, infra Dillingum, & Laugingiacum) eligitur anno Domini 1380. Is ornari & conſecrari fecit templum ab Epiſcopo Burcardo de Ellerbach anno Chriſti 1387. Fuit conditor ambitus & cellæ vinariæ anno Chriſti 1395. Præfuit & profuit viginti annis & aliquot menſibus. Deceſſit ex hac vita anno 1401. Sub hoc Abbate obiit anno Domini 1391. nobilis ac ſtrenuus vir, Ulricus à Treuchtlingen, ultimus ſuæ gentis, Cæſareæ in D. Virginis ſacello cum clypeo & inſignibus ſuis terræ mandatus. *Hochſtet.*

18. *Joannes Scherb* eligitur anno 1401. Interfuit ſex equitum comitatu Concilio Conſtantienſi, cui 204. Abbates, Epiſcopi vero centum ac decem interfuere. Præfuit 22. annis, & obiit anno Chriſtianæ Salutis 1423. *Conſtant. Concilium.*

19. *Craffto, Hochſtadianus*, eligitur anno Gratiæ 1423. Præeſt quatuor annis & exauthoratur, quòd inutilis eſſet gubernationi; poſtea obiit anno 1430.

20. *Leonhardus Weinmayer*, Laugingenſis, promotus à Craftone ad burſarii ſive œconomi dignitatem, pro quo beneficio ipſe Craftonem ejici ex Abbatiæ gubernatione fecit. Ipſe vero electus eſt anno Chriſti 1427. Illuſtravit monaſterium variis ſtructuris, & quali menſura ipſe menſus fuerat ſuo benefactori, eadem etiam ipſi jam remetiebatur. Nam 13. gubernationis ſuæ anno depoſitus eſt & ipſe, ac per vim è gubernaculo deturbatus *Ingratitudo, punita.*

anno videlicet 1440. instinctu Marchionis Brandenburgensis, Friderici, cujus ditioni nolebat subesse Abbas, etsi is Dominus esset tum Comitatus Graispachiani, ad quem dicebat Marchio pertinere etiam cœnobium Cæsariense. Cui cum Abbas intrepide responderet, nec habere nec agnoscere alium sese Dominum quam Romanum Imperatorem vel regem, nec habuisse Cæsariense cœnobium à primæva sui fundatione præter hos alium Dominum; Marchio incensus ira Abbatem equo alligatum ex cœnobio Cæsariensi in Marchionatum avexit. Quomodo autem ibi tractatus sit, non invenio in fastos relatum.

21. *Nicolaus Kolb*, sacræ paginæ eximius Doctor, eodem anno ex Fontium salutarium cœnobio assumtus est. Is non erat felix œconomus, ita ut sub eo ad summam pene inopiam redactum fuerit Cæsariense monasterium. Affectus plurimis vicinarum urbium Imperialium injuriis Romam proficiscitur, petiturus à Pontifice defensionem, quam & impetravit: feliciter itaque inde reversus una cum Pontificio fulmine, adversus hostes suos scripto, obiit mox anno 1458. cum monasterio præfuisset quidem annis octodecim, sed non admodum profuisset.

22. *Georgius*, patria Ingolstadianus, eligitur anno Christi 1458. Celebratur alter Cæsariensis monasterii fundator propter diligentem œconomiæ administrationem, & monasterii domiciliorum instaurationem. Hoc præsidente, Albertus, Marchio Brandenburgensis, obsidione monasterium cinxit, & securius sibi iter in id faciens anno 1461. effecit, ut Abbas data prius Marchioni, Cæsareæ Majestatis nomine, fide Nordlingam secederet. Ædificavit Bibliothecam, infirmatorium, & alias plurimas ædes. Præfuit utilissime 21. annis. Decessit ex hac vita an. 1479.

Cæsarea obsidetur à Marchione Alberto.

23. *Joannes Visthes* eligitur eodem anno, homo grandævus, egregius monasterii illustrator & renovator. Is laudabiliter præfuit annis duodecim, & obiit Augustæ sub cura medicorum anno 1490.

24. *Georgius Castnerus*, ex Werdæa Suevica natus, antea Prior, eligitur anno Christi 1490. Fuit egregius œconomus, & monasterii sui illustrator, ædificator Abbatiæ anno Christi 1507.

cum

cum ecclesiam prius pulcherrime adornasset ac illustrasset. Dixerat enim, sibi ac successoribus suis nihil sese ædificaturum, nisi Deo prius sua ædificasset. Præfuit utilissime 19. annis. Obiit ex anthrace sive carbunculo, anno Domini 1509.

25. *Conradus Fossor*, vulgo Reutter, patria Nordlingensis, eligitur ex Priore Cæsariensi in Abbatem anno Christi 1509. statim post mortuum Abbatem Georgium. Festinabant vero monachi, quod scirent, Episcopum quendam insidiari & inhiare Abbatiæ, qui dixerat aliquando, non se moriturum prius, quàm Cæsariensis fieret Abbas. Mortuus est autem, Abbas vero Cæsariensis factus non est. At qui isti dignitati præfectus est, is vir egregie doctus erat, Theologus, & Philosophus insignis, præclarus musicus, legum cum Pontificiarum, tum civilium eximie gnarus, poëta vero talis, qualem non invenias unum jam in omnibus totius Germaniæ monasteriis. Extant ejus poemata, Mortilogi titulo Augustæ Vindelicorum impressa anno 1508. Vidi juvenis hominem jam tum senem anno Christi 1539. & vixi cum eo per biduum suavissime, cum ille de omni disciplinarum genere differeret egregie, & tot optimorum versuum ex omni poëtarum veterum genere desumtorum meminisset, ut ego satis mirari memoriam tam reverendi ac suaviter eruditi senis vix equidem possem. Complexus me humaniter, humanius tractavit, humanissime à se dimisit. Fuit utilis gubernator cœnobii sui, quod turribus, muro ac fossâ pulcherrime communivit contra centaurorum quorundam violentiam ac malas technas. Habuit apud se in cœnobio suo eruditum quendam monachum, *Joannem Knobelium* seniorem, qui egregium Chronicon de rebus cum monasterii, tum Abbatum ejus loci scripsit, & huic Conrado Abbati dedicavit: ex quo ego hæc de Abbatibus singulis breviter collegi. Præfuit Conradus Abbas annis triginta & aliquot mensibus. Decessit ex hac vita anno 1540. Cujus tumulum tali ego honoravi epitaphio:

Corvus, delusus.

Knobelii Chronicon de monasterio Kaisersheim.

Conradus Fossor, venerandus & utilis Abbas,
Corporis hic humili mole quiesco mei.

Qui

Qui vates facili ludebam carmine sæpe,
Et noram veteres historiasq́; novas:
Quicquid & in sacris scriptum fuit undiq́; libris,
Quicquid jura docent & medicina potest.
Per multos annos mea cura huic præfuit ædi,
Sed pulchræ domui profuit illa quoq́;.
Quam bene munivi muroq́; & turribus altis,
Adversus vulgi tela inimica trucis.
Tu quicunq́; ista transis, studiose viator,
Quæso optes animæ mitia fata meæ.

Reliquit post se, eo tempore adhuc superstitem fratrem Germanum, Dominum Henricum, Abbatem Maulbrunnensem, virum & literis & virtute non ignobilem.

26. *Joannes Zauber*, secundus hujus nominis, artium Philosophiæ Magister, eligitur anno Christianæ salutis 1540. Est vir latine doctus, qui Heidelbergæ & Coloniæ feliciter studuit, liberalis, munificus, & erga literatos omnes humanissimus, bonus ac fidelis hactenus rerum sui cœnobii inspector & administrator. Circumduxit eleganti & forti muro insignem vineam Laytensem, circa Graispachium ad Danubium sitam, & in media ea vinea amœnissimas construxit ædes, ex quibus cœlo sereno tota urbs Augusta Vindelicorum amœnissimo prospectu videri potest. Hæc quatuor aureorum millibus confecit. Apud Gendrichium (qui pagus est in Lyci & Danubii confluxu situs) ejusdem nominis arcem suam ampliavit & præclare auxit. In civitatibus Giengensi & Werdensi præclaras ædes penè de novo instauravit. Sub ejus gubernatione fulmine & tempestatibus læsum erat templum cœnobii, turris vero adjuncta cum campanis omnibus conflagrarat anno 1543. Hæc ipse omnia præclare iterum pristinæ dignitati restituit. Extant ad hunc Elegiæ à me scriptæ in 14. & 15. libris Silvarum mearum. Interfuit anno Christi 1548. & hoc præterito Jubileo Comitiis Augustanis, à Carolo V. celebratis, in quibus benignus Mæcenas plurima mihi communicavit ad operis hujus amplificationem.

CAM-

CAMPIDONA, Kempten / vel Campidonense ordinis D. Benedicti monasterium magnificum ac præpotens in Rhætia, vel Rhætiæ potius particula, Ilergovia (quæ Sueviæ meo judicio rectius annumeraretur) extra ejusdem nominis imperialem longeq; vetustissimam civitatem situm, fundatum est pro nobilibus ac illustribus viris Deo & Ecclesiæ Dei servituris anno Christi 777. à Domina Hildegarde Regina, Caroli Magni laudatissimi Regis, tum verò nondum Imperatoris tertia, & omnium, ut veteres scriptores unanimi consensu omnes affirmant, charissima conjuge, quæ filia erat Hildebrandi, potentissimi Suevorum Ducis, & Regardæ, Bavarorum ducissæ, nata in Andechs, Bavariæ arce, patris sui Hildebrandi præcipua sede, quæ quinq; miliaribus à Monaco hodiè distans, sancti Montis Andecensis ob vetustatem nimirum titulo honorata est. Donatum est libertatibus maximis à summo Pontifice Adriano, à quo etiam consecratum ac dedicatum est anno Domini 777. undecima Maij, Dominicæ Ascensioni sacra, cum is Imperatricem ex Italia in Germaniam sequutus esset, trecentis & quinquaginta Cardinalibus, Episcopis & Abbatibus comitatus.

Hildegard, uxor tertia Caroli M. fundat monasterium Campidonense.

Primum ejus loci Abbatem ipsa designavit fundatrix, virum eruditione & pietate præstantem, *Andelgarium*, quem aliqui Amelgarium vocant, & Rolandi, omnium Gallorum bellicosissimi Ducis, filium fuisse affirmant. Hinc ista cœnobii inscriptio nata, quæ anno 1484. columnæ indita, ambulantibus per ambitum obvia est.

Hildegardis 773. fundavit.
Carolus 774. confirmavit.
Adrianus 777. dedicavit.
Andelgarius 778. inchoavit.

Sed nos cum in optimæ fundatricis honorem, tum ob alias etiam rationes plurimas (antequam ad monasterii & Abbatum annales accedamus) genealogias quasdam & fundatricis ex Sueviæ omnium vetustissimis Ducibus natæ & fundatoris Caroli Magni præmittamus, ex quibus antiqua etiam civitatis Campido-

nensis origo, & quòd Sueviæ potius, quàm Rhetiæ illa annumeranda sit, luculenter patebit.

Suevia unde dicta.

Sævenus vel Sævus, tyrannus quidam præpotens (à quo Suevis, populo feroci, strenuo, severo, martio ac bellicoso olim, nomen hoc inditum antiquitus creditur) cum ingenti multitudine eam terram, quæ ad Wertachium, Lycum ac Hilarum amnes sita est, ingressus esset ac à suo nomine *Sæviam* appellasset, condidisse legitur in eo ipso tractu (quem nos hodie sive ab Alemannis, ut aliqui volunt, *Almangoviam*, sive Alpium vicinitate *Alpgoviam*, & corrupta abbreviataq; voce *Algojam* vocamus) & eo ipso loco, ubi nunc Campidoni, linei panni madefacti & in pratis ad Solem extensi albicari solent, civitatem, de suo nomine Sævam initio vel Sævenam dictam, ut ibi jus diceretur collectæ Sævorum ac Martiorum hominum, vicina loca jam sub se duce excolenti, multitudini. Et hanc urbem, exceptis Treveri, Bardewico & Augusta, omnium Germaniæ vetustissimam esse, nemini dubium sit. Hæc ipsa postea multorum annorum successu ab Hermino vel Herminio, aut, ut alii vocant, Vermino duce quodam Suevorum aucta & ampliata, novo nomine Vermetta vel Hermetta appellata reperitur. Qua tandem Augusti Cæsaris temporibus à Tiberio vel ejus fratre Druso eversa ac funditus deleta, constructa est deinde post multorum annorum curricula ab alio Sævorum vel Suevorum duce quodam *Esnero*, primo ad Christum converso, in vicino colle Arx Hilermontana, à præterfluente fluvio Hilaro nimirum sic dicta: quam, hoc tempore disjectam etiam & vastam, Campidonenses cives die Burghalden appellare solent. Ad hunc ducem Esnerum venerunt Hilari amnis & vicinarum Alpium accolæ, petentes spacia ad construendas prope novam arcem novas etiam ædes: quibus cum ille adjacentem surgenti sedi suæ campum omnem liberaliter donasset ac viritim distribuisset, nova urbs condita & à donato hoc campo Campidonum denominata est. Fuerat vero in eo colle (antequam arcis fundamenta ponerentur à duce Esnero) fanum Cisæ, Deæ ethnicæ, ducentis annis ante Christi incarnationem illic à Suevis conditum. Id anno Christi 316. (ejecto & confracto genti-

Algojæ unde.

Arx Hilermontana.

Burghalden.

Campodunū unde dictum

Cisa, Dea Suevorum.

gentilitio Idolo) à Silvestro primo, P. M. Christo sanctisq; ejus Apostolis, Philippo ac Jacobo, inauguratum ac dedicatum esse legitur. In hac arce Hilermontana postea Sueviæ duces, Hilbrandus, Gotfridus, Hobingus, Nebus, Imanus & Hildebrandus secundus vixerunt ac habitarunt, ita ut hæc arx avita sedes fuerit Sueviæ Ducum ad tempora usque Caroli Magni. Hildebrandus iste secundus, ducta uxore Bavara, Domina Regarde, excepit ex ea *Sueviæ duces.*

D. ADELINDIN, natam in arce Andechs, desponsatam Domino Othoni, Comiti Tragentino & Caldariensi, fundatricem amplissimi Canonissarum Collegii Buchaugiensis, prope Biberacum siti.

D. HILDEGARDIN, & ipsam anno 732. in arce Andecensi natam, ipsa die S. Sabinæ, Carolo Magno Francorum Regi, nondum Cæsari, desponsatam, fundatricem Monasterii Campidonensis.

D. ULRICUM, gemellum cum Domina Hildegarde, eodem die natum, qui Episcopus tandem Lausannæ designatus legitur.

Sequitur Genealogia Caroli Magni, ex variis probatissimis Autoribus & annotationibus collecta.

ANSBERTUS primus Marchio Andoverpianus fuit: ex quo genitus legitur Arnoldus, Marchio secundus: cujus filius fuisse scribitur Arnoldus, Marchio tertius: ex quo prodiit Anchisus, quartus Marchio: qui ex Begga, Brabantiæ ducissa, excepit

PIPINUM seniorem vel grossum: cujus ex Alpaide concubina filius fuit
CAROLUS Martellus: hujus Caroli legitimus filius fuit
PIPINUS Pusillus, Major domus cognominatus: qui à Zacharia Pontifice Rom. (ejecto & in monasterium intruso Rege Hilderico) Francorum Rex designatus est.
Huic Pipino nati sunt ex legitimis duabus uxoribus

D. BERTHA, alibi Berttada, Heraclii Constantinopolitani Imperatoris filia.

D. LEUTBURGI vel Talatina, fœmina Saxonica,

LEO. RAPATO. TALANDUS. Hildegardi Reginæ injurius.

1. CAROLOMANNUS.
2. BIAMANNUS.
3. CAROLUS Magnus, Francorum Rex & tandem Imperator Romanorum.
4. BERTHA, Rolandi, omnium Gallorum fortissimi principis, mater.
5. ROTHAIS, Meti ad S. Arnulphum humata.
6. ADA, Treveri in monasterio & primario templo S. Maximi sub niveo marmore sepulta cum tali Epigraphe : ADA, ANCILLA CHRISTI, SOROR CAROLI MAGNI.
7. GISELA, sanctæ conversationis virgo, Carolo Magno fratri semper charissima, &, defuncta Bertha, matris loco semper ab eo culta.
8. ADELHAIDIS, Meti ad S. Arnulphum sepulta.
9. SIMPHORIANA, Amberto vel Ambrechto, Lotharingorum duci, desponsata, quem parentem ipsa fecit

Filiorum { *Rotolandi*, Lotharingorum ducis.
Filiorum { *Simberti*, Abbatis Murbacensis, tandemq; Episcopi Augustani.
Filiarum vero { *Vigetæ*.
Filiarum vero { *Rorinnæ*, quæ Nothardo, Suevorum duci, nupsit, magno Campidonensis Cœnobii benefactori.
Filiarum vero { *Talatinæ*.

Carolus Magnus consequutus est ex legitimis uxoribus

1.	2.	3.	4.	5.
Galiena Hispana, Galastriæ Toletani Regis filia, nullam prolem.	*Hermingarde*, Desiderii Longobardorum Regis filia, à se iterum repudiata, etiam nihil.	*Hildegarde*, Suevorum Ducissa & fundatrice Campidonensi liberalissima,	*Fastrada*, Ratolii Comitis apud Ostrofrancos filia	*Luitgarde*, nobili Sueva, sed sterili, nihil,
			Theodoretam. *Hiltrudin.* *Rothaiden.*	

PIPINUM, Italiæ Regem Bavariæque ducem, qui ex Rutrudi, conjuge Græca, ex-

CAROLUM, Galliæ cisterioris Regem.

LOTHARIUM, gemellum cum Ludovico.

LUDOVICUM, Aquitaniæ Regē, postea Imperatorem, cognomento Pium, qui ex

1. BERTHAM,
2. *Giselam*, perpetuæ virginitati devotam, monialem.
3. *Hildegardin*, puellam unius anni, prope Medio-

cepit *Bernhardum*, *Adulam*, *Adelhaidin*, *Gundardam*, *Berchaiden*, & *Theodoretam*, fundatricem Schwarzacensis monasterii Monialiũ.

Herm ingarde, Saxoniæ ducissa, quatuor filios excepit & filiam *Hildegardin*, Mediolanensium Duci nuptam.

matricum urbem ad S. Arnulphum sepultam.

4. *Adelhaidin* & ipsam parvulam, eodem loco extra Metin humatam.

5. *Bellixandam.*

6. *Immam* portatricem Einhardi, Notarii & Scribæ Imperatorii, eidem postea à Carolo patre desponsatam, fundatricem monasterii Seligenstadensis in Ostrofrancis. *Schwarzach, monast. Selgenstat, monast.*

7. *Gertrudin* & 8. *Rotrudin.*

EX concubinis vero & pellicibus post defunctas legitimas uxores: videlicet, ex

1. GERSWINDA, Saxonici generis admodum pulchra puella, *Adeltrudin* filiam.

2. REGINA, alibi Robeda dicta, filios duos: *Drogonem*, Archiepiscopum Metensem in Cœnobio S. Arnulphi humo mandatum, & *Hugonem.*

3. ADELINDE, filium *Theodoricum.*

4. HIMELTRUDE, filium unicum *Pipinum* Gibbosum, seditiosum in Patrem, ac iccirco monasterio intrusum.

5. ROTHILDE vel Richilde, filias *Adelrodin*, *Roynam*, *Adelindin.*

Sed redeamus nunc ad D. Hildegardin fundatricem, & occasionem rationemque conditi talis cœnobii aperiamus, quæ Campidonii in veteribus monasterii annalibus sic in literas relata reperitur.

Ajunt, Carolo Magno fratrem fuisse ex noverca, Leutburga, Talandum nomine: cui ad bellum Saxonicum abiens Rex, & Hildegardin conjugem suam & Regnum ipsum quoq; totum commendarat. Flagrasse vero Talandum amore commendatæ sibi Reginæ tantopere, ut noctem etiam ac concubitus aliquoties ausus fuisset ab ea petere. Quos cum regina negaret, & sibi tamen à Talando nunquam non instante plurimum metueret, dixit aliquando petenti, ut singulare solitariumq; conclave aliquod *Talandus, Caroli M. frater, uxori illius stuprum inferre vult.*

fieri sibi curaret, in quo latenter amoribus perfrui & secure deliciari liceret, tum sese ei gratificaturam libentius. Talandus serio loqui Reginam existimans, jamq; magis ardens (quod jusserat Regina) studiose & expedite facit, pulcherrimum planeq; regium cubiculum in loco, à reliquis ædificiis paulo remotiore, construi curat, ad quod etiam non nisi per tres januas perveniri poterat. Ad id solito more iterum sollicitata ac invitata Regina, una cum amatore quasi ingressura accedit. Ut vero ad tertiam januam ventum esset, manu fores tenens Regina Talandum hilari vultu quasi & ipsa jam voti sui compos facta, præcedere jubet. Ille nihil cunctatus, nec doli quidquam in tali loco suspicans, sed sequuturam confestim Dominam sperans, lætus ingreditur: ibi ipsa muliebris astutiæ non ignara, januam post amatorem claudens & pessulo muniens in adventum usq; mariti sui Caroli, Talandum eo ipso loco inter dira jejunia captivum detinendum censet. Elapsis aliquot mensibus, cum ex præcursoribus regiis audit Regina adventare victorem è Saxonia Carolum, lætitia & gaudio plena, ut omnes sui gaudii participes faciat, Talandum etiam, delicti veniam multoties petentem, multiplicibus ejus precibus evicta & exorata, clementer è custodia dimittit, nihil sibi quidquam ab eo amplius metuens, ut quæ nullius mali sibi conscia esset.

Hildegardin uxorem Caroli M. Talandus falso adulterii ream arguit.

Venienti Carolo primus occurrit Talandus, ut cui provincia administrandi regni & custodiendæ Reginæ fuisset data. Is præveniri sese timens à Regina, ipsam commentitiis querelis prævenire maluit. Percontanti itaque Carolo, ecquid ita macer esset, multum ab illo Talando mutatus, quem abiens reliquisset: Tuæ (inquit) tuæ inquam delicatæ & castæ, si diis placet, conjugi acceptam hanc maciem fero, quæ ut adulterari securius posset, me (quod oculatius eam observarem) simulato clandestiniori colloquio in recens ad tale facinus constructum conclave evocat, cui tanquam carceri incluſum me in hos usque dies detinuit. Jam postquam te adventare audivit, liberum iterum dimisit.

His vafre excogitatis commentis fidem adhibens Carolus nec ad Reginam ingredi, nec ad sese illam admittere voluit, sed ut in

amnem

amnem projecta, statim è medio & conspectu suo tolleretur, serio mandavit. Regina, clam admonita, furenti Regis iræ sese subduxit, & ad vicini cujusdam Reguli Gynæceum sese recipiens, Dei beneficio salva evasit. Ad hunc Regulum cum Carolus etiam aliquando animi causa veniret, ac per pontem in ipsam arcem ingrederetur, videns prospicientem Hildegardin, à nequam Talando sibi proditam ac cum refricatione nondum consolidati vulneris ostensam, mox quasi novo œstro percitus in vicinam silvam eam abripi, & illic oculos ei erui jubet. Educta igitur ab apparitoribus Hildegarde, ut excœcaretur, venit casu, à DEO nimirum misericorde rerum mortalium inspectore missus, & ad tuendam lacrymantis ac trementis Reginæ innocentiam ordinatus, Eques quidam auratus, ut vocant, aut balthei jure conspicuus, Nobilis vir de *Freydenberg*, non immerito tali appellatus nomine, quod sive à lætitia sive libertate haberet, utrumq; profectohic in tempore veniens copiose secum afferebat. Is enim à Domina Adelinde fortuitu ad Hildegardin sororem ablegatus adventu & præsentia sua afflictam Reginam exhilaravit & ex apparitorum manibus liberavit, subdens pro ea catulum, cujus eruti oculi ad Carolum, ut jusserat, deferrentur. Liberata jam Hildegardis adjunxit sibi viæ & fortunarum suarum fidam sociam, virginem quandam, Rosinam de Bodmen, cum qua exul Romam adiit, ubi medicam artem (cujus per omnem vitam studiosa fuerat) ita feliciter exercuit, ut omnes tum ægrotos & afflictos consilio suo adjuvans non Romæ solum summis infimisque omnibus admirationi esset, sed in aliis etiam regionibus procul dissitis nova ista medica innotesceret.

Freydenbergius liberat Hildegardin ab excœcationis supplicio.

Accidit interea temporis, ut Talandus, autor istarum inter optimos conjuges dissensionum, justo Dei judicio non lepra tantum inficeretur, sed cæcus oculorum etiam usum amitteret: qui inquirens medicum, audivit Romæ fœminam esse, quæ omnibus ægrotis, præcipue vero ophthalmia laborantibus, felicissime & facilime subveniret. Carolum itaq; fratrem Romam adeuntem sequitur, fœminam inquirit, ad ejusq; ædes accedit: pulsanti januam prospiciens Bodmana prior occurrit, quæritq; quid velit.

Calumniæ pœna divinitus inflicta.

velit. Respondet nequam, Talandum se esse, Caroli Magni, Francorum Regis, fratrem: venisse, ut loqueretur medicæ isti mulieri, quæ diceretur oculorum doloribus mira promtitudine mederi posse. Hildegardis, à Bodmana edocta, jubet illi nunciari, ut abeat & sacerdoti peccata sua plene confiteatur, quæ ubi vera pœnitentia deplorarit, redeat postea: se interim visuram, quid ei collyriorum applicet pro restitutione ablati visus. Sic abit Talandus, quod jussus est facere, facit: confitetur, sequenti die redit, accipit medicamina & post pauculos dies sanatur.

Carolus M. innocentiam conjugis Hildegardis deprehendit.

Miratur Carolus Magnus medicam, miratur eandem Pontifex, & uterque novam illam Aesculapiam, tanta medendi facilitate & promtitudine præditam, videre cupit: missis itaq; nunciis vocari eam in palatium jubent: respondet medica, venire se ad Palatium non posse, sed venturam postero die in Ecclesiam S. Petri, ac ibi sese præsentaturam utriusque conspectui. Redeunt nuntii, unde missi fuerant, & quid receperint responsi, edocent. Sequenti die ingreditur templum medica cum socia sua Bodmana, & veniens in conspectum Regis ac Pontificis, à Rege statim agnoscitur, cui ipsa mox præsente summo Pontifice totam suarum calamitarum originem & seriem longa oratione exponit. Carolus, innocentiam dilectissimæ conjugis intelligens, abjectis concubinis omnibus ipsam in plenam gratiam recipit, ac charissimis liberis dulcissimam matrem restituit: fratrem vero Talandum, tantorum scelerum seminatorem, damnatum in Insulas ex perpetuo conspectu suo deportari jubet, quem ad dignum etiam supplicium rapturus erat, nisi precibus intercedentis Hildegardis Reginæ mitigatus vitam salvam ei donasset. Pontifex Carolo suam Hildegardin, quasi novam sponsam, data etiam nova benedictione associans ita eam honoravit, ut deinceps *Magna Hildegardis* (quemadmodum maritus Magnus Carolus) & sancta & beata omnium gentium gubernatrix deberet uno omnium ore salutari.

Post aliquot menses Domina Hildegardis cum Rege domum reversa, gratiarum actionis ergò (habita prius cum marito super ea re deliberatione) ex patrimonio suo cœnobium Campido-

pidonense construxit, quod facturam sese D. Virgini matri voverat prius in miseriis & ærumnis suis constituta, à cujus Filio, æterno Deo, sese adjutam & ex ærumnis his liberatam pleno jam ore confitebatur. Carolus vero, ut ipse etiam Deo pro restituta charissima uxore, & patefacta ejus innocentia gratus esset, condidit ampliſſimisq; proventibus annuis dotavit in honorem Beatæ Virginis, quæ Salvatorem mundi peperit, ornatissimam Basilicam Aquisgranensem, in qua hodie adhuc eum corpore (nam animus ad cœlestia emigravit) quiescere certum est. *Aquisgranense templum.* Hæc Campidonensis & Aquisgranensis Basilicarum initia sunt certissima. Primum vero Campidonensis cœnobii lapidem posuisse legitur anno Domini 773. Dominus Rolandus, Caroli Magni è sorore Bertha nepos, omnium Gallorum, *Sabellico* teste, fortissimus, præsentibus multis Principibus ac nobilibus. *Rolandus Caroli M. nepos ex sorore.*

Dedit autem Domina fundatrix ad recens conditum suum cœnobium Alpgoviam, id est, Alpibus adjacentem terram, *Sægoviam*, id est, lacubus, forte Sundtheimensi, Marisellensi & Sulzbergensi (hos enim ampliſſimos pisculentissimosq; lacus hodie adhuc possidet ejus loci Abbas) confinem provinciam, *Risgoviam*, hoc est, Rhetiæ vicinum agrum: *Augustigoviam*, Augustanæ nimirum urbi adjacens territorium: *Hilergoviam* item, id est, ad Ilerum sitos agros cum oppidis, pagis, castris, aquis, piscinis, campis, & pascuis, præcipue vero Comitatu & oppido Campidonensi, & arce Hillermontana, quæ, defuncto Hildebrando patre ejus, Rudelbrechti ac Beronis, Comitum de Brunschwiga, sedes fuerat, ad quam hæc omnia supra nominata territoria spectabant, cum omnibus juribus ac privilegiis, civilibus ac ecclesiasticis in omnem æternitatem, ad finem usq; mundi usurpandis. *Donatio Hildegardis.*

Dedit vero hæc omnia pro sustentatione Nobilium ac Illustrium Germaniæ virorum, qui pietatis, literarum ac religionis studio sese dederent: dedit pro Nobilibus, inquam, quòd Deo ita ordinante à Viro Nobili ex ærumnis & morte liberata esset. Elegit autem cum ad cœnobium construendum, tum ut quietem suam corpus defunctæ ad diem usq; novissimum haberet,

hunc locum præcipue, quod in Episcopatuum Constantiensis, ex quo paternam, & Augustani, ex quo maternam originem duceret, confinibus situs esset: & quod tum etiam in eodem districtu ad S. Nicolai sacellum pii habitarent Eremitæ, qui religiose Deo in maxima vitæ puritate & innocentia serviebant.

Gigantes Campidoni.

Adduxerat secum Carolus Hildegardi suæ è Constantinopoli duos incomparabilis staturæ ac stupendæ altitudinis Gigantes, *Sancimonem* ac *Celebrandum*, qui ingentia saxa humeris suis ad novum ædificium portantes, voracitate sua immensa cum conditrici, tum toti viciniæ admirationi erant, ac risum subinde movebant. Horum alter, Celebrandus videlicet, mortua Domina Hildegarde, in in Italiam venit: Sancimon vero Campidoni mortuus in medio Basilicæ honorifica sepultura donatus est.

Hildegardis cur sancta vocetur.

Fundatrix Sancta vocatur, non quod canonizata sit à Rom. Pontificibus, sed quod ab incunabulis Christi doctrinarum ac præceptionum studiosissima, summo semper studio ægrotos inviserit, & verbo Dei consolata sit, quod è partu laborantibus fœminabus Imperatrix etiam adfuerit, quod omnibus pauperibus largissima eleemosynarum distributione opem summam tulerit. Cujus pietatis insigne & conspicuum hodie adhuc est in Campidonensi monasterio indicium, ubi in ejus memoriam singulis septimanis bis, diebus videlicet Lunæ & Veneris, ducenti homines pauperes distributis panibus cibari ac refocillari solent. Duxit eam Carolus Magnus Brunswigæ, ubi tum apud Aviam Talatinam vixisse scribitur. Decessit ex hac lachrymarum valle ad cœlestis patriæ gaudia inenarrabilia anno Christi 783. Sepelitur (ut moriens petierat) in Basilica sua Campidonensi: etsi cœnobitæ S. Arnulphi, extra Mediomatricum potentissimæ urbis mœnia in perveteri ac magnificentissimo monasterio habitantes, jactitent, sese eandem etiam Hildegardin ejusq; filium Ludovicum Pium, filias vero, Hildegardin & Adelhaidin, in sui templi augusto equidem choro magnificis sepulchris conditas habere: ubi ego superiore anno sequentia dictarum regiarum personarum epitaphia exscripsi, quæ huic descriptioni inserenda censui. Fieri autem potuit, quod Meti mortua, illic humata initio sit, & postea

S. Arnulphi Metense cœnob.

inde

inde Campidonam translata : sicut id multis Imperatoribus & Imperatricibus accidit, videlicet Philippo, Barbarossæ filio, Adolpho Anaxoviano, Alberto Habspurgio, & aliis pluribus, qui alibi primum humati, postea Spiram in Regum sepulchra translati sunt.

HILDEGARDIS
Reginæ tumulus.

Aurea quæ fulvis rutilant elementa figuris
Quam clara extiterint, membra sepulta docent.
Hic Regina jacet, Regi præcelsa potenti
Hildegard Karolo quæ bene nupta fuit.
Quæ tantum claræ transcendit stirpis alumnos,
Quantum, quo genita est Indica gemma, solum.
Huic tam clara fuit florentis gratia formæ,
Qua non occiduo pulchrior orbe foret.
Cujus haud tenerum possint æquare decorem
Sardonyx Pario, Lilia mixta rosis.
Attamen hanc speciem superabant lumina cordis,
Simplicitasq; animæ, interiorq; decor.
Tu mitis, sapiens, solers, jocunda fuisti,
Dapsilis & cunctis condecorata bonis.
Sed quid plura feram? cum non sit grandior ulla
Laus tibi, quàm tanto complacuisse Viro.
Cumq; vir armipotens sceptris junxisset avitis
Cyclniferumq; Padum, Romuleumq; Tibrim:
Tu sola inventa es, fieres quæ digna tenere
Multiplicis regni aurea sceptra manu.
Alter ab undecimo rursum te sustulit annus,
Heu genitrix Regum, heu decus atq; dolor.
Te Francus, Suevus, Germanus, teq; Britannus,
Cumq; Getis duris plangit Ibera cohors.
Accola te Ligeris, te deflet & Itala tellus,
Ipsaq; morte tua anxia Roma gemit.

Movisti ad fletus & fortia corda virorum,
Et lachrymæ clypeos inter & arma cadunt.
Heu quantis sapiens, & firmum robore semper
Ussisti flammis pectus hevile Viri.
Solatur cunctos spes hæc sed certa dolentes,
Pro dignis factis quod sacra regna tenes.

LUDOVICI
Regis & Imperatoris tumulus.

Imperii fulmen, Francorum nobile culmen,
Erutus à seclo conditur hoc tumulo.
Rex Ludovicus, pietatis tantus amicus,
Qui pius à populo dicitur & titulo,
Hildgardis soboles, Caroli Magni pia proles,
In pacis metas colligit hunc pietas.
Rumilicam villam, quicquidq; refertur ad illam,
Arnolpho sancto contulit huicq; loco
Stirps, à quo Procerum, Regumq; vel Imperatorum,
Quorum muneribus sistitur iste locus.

ADELHEIDIS
Filiolæ Caroli Magni.

Hoc tumulata jacet pusilla puellula busto,
Adelheid amne sacro quæ vocitata fuit.
Huic sator est Carolus, gemino diademate pollens,
Nobilis ingenio, fortis ad arma satis.
Sumserat hæc ortum propè mœnia celsa Papiæ,
Cum caperet genitor Itala regna potens.
Sed Rodanum properans, rapta est de lumine vitæ,
Idcaq; sunt matris corda dolore procul.
Excessit patrios non conspectura triumphos:
Nunc patris æterni regna beata tenet.

HIL-

HILDEGARDIS
Filiolæ Caroli Magni.

Hildegard, rapuit subito te funus acerbum,
Ceu raptat Boreas vere liguſtra novo.
Explevit necdum vitæ tibi circulus annum,
Annua nec venit lux genuina tibi.
Parvula non parvum linquis Virguncula luctum,
Confodiens jaculo regia corda patris.
Matris habens nomen veno vas de morte dolorem,
Poſtquam vixiſti vix quadraginta dies.
Pectore nos mœſto lachrymarum fundimus amnes:
Tu nimium fœlix gaudia longa petis.

ABBATUM hujus ampliſſimi cœnobii omnium, à primo ad eum usque, qui hac noſtra tempeſtate rerum potitur, talis mihi ſuperiore anno ab ejusdem Abbatiæ Conventualibus clariſſimis, generisq; & ingenii nobilitate maxime illuſtribus viris, Friderico à Thierberg, & Chriſtophoro à Freyberg catalogus, etſi à me digeſtus & auctus poſtea, benigniter communicatus eſt. *Abbatum ſeries.*

1. *Andegarius Grundeſeſtus*, de Brunſwiga, Rolandi filius, eorum generis, qui poſtea ſucceſſu temporis duces creati, Brunſwicenſes Duces dicti ſunt: ab aliis Audegarius, & iterum aliis Amelgarius nominatus, vir genere, moribus ac doctrina nobilis, ab ipſa S. Hildegarde Regina & fundatrice Romam accerſitur, ut is, cui gubernationem recens inchoati cœnobii ipſa commendatura aliquando eſſet, ſacris initiatus Pontifici innoteſceret, à quo mox, præſente Carolo Magno, inauguratus eſt ipſa die Dominicæ Reſurrectionis, anno Domini 773. eodem nempe anno, quo fundamenta cœnobii jacta ſunt. Electus vero eſt in primum viginti trium nobilium cœnobitarum Campidonenſium Abbatem anno incarnati Verbi 777. Præfuit pie, quiete, & fideliter, annis 19. Conſecutus eſt pro ſe & ſucceſſoribus ſuis omnibus inſigne privilegium ab Adriano Pontifice, in quo Pontifex Campidonam, alteram vel ſecundam Romam appellans, ab omni eam Epiſcopali jugo exemtam & perpetuo liberam eſſe ſtatuit. *Brunſwicenſium Ducum origo.* *Campidonum, ſecunda Roma.*

Abbas matutinis horis clericus, pomeridianis Politicus.

bati vero concedit plenam potestatem ante meridiem sacra faciendi, post meridiem vero gladii ad exercenda jura forensia, ad tuendos bonos ac è medio tollendos malos usurpandi. Unde versus natus, quem Abbas & Princeps loci hujus cum Herbipolensi Episcopatu communem habet:

Campidona sola judicat ense, stola.

Academia Sangallensis, Erfordium translata.

Ejusdem Pontificis consensu translata est ad monasterium Campidonense celebris tum Academia Sangallensis, quæ postea è Campidona propter tumultuantem ibi plebem Herbipolim, & anno 1398. ex Herbipoli, in Episcopum suum seditiosa, Erfordiam ab Archiepiscopo Moguntino Joanne, Comite Anaxoviano, translata legitur, Bonifacio IX. Pont. Max. privilegia dante. Imperator vero Carolus eidem Abbati Andegario, ad Principis dignitatem evecto, monetæ etiam cudendæ potestatem dedit. Advocatos vero ac tutores cœnobii constituit ac designavit Ducem Bavariæ, Marsallum: Saxoniæ ducem, pincernam: Montisfortis Comitem, dapiferum: Comitem de Nellenburg, Camerarium Abbatis. Andegarius iste pagum etiam Gronenfurtensem, viridis vadi scilicet, possedit, quem hodie auctum & in celebrem urbem ampliatum *Memmingam* vocant, in quo multa condidisse legitur. Paucas habebat tunc temporis Suevia urbes, præter Augustam, Phullendorfum & Campidonam, ferè nullas, sed pagos multos amplos, Ulmam videlicet, Grunenfurtum, Biberacum, Leutkirchium, Isnam &c. qui omnes vicinorum erant Abbatum. Obiit Andegarius secunda Novembrium anni 796. Sepelitur in choro sub ara maxima.

Advocati cœnobii Campidonensis.

Memminga. Suevia olim paucarum erat urbium.

2. *Agapitus de duro cornu*, nobilis heros genere, & vir prudentissimus, eligitur in Abbatem anno Domini 796. Præfuit sub Pont. Max. Leone III. & hujus successore Stephano uno & viginti annis laudabiliter. Collegit insignem Bibliothecam, in quam cum neophytus aliquis candelam aliquando ardentem portasset, & negligenter deposuisset, incendio inde orto, magna pars cœnobii misere conflagravit. Obiit animi dolore, 4. Decembrium anni 817.

Bibliotheca Campidonensis.

3. *Gothar-*

3. *Gothartus Kaltenbergerus*, Aquisgranensis, quemadmodum genere, sic vitæ quoq; innocentia nobilis, eligitur anno 817. Præfuit sub Pont. Max. Paschali I. Eugenio II. Gregorio IV. & Valentino I. annis 23. Condidit dormitorium & refectorium insigne, campanas item maximas, plurima item in pago Grunenfurt, hodie Memmingen. Habuit sua ætate insignem lacum sub arce Hillermontana, per quem volitantes & natantes anates, ministri Abbatis ex ipsa arce jaculis ferire & in suam potestatem redigere poterant. Obiit 13. Augusti, anno Domini 840.

4. *Adelbertus*, *alibi Eccenbertus Moringerus*, de Hopfferbach, vir nobilis, successit Gothardo anno supra scripto. Fuit Hittonis, sexti Episcopi Frisingensis in Bavaris, nepos ex fratre, cui etiam in Episcopatus gubernatione successit: tandem ad Abbatiam quoque Campidonensem una cum Episcopatu gubernandam accersitus, præfuit sub Pont. Max. Sergio II. annis undecim utiliter. Huic Domina Rorinna, Ducissa Sueviæ (cujus etiam supra in Genealogiis mentio facta est) aureos & argenteos dono dedit ornatus, qui postea ab Hunnis ablati sunt. Reperitur adhuc in ambitu tale de eo scriptum: anno 842. Adelbertus, Episcopus Frisingensis & Abbas hic, Marcas monasterii reparavit. Cætera vetustate abolita illegibilia sunt. Decessit ex hac vita undecima Januarii anno Domini 854. & Frisingi, ubi plerunq; sedebat, honorifice sepelitur.

5. *Conradus Dorn*, de Kalbstaugusta, (quod veteris arcis nomen est) illustris, castus, & religiosus vir, eligitur in Abbatem anno Domini 854. sub Pont. Max. Leone IV. Præfuit annis sex. Condidit plurima templa & sacella. Fodit puteum in arce Hillermontana, & ibi ferream invenit arcam, gentilitiis numismatibus aureis & argenteis, aliisque ornamentis refertam, quibus constructa templa eleganter & studiose decoravit. Obiit septima Martii anno Domini 861.

Numismatum arca plena Campiduni inventa.

6. *Gerungus Ambergerus*, Augustanus, vir magis strenuus & martius, quàm religioni deditus, sed bonus tamen sui cœnobii pater, eligitur anno Domini 861. Præfuit annis undecim. Sedit plerumque in arce Heimertingensi. Percuti fecit gladio tres magni

Pœna diplomatum ac sigillorum falsarioum.

magni nominis ministeriales, quod diplomatum ac sigillorum fuissent falsarii. Obiit in ipsis Calendis Januariis anni 872. Habuit aliquandiu in administratione coadiutorem eum, quem postea & successorem reliquit.

7. *Landefridus Hochtanner*, ab Hattenwill, de bona & nobili familia natus, vir admodum mitis, doctus item & legum peritia clarus, sed non perinde facundus, assumitur in Abbatem anno Domini 868. Præfuit sub Romanis Pontificibus, Adriano II. Joanne VIII. & Martino II. annis viginti quatuor. Primus is cudit monetam. Multa construxit in civitate Campidonensi sua, quam mœnibus etiam muniri fecit. Decessit morte subitanea 16. Januarii anno 892.

8. *Fridericus Gremlichius*, de Ochsenbach, vir liberali doctrina & omnibus egregiis virtutibus præditus, tantum fœminei sexus amantior, quam decebat monasticæ vitæ inspectorem, successit Landefrido. Sedit ad clavum Abbatiæ annis 18. sub Romanis Pontificibus, Formoso & Bonifacio VI. Circa hæc ipsa tempora Salomon, Baro Ramschwagius, Episcopus Constantiensis, etiam aliquandiu ex donatione Arnolphi Imperatoris præcipuas tenuit partes Campidoni. Excepit Fridericus ex nobili fœmina quadam tres liberos. Valedixit hominum in terra viventium consuetudini ultima Februarii, anno salutis per Christum reparatæ 910.

9. *Burcardus Ricznerus*, ab Hattenhofen, vir nobilis & imprimis bonæ familiæ, assiduæ variorum librorum lectionis, quàm politicæ gubernationis studiosior, eligitur anno Christi 910. Præfuit annis 17. Sub ejus gubernatione cœnobium ac oppidum Campidonense, & castrum Hillermontanum, ab Hunnis, Germaniam circumquaq; populantibus, & tandem Morsenburgi in Thuringia ab Imperatore Henrico Aucupe cæsis, direptum, incensum, ac vastatum est. Obiit nona Januarii anno gratiæ 927.

Campidonum ab Hunnis evertitur.

10. *Theobaldus Preitfelderus*, de Aichsteten, vir læto & hilari animo præditus, genere nobilis, virq; eruditus, & ingenii quàm vultus aut corporis forma præstantior, sed non admodum religiosus,

giosus, succeſſit Burcardo, rebus humanis exemto anno Domini 927. quo iterum cœnobium ab Hunnis insigni clade affectum est, qui & pagos & arces incendio vastarunt. Legitur ab impetrata Pontificia confirmatione 13. tantum septimanis præfuisse, & propter fœminam quandam veneno è medio sublatus ab aliquo præfecto suo, in arce Hillermontana sedente, qui tamen à civibus Campidonensibus deprehensus, ut homicida, mox rota plectebatur. Obiit Abbas tertia Maij anni 928.

11. *Adelbrechtus Landfurer*, à Sulgow, succeſſit Theobaldo. Sed nihil de eo invenio, nisi quod tertia Februarii evocatus sit ex hac mortali vita.

12. *Ludovicus Fridſamler*, de Rauns, admodum bona & celebri familia natus, misericors dominus, mitis, placidus, & benignus, eligitur anno Domini 940. Præfuit per unius saltem anni spatium. Obiit 25. Maij anno 941. Sub ejus etsi brevi gubernatione, tertio vastatum est cœnobium ab Hunnis ita misere, ut, Abbate solo in Hillermontana arce remanente, Conventuales reliqui omnes varie hinc inde in diversa loca, refugium quærentes, dissiparentur. Mox Abbate etiam Augustam secedente, orto incendio ex non bene sopito igne, arx Hillermontana cum multis diplomatibus ac privilegiis tota, & magna etiam circumsiti oppidi pars lamentabiliter periit: monasterium vero ferarum spelunca & latrocinantium undiquaq; Hunnorum latibulum factum est. *Hilermont incendio perit.*

13. *S. Ulricus*, Episcopus Augustanus, Comes Kiburgius ac Dillingensis, à moriente Ludovico exoratus, monasterium ita misere combustum, vastatum ac deformatum, etiam jussu Othonis Imperatoris, in tutela aliquandiu habuit. Is anno Domini 963. porticum S. Nicolai, Ecclesiam, in pomerio Campidonensis monasterii sitam, iterum dedicavit. Accidit vero quinto anno post hanc vastationem ac tertio acceptam cladem, ut Sueviæ Dux, Ernestus, in Bavariam iter facturus, veniret ad Stetwangum, quod etiam erat vastati & in cineres collapsi cœnobii Campidonensis allodium: ibi ingressus Dux sacram ædem duos adhuc repperit cœnobitas Campidonenses, Amandum Breytklee, *Occasio secundario fundati cœnobij.*

klee, à lato trifolio dictum, & Felicem Briemium, sibi dudum bene notos: Amandum vero forte fortuna tum concionantem. Is ducem Ernestum auditorem nactus in concione strenue pergit, & tandem suum institutum deflexa oratione, quasi digressione facta, collapsum ac funditus deletum tantum cœnobium querula ac lachrymabili voce instituta deplorat, quod fuisset olim à Suevorum pia ac laudabili Ducissa tam splendide, tam liberaliter, tanta pietate & dignitate erectum, in quo hactenus tot pii, tot doctrina & virtute præstantes, consilio & ope toti provinciæ utilissimi viri vixissent, ex quo pasta esset totius viciniæ pauperie & egestate oppressa turba, ex quaque Episcopi & Imperatorum prodiissent consiliarii. Ad talis domus restaurationem merito debere conferre iterum aliquid omnes pios, præsertim vero Principes viros, eosque nimirum, qui S. Hildegardi primæ fundatrici sanguinis propinquitate essent conjuncti. Hac oratione ita motus est Dux Ernestus, ut illico ad sese Amandum istum concionatorem accerseret, & ab eo (num aliquid privilegiorum adhuc ex tanta vastatione reliquum esset) quæreret. Cum vero Amandus librum ei privilegiorum & diplomatum salvum exhiberet, Ernestus mox monasterium quasi de novo instaurare, cœnobitas recolligere, & S. Udalrici ope & consilio Abbatem certum his præficere, novamq; omnium privilegiorum confirmationem ab Imperatore Othone primo petere & obtinere cœpit. Hunc itaq; Ernestum secundum fundatorem ac erectorem suum Campidonensis Ecclesia & civitas merito agnoscit, merito laudare & perpetua gratitudine celebrare debet.

Ernestus, Dux Suev.

14. *Alexander Fordreffer ab Eck*, vir nobilis, ex optima familia natus, justi æquiq; mire studiosus, sacrarum vero Scripturarum peritia eximie clarus, constituitur Abbas resurgentis cœnobii anno Christi 962. sub Rom. Pontifice Joanne XII. Præfuit 30. annis felicissime & utilissime, non tantum diligenti inspectione œconomiæ, qua dilapsas & direptas cœnobii res præclare recuperavit & auxit, sed concionando ac docendo etiam, quo magnam sibi tum apud suos, tum exteros authoritatem ac existimationem comparabat, benevolentiamq; & amorem non minorem

rem excitabat. Renovavit in oppido Campidonensi templum S. Magni, & ut muri iterum conderentur, & civitas etiam ampliaretur, civibus ac subditis suis libenter concessit, ac liberam potestatem dedit. Fuit Ratisbonæ in Imperii Comitiis, in quibus ab Othone Imperatore (ut limites cœnobii de novo firmarentur, multa enim à pauperibus Alpogoviæ Nobilibus abstracta & abalienata erant) impetravit. Valetudinarius tamen non omnia ipse efficere & expedire potuit; diu enim decumbebat: habebat vero fautorem ac amicum summum, olim etiam condiscipulum, Episcopum quendam Frisingensem, qui omnia ipsius nomine diligentissime expediebat. Obiit tandem anno Domini 992. sexta Augusti.

Sub hoc Abbate inventa est, cum denuo instauraretur Campidonensis Basilica, & renovarentur etiam fundamenta, plumbea tabula in S. Hildegardis tumulo cum tali, soluta saltem & satis equidem barbara inscriptione: *Hildegardis R. tabula sepulcralis.*

Annis decursis septingentis octogintaq; tribus
Busto in hoc bustarii felicem bustarunt Hildegardin,
Quæ variis claruit signis, Dei vigore in multis,
Cujus in pace sancta requiescat anima. Amen.

15. *Stephanus Taradus* ab Erpach, bonæ stirpis ac familiæ vir, sacrarum Scripturarum non triviali cognitione insignis, religiosus admodum, piæque omnino ac innocentis conversationis, eligitur in Abbatem Campidonensem anno Domini 992. Præfuit annis 19. Juvit aliquandiu etiam Lambertum, antistitem Constantiensem, in gubernando Episcopatu. Fuit Abbas crasso & pingui corpore onustus, qui equo vehi nusquam potuit, sed pilentis aut lectica ferri solebat, quoties peregre prodibat. Vastavit præfecti sui, Godefridi Greulichii, tum in Libripendulo sive Wageggo, Abbatiæ castro, residentis ope & auxiliis, Langenbergensium, Nobilium pauperum & ex rapto tunc temporis tantum victitantium, arcem. Obiit 10. Junii an. 1011. *Arx Langenberg.*

16. *Eberhardus Hertensteiner* à Wineden, vir nobilis, pius, religiosus, ingeniosus & doctus, sed homo admodum iracundus, eligitur anno 1012. Præfuit præclare & summa cum laude annis

nis 32. septimanisq; 30. Erat amans venationum & aucupii. Is oppidum Campidonense fossis munivit, fontibus item intra mœnia, extra vero illa, lacubus ac piscinis insignivit, sub Pont. Max. Silvestre secundo. Exuit hominem tertia Aprilis anno redemti orbis 1044.

Honor mutat mores.

17. *Giselfridus Latifolius*, vulgo Preitblath, à Mulhusen, parentum & ingenii nobilitate conspicuus, ante inventas ad Abbatiam claves, mirum in modum humilis ac religiosus, post inventas elatus & totus secularis, pomparum amans ac voluptuarius, præsertim quod ad muliebria attinet sodalitia, eligitur anno Domini 1044. Præfuit quatuor annis, charus omnibus Principibus, quibus propter ingenium, consilii & sapientiæ feracissimum, plurimum sæpe proderat. Discordiarum enim inter Principes viros sopiendarum ac componendarum, quòd eloquens & prudentissimus esset, mirus erat artifex. Sæpe legatus etiam ad Pontificem à Germaniæ Principibus missus. Adeo potens erat, & adeo multi & splendidi apparatus amans, ut sæpe trecentos nobiles & equestris ordinis viros circa sese haberet & aleret solus. Obiit ultima Junii anno 1048.

18. *Landolphus Reinsteterus*, ab Hoheneck, vir pinguis & corpulentus, sed & religiosus, & cœnobii sui illustrator locupletatorq; maximus, ad cujus gubernationem aliunde accersitur anno Christi 1048. Resignavit Abbatiam primo statim gubernationis suæ anno cum consensu fratrum, quos errabundos antea in viam reduxerat.

19. *Bertholdus à Thannenfeels*, per Landolphi antecessoris sui liberam resignationem gubernaculum Campidonensis Abbatiæ consequutus est anno 1049. Legitur decessisse 24. Augusti, cum paucis annis præfuisset. Aliud enim de eo nihil in fastos relatum est.

20. *Henricus Dorenstichius*, de veteri Ravenspurgo, nobilis ex bona familia natus, vir sapiens ac prudens, eligitur anno Domini 1063. pontificante Romæ Alexandro II. Non diu præfuit. Obiit Constantiæ 7. Maij, sed quo anno, id incertum est. Expugnavit & in suam potestatem redegit duas arces Kurnachianæ ditiun-

tiunculæ, prædonum latibula. Quinque vero alias Sueviæ & Bavariæ Principes dejecerunt.

21. *Conradus Neobrunnerus*, de Osterraco, eligitur sub eodem Pontifice Romano, Alexandro II. anno Christi 1073. Gessit magnum bellum contra nobiles quosdam Centauros, Gothardum Aichenberger, in arce Aichenhaldo sedentem, Felicem de Stephansried, Othonem à Winberg, Theobaldum à Scheer, in arce Hertzemburgo degentem, Hildebrandum Memminger, castrum Hundsmor tenentem, quarum appellationum arces fuerunt non procul ab Uttenburrha, Benedictino cœnobio: hodie apparent earum saltem ruinæ in densissimis nemoribus. Isti vero nobiles oneri erant toti circumjacenti viciniæ & omnibus prætereuntibus viatoribus, ex Campidono & Grunenfurt ambulantibus. Idcirco Abbas has arces omnes & adjuvante Deo citiusquàm in anno fregit & ex imis fundamentis evertit, ejectis etiam in exilium nobilibus illis Cacis, ex rapto tantum & sanguine viventibus. A quorum aliquibus graviter apud Imperatorem Henricum IV. accusatus & mendaciter delatus Abbas, inclementem habuit aliquandiu Cæsarem, sed mox veritate rerum gestarum edoctum facile illum sibi reconciliavit. Hildebrandus Memminger ferro & incendiis sese ulcisci parabat. Ex arce enim Meßkirch prope Sulgow excursionibus factis in agrum usque Campidonensem incendio & rapinis omnia vastabat, magumque cœnobio damnum inferebat anno Domini 1081. ipsa die Innocentum. Sed dedit is tandem justas temeritatis ac tyrannidis suæ pœnas. Post duos enim menses captus cum aliis Comitibus ac sociis septem à Domino Burcardo Hochtheimero, Equite aurato & Campidonensis cœnobii præfecto in pago Richenbacensi: inde in arcem Hillermontanam abductus, & sequenti die cum sociis omnibus securi percussus est, in colle prati Suickheriani, idq; factum est mense Aprili. Abbas deinde post aliquot annos exauthoratus est, propter non admodum feliciter administratam gubernationem, qui obiit postea 16. Julii.

Bellum, contra Nobiles.

Meßkirch.

22. *Udalricus Lindegrun*, ab Ochsenbach, mitis, misericors & bonus vir, ita non genere saltem, quo multi tument, sed & virtute

tute nobilis: valde etiam religiosus, eligitur, anno Salutis 1092. sub Pont. Max. Urbano II. Obiit Abbas iste 19. Martii. Ordinavit, ne ulla fœmina Campidonensis unquam, (utut esset peccatum vel delictum ejus enorme) capite, hoc est, ad mortem damnaretur, propterea quod sua ætate duæ fœminæ damnatæ, à S. Hildegarde precibus mota è carcere & custodia liberatæ, illæsis seris, in ejus tumulo sedentes inventæ essent, cum postero die ad supplicium ducendæ essent.

Abbas fœmineo sexui admodum propitius.

23. *Hatto vel Otho Niderhofius*, ab Erisheim, vir mitis ac placidus, vitæ per omnia piæ & admodum religiosæ, eligitur anno Domini 1125. sub Honorio Pontifice, & Henrico V. Imperatore, Noribergam tunc vastante. Is afflicta valetudine præditus non diu præfuit, sed Abbatiam uni ex Conventualibus suis, Friderico videlicet Festenbergero, 17. Maij resignavit. Hujus tempore, acre bellum, & varii tumultus quorundam Nobilium adversus Abbatiam hanc excitati erant propter vastatam aliquam arcem prope Oberdorffum, quæ latronum latibulum fuerat: erantque tanti tumultus, ut conventus aliquandiu isti furori cedere & in præpositura Stettwangen exulare cogeretur. Eadem tempestate obsedit Lotharius Imperator Ulmam, & circumjacentem omnem Sueviam ferro & igne depopulatus est. Obiit Abbas Hatto tandem undecima Decembrium.

Stetwangen præpositura.

Ulma obsessa.

24. *Fridericus Festenberger* à Landsbergo, de quo nihil quicquam extat.

25. *Fridericus Klingenstein*, Augustanus, honestus ac verecundus, sapiens & prudens vir, eligitur anno Domini 1138. sub Innocentio II. Pontifice: quamdiu præfuerit, non invenio. Obiit 3. Aprilis.

26. *Robertus Conradus*, Hennenbergius à Scheideck, satis nobilis, religiosus multum, sed longe tenacissimus paterfamilias, eligitur anno Christi 1152. sub Anastasio IV. Pontifice Maximo. Obiit subitanea & improvisa morte 5. die post electionem, in ipso itinere versus Romam, pro impetranda confirmatione suscepto, ipsa quinta etiam Novemb. Et statim ei subrogatur

27. *Fride-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

27. *Fridelocus Vorburgerus* ab Helmshofen. Eligitur is anno Domini 1152. Vendidit Haldenwangum, & obiit ultima Maij, sed quo anno, incertum est. Sub hoc, Abbas quidam Isnensis Marquardus bello Campidonense cœnobium adortus, id in suam deditionem redegit; sed tantum sex horis retinuit, & cedere iterum adventanti cum majoribus copiis Abbati Frideloco est coactus, idque factum est propter Aschacensis Montis silvas ac nemora. *Abbas Isnensis occupat Campidonum: sed non diu possidet.*

28. *Bertholdus Hochbergerus*, de Sacro ligno, ex egregie nobili genere & familia ortus, ingeniosus item & eruditus vir, sed quineutiquam inhumanis mulierum desideriis plurimum teneretur, eligitur anno Christi 1185. sub Lucio tertio Pont. Max. Sub hoc magna erat per omnem Algoviam annonæ difficultas, idcirco ad commodiorem multorum pauperum sustentationem construxit è quadrato lapide magnam domum in oppido Campidonensi, tum præfecti domicilium, quæ hoc tempore reipubl. Campidonensis & Salis domus constituta est, anno 1506. Dabat laboratoribus supra victum hebdomodatim singulis dimidium ursum. Vendidit insciis conventualibus suis arcem Itelspurgensem Nobilibus quibusdam. Conjunxit primo ponte Ilerum amnem: condidit & macellum & molendina. Obiit quinta Augusti. *Annonæ difficultas in Algoja.* *Pons Ileri.*

29. *Rudolphus Wolffgangus, de Kungseck*, optimæ & celeberrimæ nobilitatis vir, consilio & prudentia rerum civilium gerendarum gravissimus, eligitur anno Domini 1208. sub Innocentio tertio Pont. Max. Scribitur Archiepiscopus Salisburgensis designatus esse, & forte per discordem electionem: nam in Salisburgensium annalibus ego eum non reperio. Hujus temporibus arx Wagegk, quam hodie Nobiles de Loubenberg tenent, Abbatis Campidonensis imperio suberat, quæ postea per fraudem alienata est. Obiit tertia Augusti. *Wagegk.*

30. *Henricus Burtenbachius* eligitur anno Christi 1220. Renovavit & de novo reædificavit arcem Hillermontanam. Obiit secunda Januarii, anno Domini 1225.

31. *Hen-*

31. *Henricus* à Summerou, vir genere & virtute nobilis, eligitur anno Domini 1225. Renovavit & reædificavit cœnobium. Præfuit 10. annis, & obiit die secunda Januarii anno 1235.

Beneficentia in pauperes exemtia.

32. *Gebhardus Orteck*, à Maiburg, non admodum nobili patre natus, sed vir religiosus ac admodum angustæ conscientiæ, eligitur anno Domini 1235. sub Gregorio IX. Pont. Max. Cibavit in magna annonæ difficultate singulis diebus plures quàm centum peregrinos pauperes pulte, in magno & amplo aheno seu caldario cocta. Obiit 23. Augusti.

33. *Theobaldus* vel *Theothymus Birckherus*, à Felsburgk, præfuit anno Domini 1237. quo plurima in munimentis oppidi condidisse legitur. Obiit 14. Februarii.

34. *Avergerus Randecker*, à Grundtstein, successit Theothymo. Habuit amplissimum ac maxime numerosum conventum.

Hildegardis castrũ vastatur.

Sub ejus gubernatione vastatum legitur in Lottersburgo monte castrum Hildegardisburgum dictum. Exauthoratur septima Aprilis anno 1242.

35. *Hartmannus Mulegg*, vir genere & majorum imaginibus satis nobilis, legum cognitione insignis, devotus & religiosus, eligitur anno Domini 1242. sub Innocentio IV. Pont. Max. Cum vero Hunni excursionibus in Germaniam factis popularentur circa hæc tempora Sueviam, Abbas & monachi relicto cœnobio aufugerunt in vicinas arces. Obiit tertia Julii.

Thomas Aquinas hospitio exceptus.

36. *Nericus* vel *Ulricus Nerlinger*, *à Wurmberg*, vir nobilis & pius, eligitur anno gratiæ 1253. sub Alexandro IV. Pont. Max. Excepit hospitio Thomam Aquinatem. Extruxit contiguam Ecclesiæ turrim egregiam, positis in fundamenta omnibus sepulchralibus lapidibus Abbatum & equestris ordinis hominum, Comitum item ac Baronum: quam cum vidisset (qui sub eo Abbate in cœnobio per triduum vixit) Imperator Henricus VI. dono dedit ille S. Hildegardi & cœnobio Campidonensem sylvam maximam & pulcherrimam, pro qua jussit in honore Hildegardis & ejus filii Ludovici Imperatoris extrui etiam alteram & secundam turrim, ita ut una pro Hildegarde, altera pro Ludovico Pio in memoriam astaret sempiternam. Harum turrium hodie

Turris Hildegardis in templo Campidonensi.

Campidonense cœnobiũ perit ignibus.

hodie adhuc una S. Hildegardis, altera S. Ludovici turris appellari solet. Obiit Abbas 13. Novembr. Sub eo combusta est & misero incendio periit cœnobii magna pars, anno Domini 1261. postridie S. Magni; unde hi versus extant.

Annis transactis plus uno mille ducentis
Et sexaginta combusta fuit domus ista
Post festum Magni præcelsi nocte sequenti.

37. *Eberhardus Burgberger* ex Algovia, vir illustris & generosus, eligitur anno Christianæ redemtionis 1268. sub Clemente IV. Pont. Max. Habuit hostes, nobiles Heimenshoferos à Burgberg, propter feudum quoddam. Obiit 22. Maij. Habuit conventuales tantum tredecim, qui singuli singulas ædes incolebant, equosq; & servos alebant plurimos.

38. *Conradus Zoller*, à Wisensteig, vir justus, ingeniosus & doctus, eligitur anno Domini 1296. sub Bonifacio IIX. Pont. Max. Sedit diu in arce Hillermontana & Heimertingi: posuit & plantavit veteres tilias in cœmiterio hodie adhuc conspiciendas. *Veteres tiliæ.* Fecit fodi fossam ab arce Hillermontana, hodie Burghalden, ad Ilerum usq; fluvium. Obiit quinta Octobrium.

39. *Hardmannus Schneeller*, à Rauns, bona & nobili familia *Abbas lesatus*, virtute & doctrina illustris, eligitur anno Christi 1302. sub *pra inficitur.* Bonifacio IIX. Pontif. Max. Factus est leprosus & multum auri & argenti dedit medicis pro conservatione corporis, sed frustra. Obiit 23. Januarii. Cibavit & iste in magna charistia cocta pulte singulis diebus supra centum pauperes utriusq; sexus.

40. *Henricus Impurus*, ab Hirsdorff, vir prudentia & doctrina clarus, eligitur anno Domini 1315. Præfuit sub Joanne XXII. Pont. Max. Aluit Tibicines, qui venientes equites exciperent & indicarent. Peregre proficiscens erat semper lorica indutus sub toga. Obiit 12. Maij anno 1331. Sepelitur ante aram omnium sanctorum.

41. *Burcardus Buregkius*, Algovius ex Haselnwiler, nobilis quidem genere, sed non admodum religiosus, eligitur anno Domini 1336. sub Joanne supradicto Pont. Max. Fecit absolvi muros oppidi Campidonensis. Obiit postea 19. Julii. Fugit ex *Discordiam o-*

nachorum fugæ causa Abbati.

cœnobio propter indissolubiles cœnobitarum suorum discordias.

42. *Conradus* successit Burcardo & itidem fugit ex cœnobio propter impacabiles discordias conventualium, quibus datus est commissarius à Rom. Pont. Episcopus Constantiensis. Is gubernatorem cœnobio præfecit, aliquandiu in arce Hillermontana sedentem, sacerdotem ac præpositum *Conradum Clangenbergerum*, cui concubina, Rosina Lattmerina, arcam plenam literis & diplomatibus subtrahens, literas eas quibusdam vicinis desideranter eas petentibus vendidit. His literis adjuti & animosiores facti Campidonenses cives, & tali præposito ad clavum sedente, qui homo ignavus, populo etiam Campidonensi, ad omnia conniventi, nimium æquus & propitius erat, strenue jam laborarunt in construendis & absolvendis urbis suæ munitionibus, turribus ac mœnibus. Quibus ex voto completis, cœpit Campidonum erigere cristas, & dici jam appellariq; civitas, quæ prius non clausa, sed semper Abbati aperta, & omnibus hominibus omnibus momentis pervia erat. Tunc ad se trahere & rapere multas Abbatiæ libertates & immunitates, quasdam etiam cum favore & consensu conventualium dominorum consequi cepit. Sub hoc ipso præposito amisit Abbas claves ad portas civitatis, quæ semper fuerant prius in manu Abbatis. In summa, ut multa breviter dicantur, præpositus iste infidelis extitit & infelix, ac admodum noxius cœnobii hujus administrator, quod uni Constantiensi Episcopo Nicolao & fratrum discordiis acceptum feratur.

Concubina noxia Abbatiæ Campidonensi.

Campidonum fit Civitas & excutit jugum Abbatis.

43. *Gerwicus Hortbander*, ab Helmshofen, vir genere nobilis, sed in iram admodum pronus, eligitur anno Domini 1345. sub Benedicto XII. Rom. Pont. Obiit 10. Februarii. Fecit pingi S. Hildegardis miracula in templo: in ambitu vero veteres Abbates, postea iterum obliteratos.

44. *Henricus ab Oberhofen* eligitur anno Domini 1346. Obiit 20. Octobrium. Illustravit turres Ecclesiæ. Abrogavit Eleemosynas & Xenoldo chia vicina cœnobio. Ejecit pauperes, eratque infelix & inuti is gubernator, sub quo cœnobii res plurimum diminui cœperunt

45. Con-

45. *Conradus quartus*, cognomento *Burgberger*, Algovius, ex bona familia natus. Obiit 29. Decembrium peste, eodem anno, quo præesse cœpit sub Clemente sexto, Pont. Max. Sub his Abbatibus cœpit omnino irregularis vita Campidoni inter conventuales, qui negligentes rerum cœnobii & liberioris vitæ studiosi, otio tantum & libidinibus vacabant. Idcirco Campidonenses cives in eos seditiosi cristas erigere & jugum omne excutere cœperunt, quod postea ad hæc usque tempora non recuperari potuit. *Cœnobitæ voluptatum amantes.*

46. *Henricus à Mittelberg* eligitur anno Domini 1356. sub Clemente VI. Pont. Max. Sedit plerumq; in arce Hillermontana, hodie Burghalden dicta. Ibat plerumq; alba indutus tunica, cui pilosa crumena semper ad latus pendebat; ita solebat singulis diebus eques descendere ex arce in cœnobium & ibi in omnium Sanctorum templo sacrum audire. Accidit autem aliquando, ut descendente Abbate & custodibus arcis non admodum fideliter vigilantibus, arx præter spem aut expectationem Abbatis, nihil violentum metuentis, à civibus circa vesperam occuparetur & direpta everteretur ipso die S. Martini, cum invitati fuissent omnes senatores & præcipui cives ad peragenda solenni pompa & opiparo convivio vinosa Christianorum festa, Martinalia. Abbas, in arcem rediens è templo, ab ingratis convivis suis deprehensus, statim dejectus dicitur è gradibus à duobus civibus, Bustaro & seniore Otocaro, sed elapsus est fuga ad Schweighusium, ubi conscenso equo rustico, concomitantibus eum aliquibus ministris, Isnam adhuc ea nocte pervenit incolumis. In hac seditiosa arcis eversione amissa est arca plena literis & diplomatibus, quam cives incendio delerunt. Postero die eligebant sibi Campidonenses primum Consulem, *Henricum Sculletum*, qui etiam diem hunc postea diu solennem & magistratibus novis creandis dicatum, quasi festum diem habuere ad tempora usq; Abbatis, Joannis de Rietheim. Causa hujus rebellionis ac fœdæ vastationis hæc civibus in ore erat, quod ab Abbatis servis ac ministerialibus filiæ civium vi in arcem pertractæ & violatæ fuissent. Abbas Henricus re ad Cæsarem Carolum IV. delata *Campidonum in dominium suum seditiosa. Martinalia infelicia. Primus Consul Campidoni electus. Petulantia ministrorum seditionis causa.*

Ratio eversi Castri Burgbalden.

lata effecit, ut S. P. Q. Campidonensis & magnam mulctam numerare, & arcem libere reddere Abbati cogeretur, sive reædificandam eam, sive ita desertam relinquendam; quam tamen paulo post idem Abbas reipubl. prædictæ in universum vendidit. Obiit anno 1382.

47. *Fridericus ab Hirsdorff* successit Henrico anno Christi 1382. Erat quietus quidem, sed cœnobio non admodum utilis gubernator, pacis cum Campidonensibus vicinis conservandæ perstudiosus, & qui illis, semper cœnobio aliquid abradentibus, aut parum aut omnino non restitit. Erat contra eum electus ab aliqua parte conventualium, nobilis ac doctus vir, *Pilegrinus à Nordholtz.* Hæc disceptatio valde noxia ac perniciosa fuit Abbatiæ, quæ durante tali schismate passa est jacturam 5000. aureorum. Hic ipse Abbas fecit se confirmari ab Episcopo Constantiensi, contra sua privilegia. Erat enim exemtus antea ab omni jugo Episcopali, & sub solius Rom. Pontificis imperio. Obiit altero, competitore videlicet suo cedente, anno Domini 1405.

Discors electio, perniciosa.

48. *Fridericus à Loubenberg*, sapientissimus nobilis, eligitur anno Domini 1405. Legitur fuisse magnus cœnobii benefactor. Interfuit Conciliis, Constantiensi & Basiliensi, in quibus omnia privilegia fecit renovari & denuo confirmari. Obiit anno 1434.

49. *Pilgrinus à Werdnow* eligitur anno 1434. Præfuit laudabiliter & cum summa utilitate annis 17. Auxit & ditavit prudenti gubernatione sua monasterium. Obiit anno 1451. Sepelitur prope chorum.

Pugna Buchbergensis.

50. *Gerwicus à Simmetingen*, magnus, crassus ac pinguis vir, nobilissima progenie natus, eligitur anno Domini 1451. Sub eo pugnatum est in Buchenbergo, ubi Helvetii cœnobio Campidonensi cædebant & interficiebant centum viros, horumq; ducem, Walterum de Hohenneck, præfectum cœnobii, in arce Abbatis Wolckenburgo habitantem. Sub eo ipso Abbate cœpit latina schola Campidonensis. Resignavit Abbatiam Joanni à Werdenow, post acceptam cladem ab Helvetiis, in vicino colle Buchbergensi. Postea absolvit naturæ debitum anno Domini 1463. Sepelitur in S. Michaelis sacello.

Initium Scholæ Campidonensis.

51. *Jo-*

51. *Joannes*, nobilis *à Werdenow*, eligitur anno Christi 1460. Fuit ædificandi studiosus & amantissimus. Condidit arcem Liebenthann, prope Marcam Gunsbergensem sitam, anno Domini 1479. ex imis fundamentis inceptam: horreum item vicinum cœnobio, dormitorium, & ambitum magnum, crucis ambitum dictum, balneas & macellum supra flerum. Sub eo inchoata est prima moletrina, in qua conficitur papyrus, anno Domini 1477. Non bene conveniebat ei cum Campidonensibus, semper novitatistudentibus. Sub eo sacellum arcis Liebenthann consecratum est anno 1480. in vigilia Joannis Baptistæ. Obiit sequente anno 1481. in vigilia S. Elisæ. Sepelitur sub eodem saxo, sub quo patruus ejus cubat, Pilgrinus. Contendit coram Imperatore Friderico cum Campidonensibus propter seditiosa quædam ipsorum facta. At Imperator Fridericus multis privilegiis ac ornamentis illustravit Campidonensem rempublicam, quæ ipsis à Maximiliano postea confirmata sunt, cujus mandato S. P. Q. cogitur dare singulis annis Abbati Campidonensi pro suis juribus in die S. Jacobi ducentos aureos Rhenenses.

Liebenthann.

Papirmuel.

Campidona Civitas privilegiatur.

52. *Joannes à Rietheim*, bonæ ac nobilis prosapiæ vir, Princeps ac Dominus Campidonensis, electus ac designatus est ipsa die S. Elisabetæ, anno Domini 1481. Præfuit pacifice & laudabiliter annis viginti sex. Pacavit & composuit omnes dissensiones antea habitas cum S. P. Q. Campidonensi. Emit Hohenthann, castrum Leutkirchiano oppido vicinum. Erat omnibus Principibus charus, quibus & utilis fuit. Reduxit is cœnobium immediate sub Rom. Pontificis jurisdictionem & tuitionem. Condidit etiam partem magni ambitus, ab antecessore incepti, Palatium, item Abbatiam, dormitorium & ligneum organum. Obiit tandem anno Domini 1507. in vigilia S. Galli, Ulmæ in ædibus Doctoris, Joannis Stockheri, excellentis ac celeberrimi medici. Revehitur sequenti Dominica die Campidonum, & honorifice ibi in crypta sub sacello S. Sebastiani sepelitur, cum quatuor his versibus elegiacis, marmori in parietem posito incisis:

Hohenthann.

Joannes Stockherus, medicus.

Abbas Joannes, fama super æthera notus,
Parvo hoc, ne dubita, contumulor lapide.
De Rietheim dictus, vita & virtute probatus,
Emorior: Requies sit, rogo, dic animæ.

Consecutus est ab Imperatore Friderico III. potestatem faciendi pontis super Ilerum, supra Leubas.

53. *Joannes Rudolphus*, à Reittnow, eximie doctus & nobilissimus heros, eligitur die Lunæ, post S. Galli festum, anno Domini 1507. Præfuit 16. annis. Obiit peste grassante per totam Algoviam, Dominica Exaudi, annò Domini 1523. Emit à cive quodam Memmingensi arcem Schwabelbergensem amœnissimam & in eleganti lacu sitam.

Schwabelberg, arx.

54. *Sebastianus à Breitenstein*, nobilis heros, eligitur die Lunæ ante Pentecostes festum, anno Domini 1523. sub Adriano VI. Pontifice, & Carolo V. Imperatore. Contrà hunc tota seditiosa fuit provincia anno 1525. quæ occupavit cœnobium, ejectis inde cœnobitarum ministris, idq; diripuit & vastavit misere, nec clavum parieti relinquens integrum; imagines verò & ornamenta ecclesiarum lacerans & confringens. Abbas cum suis in arcem Liebenthann confugit, auferens secum omnia clinodia, auriq; & argenti ornamenta & munera. Rustici omnes arces diripuerunt & fregerunt, Liebenthannio etiam non parcentes, ubi Abbas agricolis sese certis conditionibus dedidit: qui Campidonum ductus & ibi detentus est, data exigua pensione de annuis proventibus. Coactus vero est etiam vendere seditiosis civibus omnia jura, in urbem prius habita, pro 32. millibus aureorum numum. Postea etiam circumjacentia cœnobia omnia eodem modo direpta & incensa sunt, donec tandem pœnas dederunt agricolæ motæ seditionis, cæsi nimirum à Suevico fœdere. Iste Dominus à Breitenstein reædificavit arces vastatas, Liebenthann, Wolckhenburgum, & Hohenthann. Arcem verò Sultzbergensem, supra Campidonum ad ejusdem nominis lacum sitam, cum attinenti is emit à Nobilibus viris de Schellenberg. Obiit podagra jam septuagenarius 8. Junii anno 1536. cum præfuisset annis 12. summa cum laude & virtute.

Seditio Rustica.

Sultzberg.

55. *Wolff-*

55. *Wolffgangus*, à viridi lapide, vulgo Grunenstein, nobilis vir, optimo loco natus, eximie doctus, prudentiæ vero & sapientiæ laude insignis, pacis & publicæ tranquillitatis conservandæ studio nemini mortalium secundus, corporis procera & vere heroica statura præditus, heros pius & optimus, assumitur in coadjutorem prædecessoris Sebastiani anno Domini 1534. & post ejus mortem in Abbatem ac Principem Campidonensem anno Christi 1536. Is architectonices & plantandarum arborum, extirpandarumq; plantarum studiosissimus est, Dominus mitis, pacificus, ac suis subditis clemens & propitius, quibus omnibus vicissim longe est charissimus. Interfuit Carolinis Comitiis omnibus. Adornavit sibi ipsi tumulum in media Campidonensi Ecclesia marmoreum cum tali epigraphe: SALVE VIATOR, ET NOLI TERRERI: COMMVNIS HÆC EST QVAM ASPICIS MORTALITATIS NOSTRÆ FACIES. SED QVI SIM REQVIRIS? FVI, NON SVM: ES, NON ERIS: NEC EGO TE IN TENEBRIS NOSCERE POSSVM, SED VT TE IPSVM NOSCAS, ROGO. VALE NOVISSIMORVM TVORVM NVNQVAM IMMEMOR, VT NON PECCES, ET MORIARIS PERPETIM.

Præest adhuc laudabiliter & summa cum virtute, hoc currente Jubilæo 1550.

Servet eum, fortunet eum Pater omnibus æquus,
Et nihil in vita triste videre finat:
Educatq; senem cœlestis in atria regni,
In quo talibus est mansio facta viris.

Extant vero & aliorum quorundam ejusdem cœnobii Abbatum nomina, qui, quòd vel non diu præfuerint, vel exauthorati sint, non recensentur in catalogo. Horum memoriam tamen huic operi inserendam censuimus propter familias, ex quibus nati fuerunt. Nominantur vero hi.

Elolphus Selder, de Radenagkhern.
Ringrinus Freydich, ab Heidelberga.
Rudolphus Majus, à Iheſuskirchio.

Guido

Guido Ritznerus sub synodo Constantiensi præfuisse legitur anno Christi 1416.

Theodanus Reiserus, à Missdorff, qui veterem cœnobii coronam feciſſe legitur.

Irminhardus Lattnerus, à Wald.

Aigilolphus Trappius, Buticamensis.

Giselfridus Heertericus, à Suddfeld.

Wernherus mortuus inventus in arce Kalbs-augusta, in qua maximi postea à malis spiritibus tumultus auditi sunt.

Otho primus vel *Tatto*, Hagenoensis.

Altmonus Romanus vel *Raumerus*, à Daborz Weyler, exauthoratur.

Egilbertus Ablauffer, à Richsius.

Hantogerus Ebnerus, ab Hochholtz, exauthoratur. Sub eo Lutzelburgum, pulcherrimum & vicinum cœnobio castrum, vastatum est, ad quod ibatur per insignem ac miraculosum pontem ab arce Hillermontana.

Luzelburg.

Enselbrechtus, ab Heidburg.

Caromannus Humpisius à Ragusio, sub quo Campimontanum castrum vastatum est, quod prope Buchbergum situm erat.

Helmsosus Hagendornius, ab Inferiore valle.

Radegerus vel Rannigerus Feldegk, à Rogefurto.

Sigilbertus Feylberger, à Rinnensluch.

Per hos vel exauthoratos vel alioqui cito decedentes Abbates plurimum decessit Abbatiæ, quæ sub illis ipsis amisit pagum etiam Grunenfurtensem (hodie Memmingam civitatem vocant) & inferius Sundhofenium, insignem etiam villam.

❁ ❁ ❁

CASTELLIUM sive Castellum, **Castell**/ triplex olim castrum, ab omni parte densissimis nemoribus cinctum, & à quodam Ernesto Duce (cujus infra posteritas recensebitur) conditum, in Castellano monte, vulgo Castelberg, à tribus castellis dicto, in quibus hodie adhuc visuntur tres fontes & trium sacellorum fragmenta & rudera: nunc vero præclarum ac magnificum, olim equidem etiam opulentissimum (habuit enim Comitatum Hebbur-

Comitatus Hebburgensis.

burgensem, qui nunc capituli Aistetensis est) monasterium, ordinis D. Benedicti in Palatinatu superiore, ad Lautherũ amnem situm, in honorem Dei ac S. Petri fundatum esse legitur anno Domini 1098. sub Henrico IV. Rom. Imp. & Pontific. Max. Paschali II. initio à Friderico Comite de Castelberg, qui obiit anno Domini 1103. & Bertha ejus uxore: & ab Othone, Comite de Hirsberg vel Hebberg, Friderici Comitis filio, qui obiit anno Domini 1105. & à Berengario, Comite de Sulczbach, qui obiit anno 1126. ejusq; conjuge, nobilissima fœmina, Adelheide de Wolffratshausen.

Berengarius, Comes de Sulczbach, duobus imperatoribus dat filias suas uxores.

Iste Berengarius fundator legitur habuisse ex hac ipsa Adelheide filium unum, Gebhardum, præpotentem Comitem de Floß, qui obiit anno 1177. sepultusq; est apud Castelienses cum uxore Mechtilde: quatuor vero filias, præstanti forma ac corpore præditas, *Gertrudin* primam, Eboraci sepultam, quàm duxit uxorem anno Domini 1138. Conradus Suevus, Imp. Rom. secundam *Bertham*, quam matrimonii legibus sibi conjunxit anno Christi 1142. Emanuel, Imperator Constantinopolitanus, missam sibi à Conrado occidentali & Rom. Imperatore: tertiam *Adelheidin*, quæ nupsit Græco cuidam Marchioni de Kroy: quarta, Christum sponsum eligens, Abbatissa Pataviensis facta est.

Habuit hoc cœnobium anno Dñi 1320. Abbatem quendam *Sibothonem*, qui resignavit Abbatiam 14. Kalend. Aprilis añi 1322. Ei successit 10. Kalend. ejusdem mensis Abbas *Hermannus*, sub quo eodem anno Ludovicus Bavarus, duce Sifrido Schweppermanno Fridericum Austriacum, imperii competitorem, ingenti prælio prope Gundersdorffum, vicit ac cepit in ipsa D. Michaelis vigilia. Is Imperator Ludovicus sub hoc ipso Abbate festum Epiphanias Domini victor in Castellensi cœnobio celebravit, & eodem die ex villa Brunn, quæ proxime adjacet monasterio, oppidulum sive Marcam fecit, multisq; libertatibus eum monasterii locum sancivit ac investivit. Habuit & Abbatem *Leonhardum*, qui obiit anno 1490. cui successit *Conradus* quidam; de aliis enim Abbatibus hujus cœnobii nihil hactenus adipisci potui. Ernesti Ducis vero, supra nominati, talem invenio progeniem

Ludovicus Bavarus, vicit Fridericum Austrium. Brunn Marca.

niem & genealogiam ex variorum monasteriorum annalibus congestam, in qua variarum veterum ac maxime illustrium familiarum (quarum posteritas omnis prorsus deleta est) & pia fit mentio & sempiterna conservatur memoria.

Ernestus è Selandia diluvio quassata profugus; & in Noricum, anno Domini 975. cum filiis suis adveniens, condidit ibi primum in densissimo nemore ad fontem Lautherum, pagum Brunn: postea venationi ibi dans operam, invenit Castellanum montem, ubi primum in honore duodecim Christi Apostolorum fanum, postea vero sibi ac posteritati suæ arcem etiam construxit, quam Castellum vel Castiliensem arcem appellabat cum conditor, tum rudis illa, quæ circa eas silvas habitabat, vicinia.

Habuit is liberos

Sultzbach à quo conditur.

Gebhardum, primum conditorem Sulczenbacensis oppidi & castri, quod hodie *Sulczbach* vocant: trucidatum ab Hirsuto Comite, sed statim ultum. Is Gebhardus ex *Irmengarde* uxore excepit

Fridericum. Is ducta uxore Germana, excepit ex ea

Utham, Engelberto, Charinthiæ duci, desponsatam.

Berengarium Comitem, illustratorem Sulczenbacensem, qui se publice etiam Comitem Sulczenbacensem scripsit, & cœnobiorũ Boumburgensis ac Bertensgadendensis fundator fuisse legitur. Hic Berengarius ex Adelheide, Comitissa de Wolfratshausen, excepit

Luitgardin, quæ Marchioni cuidam Hohenburgensi nupsisse legitur.

Hermannum filium, qui ducta uxore Haziga genuit

Reiczam filiam, quæ postea nupta peperit

Fridericum secundum, qui post mortem Berthæ conjugis suæ, factus est monachus, & est unus ex fundatoribus Castellensibus. Excepit ille ex Bertha uxore Comitissa vel Habspurgensi, vel Hirsbergensi unicum filium

Loicardin. Hæc Marchioni Voburgensi Theobaldo nubens, filium *Theobaldum* genuit, qui ad preces Loicardis matris suæ fundavit monasteria, Waldsassum ad Wonderam prope Egram, Reichenbachium ad Regum amnem. Monachorum monasterium in Danu-

Gertrudin, imperatrici Romanæ, Conradi Suevi conjugem.

Berthamm, postea à pacis studio Irenem dictam, Imperatricem Constantinopolitanam, Manuelis conjugem.

Adelheidin, desponsatam Græco cuidam Marchionide Krey.

N. Abbatissam Pataviensem.

Gebhardum, filium, Comitem de Sulczbach, & Floess. Is Gebhardus secundus, qui obiit anno Domini 1177. ducta uxore Mechtildi, Gwelphonis filia, excepit ex ea

Othonem, secundum fundatorem Castilionsem. Haziga supra dicta mortuo marito primo, Hermanno Wernhero, cuidam Scheirensi Comiti nupsit, qui plurima etiam contulit ad hujus cœnobii ampliationem:

bii ac Voburgi vicinia. Is Theobaldus uxore ducta Adelheide, Poloniæ ducissa, filiam *Adelheidin* ex ea excepit, Friderico Barbarossæ Imp. desponsatam, sed paulo post ab eo iterum separatam.

Mechtildin filiâ, Clivensi cuidam Duci desponsatam.

Cordulam, quæ nupsit Ortenburgensi cuidam Comiti. Hæc enixa est

Sophiam filiam, quæ nupsit Comiti Henrico de Kreglingen, qui cum rebus humanis exemtus esset, nupsit ipsa Comiti cuidam de Abensperg.

Gebhardum, Comitem Sulczbacensem. Is ducta uxore, Comitissa Hirsbergensi, multos ex ea liberos excepit, quorum nomina intercidere.

Berengarium, qui juvenis profectus in Italiam cum Welphone & Friderico Rotenburgio, Conradi Suevi Rom. regis ex Gertrude Sulczbacensi Comitissa, filio, unà cum hoc ipso Comite suo veneno è medio sublatus est à Beatrice, impia imperatrice, forte Barbarossæ conjuge secunda.

Herdovicum, Episcopum Aistetensem per annos 28 quem aliqui falso appellarunt Comitem Hirsbergensem. Obiit anno 1224.

Rapodonem, Comitem Ortenburgensem. Is duxit uxorem Bavariæ Ducissam, Ludovici principis sororem.

Henricum, qui, ducta regis Bohemorum filia, genuit

Henricum, Comitem Ortenburgensem.

Annam, Baroni cuidam de Truhendingen desponsatam.

Habet hoc monasterium multorum Comitum ac Baronum insignes sepulturas, fundatorum videlicet Comitum à Castel, Sulczbach & Floss: postea Ducum etiam Meroniæ, qui Ammertalii olim habitarunt. Sepulta est in eo Domina Luitgardis, Berengarii fundatoris soror, Marchionissa de Hohenburg & Voburg, cum filia, quæ plurimum benefecit huic cœnobio: item Domina Irmengardis, Berengarii fundatoris mater: & Anna, Ludovici Bavari Rom. Imperatoris, filiola, tres tantum annos nata, quæ cubat in medio templi ante aram mediam. Et inter multos Equites auratos ac strenuos heroes, Equestris ordinis viros, egregiis tumulis honoratos, terræ ejusdem cœnobii ante sacellum D. Virginis, mandatus est etiam *Sifridus Schweppermannus*, Imperatoris Ludovici Bavari, contra Fridericum Austrium dux exercitus, cujus tumulo hi Germanici rythmi sunt superadditi:

Sifridus Schweppermannus.

Hie leit begraben Her: Seyfrid Schwepperman/
Alles Thuns und Wandels an
Ein Ritter keck und vest/
Der zu Gundersdorff im Streit that das Best.
Er ist nun tod/
Dem GOtt genod. Obiit anno 1337.
Jedem ein Ey/
Dem frommen Schwepperman zwey.

Hæc postrema vox rythmica dicitur fuisse acclamatio militum, in gratiam ducis, cum exercitus ingravescente annonæ difficultate adeo premeretur, ut, præter paucula ova, nihil esset in castris Ludovici reliquum. Germanicum epitaphium unà cum militari hoc epiphonemate sic latine à me redditum est:

Hac cubat, hac dormit Dominus Sifridus in urna,
Schweppermannus, eques strenuus atq; celer.
Qui Gundersdorffi pugnabat fortiter, hostem
Et contra Austriacum fulminis instar erat.
Is nunc mortuus est: Divûm clementia fortem
Servet & in cœli sublevet astra virum.
Ovum cuiq; unum, duo Schweppermannus honestus
Dux habeat, cujus turba parata sumus.

CELLA

CELLA DEI SUPERIOR, GOttes-Cell / ad alterius *Inferioris* differentiam sic dicta, Præmonstratensis instituti præclarum ac nobile cœnobium, infra Herbipolin in Francia orientali ad Mœnum amnem situm, inchoatum ac fundatum est sub Embricone, Episcopo Herbipolensi, magno ejusdem cœnobii benefactore, anno Domini 1128. decima quarta Maij, ab ipso Præmonstratensium monachorum (qui singulari titulo ex Pontificia donatione Canonici Regulares exemti appellantur) patre ac principe Nortberto, Laudunensi apud Burgundiones Episcopo, Archiepiscopo vero Magdeburgensi, qui Lotharium Imp. Herbipolin sequutus (ubi deliberatum est de tollendo schismate, quod Romæ erat inter Pontifices Innocentium II. & Petrum Leonē, qui ipse se Anacletum appellarat) illic in die Paschali sacrum coram Cæsare Lothario & aliis Imperii proceribus ac Statibus cantans, & concionans insuper, ita in sui admirationem & amorem pellexit auditorum animos, ut peracta concione certatim populus munera ipsi offerens accurreret, quibus cum ipse non studeret nec tamen abjicienda putaret, tribus religiosis viris ac germanis fratribus, in S. Chiliani templo religiose Deo servientibus & Præmonstratensis recens instituti ordinis, ac vestis desiderio flagrantibus, Joanni videlicet sacerdoti, Henrico & Libolpho Laicis, omne sibi illud allatum argentum & aurum tradidit, hac lege & conditione, ut hi cœnobium prope Herbipolim sui instituti sub se patre & primo fundatore auspicarentur. Consensit Embrico Episcopus loci, qui fundum construendi monasterii designavit & libere concessit. Norbertus, Lotharium Imperatorem inde Romam etiam versus sequutus, cum plurimis aliis Germaniæ Episcopis & Archiepiscopis, cum ipse ibi & oratione & eloquentiæ viribus authoritatem sibi ingentem conciliaret, qua præ cæteris omnibus Episcopis excellens, schisma pontificium præclare ac feliciter tolleret: ibi inquam titulum Primatus meruit ac Ecclesiæ suæ Magdeburgensi consequutus est cum ab *Innocentio* II. Pont. Max. tum vero ab Imperatore etiam Lothario, cui Norbertus iste longe erat charissimus. Privilegia-

Norbertus, author ordinis Præmonstratensis.

Schisma inter Pontifices.

Unde habeat Magdeburgensis Archiepiscopatus titulum

Primatis Germaniæ.

tum & confirmatum est cœnobium superioris Cellæ à Pont. Max. Innocentio II. & Episcopo Herbipolensi Embricone. Gubernatores hujus loci primum Præpositi appellantur, qui postea Abbates facti sunt, non equidem Infulati, sed *Benedicti & Baculati* tantum, quorum talem reperi & collegi catalogum.

Ab Præpositi & Abbates.

1. *Joannes*, patria Herbipolensis, ab ipso S. Norberto fundatore constitutus est primus novæ hujus monasticæ congregationis pater ac præpositus. Is annis præfuit quinq;. Obiit anno Domini 1133. Sub ejus gubernatione cœpit anno Domini 1130. in eodem cœnobio, Embriconis Episcopi consensu, monialium etiam congregatio. Habuit enim hoc ordo iste Norbertinus initio peculiare, ut, ubi esset monachorum collegium, ibi puellarum etiam non tantum non procul abesset, sed contigua etiam esset habitatio, ne deesset monachis costa, quam ademtam primo humani generis parenti, & postea cum multo lucro redditam eidem sciebant. Locus vero monialibus deputatus, Paradisi nomine appellatus, S. Michaëlis patrocinio suberat. Is postea in eum locum, ubi hodie est Cella Dei Inferior, paululum infra superiorem, in eadem sinistra descendentis Mœni ripa translatus est, ut infra copiosius.

Norbertini semper sibi moniales quoq; associarunt.

Paradisus.

2. *Bruno*
3. *Arnoldus*
4. *Conradus*

} Præpositi, de quibus nihil omnino in fastos relatum extat.

5. *Henricus*, germanus frater Joannis, præpositi, qui anno Domini 1144. omnium cœnobii sui privilegiorum confirmationem obtinuit apud Rom. Pont. Celestinum secundum. Mortuus sepelitur in eo ipso tumulo, in quo cubabat Joannes frater. Huic tumulo tale superadditum legitur distichon hexametrum:

Nostra tibi liga placeat hæc, Virgo Maria,
Est fundata domus à fratribus ista duobus.

6. *Gabinoldus*, ultimus loci præpositus, primusq; Abbatis nomine & baculi jure insignitus: cui succedere postea cæteri, Abbates omnes.
7. *Adamus.*
8. *Tilomannus.*

9. *Ber-*

9. *Bertholdus.*
10. *Wolffamus.*
11. *Henricus.*
12. *Engelwertus.*
13. *Conradus.*
14. *Albertus* de Richemberg.
15. *Henricus*, qui præfuit anno Domini 1262.
16. *Henricus* de Wolmershauſen, vir nobilis.
17. *Rudegerus* obiit in vigilia Aſcenſionis Dominicæ anno Chriſti 1374.
18. *Ludovicus* de Stetten.
19. *Georgius* à Reinſtein.
20. *Sifridus*, qui præfuit anno Domini 1418.
21. *Joannes*, à Rottelſeeh, obiit anno Domini 1448.
22. *Joannes Eckardus* eodem anno rebus humanis (peſte nimirum graſſante in Oſtrofrancis) exemtus eſt.
23. *Jacobus Helchen* præfuit annis 12. Obiit anno Domini 1462.
24. *Georgius Rhumel* ſedit ad clavum Abbatiæ 24. annis. Obiit anno 1486.
25. *Chriſtophorus Stefferus* præfuit annis novendecim. Obiit anno 1505.
26. *Georgius Schumannus* quinq; tantum annis præfuit. Obiit anno Domini 1510.
27. *Joannes Streuberus* 9. annis præſedit & vitam mortalem cum morte commutavit anno 1519.
28. *Gaſpar Gotthardus* præfuit ſeptem annis. Obiit anno Domini 1526. Vidit ſua ætate à tumultuantibus agricolis diripi & exuri cœnobium ſuum.
29. *Leonhardus Waltzius* tribus annis fideliter præfuit, & ex hac vita abreptus eſt anno Chriſti 1529.
30. *Georgius Hoffmannus* ſucceſſit Leonhardo cœnobium reædificanti. Is cœnobium totum priſtinæ formæ ac dignitati reſtituens, Abbatiam etiam conſtruxit. Præfuit 11. annis & emi-

emigravit ex hac mortali vita anno Domini 1540. in die S. Valeriani.

31. *Thomas Neutlinus*, ex majori Lanckhenheimio, celebri Ostrofrancorum oppidulo, oriundus, magnus cœnobii sui illustrator, successit Georgio, è rebus humanis sublato. Sedet ad Abbatiæ clavum hoc adhuc currente Jubilæo.

E regione hujus cœnobii est non procul ab altera Mœni ripa in montanis orientalis Franciæ vetus ac dirutum castrum, Pincernarum à Rosberg olim domicilium, unde arci hodie adhuc istud nomen est, ut Pincernarum arx appelletur. Horum nobilium regulorum celebris est sepultura in inferioris Cellæ nobilium olim puellarum cœnobio, quod primum sub Paradisi nomine cœpit in superiore Dei Cella, anno Domini 1130. Postea vero prohibendorum quotidie illic emergentium scandalorum ergo, in alium etsi procul dissitum locum translatum est. Id habuit gubernatrices magistras, quarum illustri genere natarum talem reperi catalogum.

Inferioris Cellæ Cœnobium.

Catalogus.

1. D. *Agnes*, Comitissa de Wertheim, decessit ex hoc seculo, anno Domini 1425.

2. D. *Agnes* secunda, ipsa etiam Comitissa stemmatis ac nominis, obiit anno Christi 1477.

3. D. *Walpurgis*, Comitissa de Wertheim, soror Agnetis secundæ, successit sorori & præfuit annis quinque, universæq; carnis viam ambulavit anno Domini 1482.

4. D. *Catharina Riedina*, nobilis herois, Ostrofranca, præfuit annis 18. Obiit in Calendis Jani, anno incarnati Verbi 1500.

5. D. *Catharina, de Vinsterlohe*, præfuit 26. annis. Decessit anno 1526.

6. D. *Anna Haberkhornina* præfuit annis tribus. Obiit anno 1529.

7. D. *Magdalena à Fronhoven*, decrepita annis, non diu præfuit. Sub ejus gubernatione mutatum est monialium hoc cœnobium in præposituram virilis sexus monachorum, cui ad hæc nostra usque tempora Præpositi præfuerunt infra scripti.

1. *Hen-*

Catalogus Præpositorum.

1. *Henricus.*
2. *Andreas Taurus*, qui obiit anno 1539.
3. *Martinus Herbardus* obiit anno 1540. in die præsentationis Marianæ.
4. *Joannes Schonheintz* obiit anno 1546.
5. *Adamus*, patria Herbipolensis, præest adhuc currente hoc Jubilæo. Hæc ferè omnia communicavit mihi superioris Cellæ Obligarius ac Prior,

Andræas Scultetus, honesta natus in urbe,
Accola quam Francus nuncupat Herbipolim.

❁ ❁ ❁

CELLA MONACHORUM, hodie Ethonis monasterium, Ettenmünster / Benedictini instituti vetustissimum cœnobium ad Nigram Silvam prope Kentzhingum, non procul à Rheno situm, fundatum legitur annum Christi circiter 700. à Wiggero vel Wigerno monacho, facto postea Ecclesiæ Argentinensis Episcopo, qui primum ei nomen indidit, ut monachorum, hoc est, solitariorum hominum & eremitarum Cella appellaretur. Cum vero post aliquot annos collapsum esset iterum, non splendide fortassis admodum inchoatum monasteriolum, renovatum est anno Domini 734. ab *Ethone*, Comite Habspurgio, qui & oppidum ipsum, quod ab eo adhuc Ettenheimium dicitur, construere cœpit. Is ejusdem sui cœnobii primus Abbas fuisse legitur, qui inde ad Episcopatum Argentinensem gubernandum evocatus, laudabiliter ibi præfuit 8. annis. Obiit anno 773. translatus ad suum tandem monasterium anno Domini 780. quod hodie adhuc ab eo Ethonis monasterium dici solet. Fuit is vir religiosus, humilis & pius, scribens se Ethonem peccatorem, indigne vocatum ad Episcopatum Argentinensem. Extat de eo & de hujus cœnobii restauratione tale distichon:

Ettenheimium oppidum.

Abbatum catalogus.

Anno ter deno, septingentesimo, quarto
Antistes claustrum renovando condidit Etho.

Ethoni Abbati primo successit 2. *Hildolphus*, secundus Abbas; qui postea vero præfuerunt, eorum non extat integer

amplius catalogus. Invenio tamen & 3. *Littholdum* & 4. *Reginoldum*, Abbates Ethonici monasterii, sed quo tempore præfuerint hi, ignoratur.

5. *Burcardus* Abbas præfuit circa annum Domini 1211. ut ex fenestræ cujusdam inscriptione tali patet: Burcardus Abbas me fecit, ubi D. litera nullius numeri significatrix est.

Huic successere ad hæc nostra usque tempora Abbates, qui sequuntur: quos communicavit mihi D. Caspar Rieggerus, Abbas in S. Mauri monasterio doctus & humanissimus, qui ante adeptam Abbatiam in Ethonis hoc monasterio vixit dignitatibus etiam conspicuus.

C. Rieggerus.

6. *Godefridus.*
7. *Nicolaus Fulkesius.*
8. *Hesso* Alsata, de Bergkhino.
9. *Hermannus*, de Burnern.
10. *Nicolaus Fulchesius*, nobilis.
11. *Jacobus de Eschach*, vir nobilis, trucidatur anno Domini 1396. à venatore quodam ministeriali suo, quem propter patratum aliquod flagitium comprehendi jubebat. Sepelitur in sinistro introitu turris.
12. *Andreas Kranch*, ex Patriciis Argentinensibus natus, successit Jacobo. Præfuit annis penè 40. Obiit anno 1437. Sepelitur præclaro Mausolæo, in Paradiso loco, qui antecessorum omnium penè corpora & sepulturas habet.
13. *Andreas de Untramsheim*, vir genere & virtute nobilis, præfuit annis tantum quatuor. Fuit Hierosolymis & in aliis procul dissitis regnis, antequam fieret Abbas. Sub ejus gubernatione in cineres major cœnobii pars collapsa est. Obiit anno 1441. Sepelitur ante introitum chori.
14. *Heinricus Reiff* (quod nomen Latinis pruinam sonat) patria Argentinensis, patre vero ejus urbis Scabino natus, eligitur in Abbatem anno Domini 1441. per discordiam. Aliqua enim conventualium pars patrocinabatur cuidam *Antonio Trubelio*, quod cognomen Latinis botrum vel racemum designat. Cum vero Antonio repudiato præferretur Henricus, natum est inde

inde proverbiale dicterium, quod versu exprimere libuit: *Egelidam & sterilem botris nocuisse pruinam.* Præfuit Henricus annis 30. quibus cœnobium sub antecessore in cineres collapsum præclare restauravit. Obiit anno 1470. Sepelitur honorifice in templi sui choro. Antonius hic contemtus paulo post Abbas præpotentis Trevirorum monasterii ad S. Maximinum factus legitur. *Pruina nocet botris.*

15. *Hesso de Thiersberg*, nobilis vir, successit Henrico. Præfuit utilissime annis 30. Valedixit mortalium hominum conversationi anno Domini 1500. in ipso Jubilæo.

16. *Laurentius Esingerus*, Villingensis, non procul à Danubii fontibus natus, eligitur in festo S. Ulrici anni Dominici 1500. Præfuit laudabiliter annis 43. & aliquot mensibus. Decessit ex mortali hoc seculo anno 1544.

17. *Quirinus*, ex Ethenheim oppido oriundus, patre textore natus, eligitur anno 1544. Præsidet hoc adhuc currente Jubilæo fideliter & feliciter.

❁ ❁ ❁

COELI CORONA, Germanicè Himmelkron / pulcherrimum virginum nobilium, Deo & perpetuæ virginitati dicatarum, cœnobium, & terræ Prætorianæ, hoc est, Voitlandiæ montanis, ad dextram albi Mœni, inter Gefresum & Culmbachium oppida Brandenburgensium Marchionum situm, ordinis Cistertiensis, diœceseos vero Bambergensis, sub cura & visitatione Abbatis Lanckheimensis, fundatum & ex veteri castro Pretzenstorffo constructum legitur anno Domini 1280. ab Othone, præpotenti Comite de Orlemunde, qui, consentientibus filiis suis, Othone natu majore, Hermanno & Othone natu minore, obtulit in die Innocentum ejusdem anni, inchoato cœnobio & castrum & pagum Pretzenstorff, cum omnibus attinentiis, agris videlicet, pratis, silvis, molendinis, aquis, aquarum decursibus, piscationibus, & omnibus aliis juribus. Confirmarunt, approbarunt, & auxerunt postea anno Domini 1332. hanc ipsam donationem Otho, alius Comes de Orlemunde & Kunigundis uxor ejus. Redactum est sub Burggravii Noribergensis, *Comites de Orlemund.*

Plaſſenburgum.

genſis, Alberti primi, ditionem, unà cum magnifico caſtro Plaſſenburgenſi, circa annum Chriſti 1340. ut ex Grundlacenſis cœnobii annalibus patet. Confirmata ſunt poſtea privilegia hujus cœnobii à Burggraviis Noribergenſibus, Joanne anno Domini 1347. Friderico anno 1348. & alio Joanne ejusq; conjuge Margareta, Caroli IV. Imperatoris filia, anno 1406. & ab alio Joanne Friderici, primi Marchionis Brandenburgenſis & Electoris filio anno Domini 1442. poſtea vero & ab Alberto Marchione, & anno Domini 1518. à Caſimiro ac Georgio fratribus, Friderici filiis. Abbatiſſæ quæ huic cœnobio ad hæc noſtra usque tempora præfuerunt, hæ in faſtos relatæ inveniuntur.

Burggravii Noribergenſes, Marchiones Brandenburgenſes.

Series abbatiſſarum.

1. *D. Agnes*, Comitiſſa ab Orlemunde, primi forte fundatoris filia.

2. *D. Chunigundis Nothafftina*, de Albo lapide. Sub cujus gubernatione dedit Agnes quædam, nobiliſſima Comitiſſa de Orlemunde, cœnobio Cœlicoronæ anno Domini 1350. in promtis pecuniis inſignem theſaurum, & feuda & allodia quædam in pagis Harſtorff, Kremitz & Lantzendorffo. Aliud de his Abbatiſſis ſcriptum invenitur nihil.

3. *D. Anna*, Burggravia Norica, Friderici IV. ex Eliſabeta, Thuringiæ Landgravia, filia, magnifica hujus loci Abbatiſſa. Deceſſit ex hac mortali vita anno Domini 1383. Cubat in Cœli corona, in templi videlicet choro, ſub magnifico Mauſolæo.

4. *D. Ruthena* à Mosbach.

5. *D. Agnes* à Wallenrod, in medio templo ſepulta.

6. *Catharina* Forſca vel Fortſchina.

7. *D. Catharina* Richterin, civis Noribergenſis.

8. *D. Catharina* à Schaumberg, obiit anno Domini 1411.

9. *D. Longa à Kottaw*, vulgo Kotaw.

10. *D. Adelheidis* à Blaſſenberg, obiit anno Domini 1460.

11. *D. Eliſabeta* à Kinsberg, ædificatrix ambitus, cujus primus lapis poſitus eſt anno Domini 1473. Præfuit 24. annis. Obiit anno 1484.

12. *D. Margareta* à Zedwitz, præfuit annis 15. Obiit anno Domini 1499.

13. *D.*

13. *D. Magdalena* à Wirsberg, præfuit 23. annis. Obiit anno 1522.

14. *D. Otilia*, ex genere Pincernarum à Simavv nata, præfuit annis septem. Obiit anno Domini 1529.

15. *D. Apollonia* à Waldenfeels, prudentissima fœmina, successit D. Otiliæ. Obiit in Martio anni à nato Christo 1543. anno ætatis suæ quinquagesimo tertio, cum magnifice præfuisset cœnobio huic suo annis tredecim.

16. *D. Margareta* à Dela, ex Curiensis urbis conventu desumta, & verè pia & prudentissima herois, eligitur anno 1543. Præfuit adhuc anno Domini 1549. fideliter instituens circumjacentis provinciæ nobilium heroum filias cum in Christianismo, tum in bonis & laudatis moribus ac virtutibus, quibus non solum Abbatissa, hoc est, parens, sed laudatissima ac doctissima magistra summa cum laude præsidet. Requiescunt in ejus cœnobii templo Comites primum fundatores, nobiles item viri à Wirsberg, Kinsberg, & Plassenberg: & duo infantes, puellus videlicet & puella, patre Comite Orlemundensi, matre vero Ducissa Meroniæ nati, crudeliter ac misere trucidati annos ferè ante ducentos (cum nondum essent bimi) ab ea ipsa matre sua, Meroniæ Duciſſa, Blassenburgi tunc temporis habitante: quæ cum esset vidua procax & lasciva, formæ vero elegantia ubiq; celebris non amavit ipsa tantum Albertum quendam, Illustrem juvenem ac fortissimum Principem, Burggravium Noribergensem, Friderici Comitis à Zollern, primi Burggravii filium, sed ab eo etiam vehementer & ardentissime est redamata. Hunc suum amorem fassus aliquoties Burggravius publice dixisse fertur: se (nisi prohiberent ac dissuaderent quatuor oculi) libentissime ductum viduam illam Blassenburgensem: quæ verba cum relatu clancularii alicujus internuntii & quasi pronubi pervenissent ad aures libidinosæ ac jam tum vehementissime prurientis in Albertum fœminæ, mox furore & amore magis incensa liberos suos propria manu occidit, capitibus eorum vel capitum verticibus adhuc teneris acu contusis & perfractis, ne facile talis perfidia agnosci, & ipsa liberos morbo aut contagio aliquo sublatos esse com-

Femina instituit filias Nobilium.

Crudelitas matris in liberos tenellos.

Amoris sceleratividis.

modius ac verisimilibus fabulari posset. Exitum & catastrophen hujus tragœdiæ in Grundlacensis cœnobii origine ac monumentis aliquando leges. Hos innocentes martyres ipse meis oculis vidi meisq; manibus contrectavi. Puella tota ita adhuc integra est, ut putes, eam vix ante unum annum emigrasse, adeo nihil prorsus adhuc in ea apparet cineribus simile. Masculi vero vel puelli pectus est humoribus & aquis, quæ per parietem sudantis hiberno frigore templi descenderunt in parieti contiguum sarcophagum, aliquo modo læsum in cineres resolvi cœpit. Caput tamen, humeri & crura integra adhuc sunt nec tantillum immutata. Adeo mirifice ostendit divina Majestas, quàm innocenter perierint isti infantes, quorum animæ vere cœlestes clamabunt in die extremi judicii contra tam immanem adeoque crudelissimam matrem, quæ nec suo pepercit sanguini, modo insano ac omnibus modis detestando amore frui liceret. Adeo verum est, quod à *Seneca* dicitur: Amare & sapere ne diis quidem ipsis concessum esse.

Infantes tenelli crudeliter occisi in sepulcro adhuc integri.

Seneca.

❁ ❁ ❁

COXIENSE, Cazense vel Caczesiense illustrium nobiliumq; Dominarum, ab omni professione, voto ac ordine immunium ac liberarum (quas vulgo Canonissas vocant, quibus item liberum est prodire iterum & nubere) ampliss imum in Tumiliasca, superioris Rhætiæ tractu, ad posteriorem Rhenum situm collegium, fundatum est pro 12. nobilibus puellis, harumq; gubernatrice Abbatissa, in honorem S. Apostolorum Petri ac Pauli, anno gratiæ per Christum reparatæ 760; decimo nimirum gubernationis Regis Dagoberti, à Domino Victore XV. Episcopo Churiensis Ecclesiæ, legitimo filio D. Paschalis, Churiensis Episcopi Comitisq; Brigantini è Sancta Esopeja conjuge, Rhetiæ altæ Comitissa ac antistita Churiensi. Hunc Dominum Victorem, tunc adhuc Presbyterum, pater Paschalis Episcopus, decimo sexto anno gubernationis Regis Theoberti, hæredem omnium bonorum suorum, in Tumiliasca aliisque Rhenensibus locis sitorum, instituit, ut est in vetustissimo & maxime prolixo fundationis Katzensis diplomate. Fundator in choro hujus templi

Tumiliasca, Rhetiæ tractus.

Episcopus Churiensis uxoratus.

templi quieſcit, cujus tumulo talis eſt ſuperaddita Inſcriptio: Victor, Epiſcopus Curienſis, unà cum matre ſua fundator hujus monaſterii, & cum eo Paſchalis, Epiſcopus Curienſis, genitor & anteceſſor ejus. Hujus cœnobii Abbatiſſarum non quidem integer, ſed talis tamen à me collectus & conſutus eſt catalogus:

Abbatiſſarum ſeries.

1. Domina *Veſpula*, Paſchalis Epiſcopi Churienſis filia, Comitiſſa Brigantina, D. Victoris fundatoris Germana ſoror, cujus brevem genealogiam hoc loco ſubjicere volui.

Vigilius, Comes Brigantinus & Rhetiæ Præſes, genuit

Dominum *Paſchalem*, Epiſcopum Churienſem, qui ex Domina Eſopeja, ſancta fœmina & antiſtita Churienſi (ita enim in diplomatibus nominatur) excepit	*Paulum*, Comitem Brigantinum.	*Caſtoriam*, Comitiſſam.

D. *Victorem*, Epiſcopum Churienſem & fundatorem Coxienſem.	*Veſpulam*, primam hic Abbatiſſam.	*Urſicinam*, monialem ejusdem cœnobii.

2. D. *Juditha* Abbatiſſa, ſed quo tempore illa præfuerit, ignoratur, quemadmodum de his etiam, quæ eam anteceſſerunt & ſecutæ ſunt, nihil certi aut memorabile aſſignatum eſſe conſtat.

3. D. *Regula* à Reichenbach.

4. D. *Ita* à Wacz.

5. D. *Agnes* ab Embs.

6. D. *Anna* de Schawenſtein, quæ obiit año Domini 1325.

7. D. *Guta* (quæ magiſtram ſeſe ſcripſit ordinis S. Auguſtini) præfuit anno Domini 1358.

Albertus à Schauwenſtein ſecundus fundator.

8. D. *Guta* à Schauwenſtein, filia Burcardi Equitis aurati, præfuit anno Domini 1369. Sub ejus gubernatione calamitoſo incendio totum ferè cœnobium periit: quod ab hujus Abbatiſſæ cognato quodam prædivite, Domino Alberto à Schauwenſtein, mille aureos ad reſtitutionem in cineres collapſi Gynæcei conferente, quaſi ſecundario erectum ac præclare inſtauratum eſt, qui & ſibi & poſteris ſuis perpetuam in hoc monaſterio ſepulturam ordinavit, ad quam pervenerunt poſtea Rudolphus à Schauwen-

wenstein cum uxore Adelhaide, Burcardus, Eques auratus, Rudolphi hujus filius, Gottfridus item Eques auratus, Albertus secundus fundator, Joannes Eques auratus, Ego & Eglolffus de Schauwenstein, magni ejusdem collegii benefactores. Obiit tandem Abbatissa ista D. Guta anno Domini 1382.

9. *D. Verena* Feistlina successit Dominæ Gutæ. Præfuit adhuc anno 1386. an vero diutius, incertum est. Sub ea erigi cœpit iterum collapsum in favillas cœnobium.

10. *D. Wandelburgis* præfuit anno Domini 1401.

11. *D. Hildegardis* à Reitnow successit Wandelburgi. Aliud de ea invenio nihil.

12. *D. Ursula* de Altmarshoven præfuit año Domini 1468.

13. *D. Margareta* à Reitnow, ædificatrix egregiæ Basilicæ Caczienſis ab anno Domini 1496. usq; ad annum Domini 1498. quo perfecta & absoluta est. Obiit anno Christi 1508.

14. *D. Clara* à Reitnow decessit ex hac vita anno Domini 1525. tumultuante undiq; in ecclesiasticas personas totius Germaniæ rustica plebe.

15. *D. Scholastica* à Reitnow præfuit 12. annis. Obiit anno Christi 1537.

Rhetium, arx, à qua Rhetia nomen habet.

16. *D. Catharina* de Marmoribus, humanissima ac optima, optimisq; prognata Domina, soror magnifici ac illustris viri, D. Joannis de Marmoribus, Domini in Rhetio, arce non procul à posterioris & superioris Rhenorum confluxu, medio itinere inter Katzesiense cœnobium & Churiam Rheticam sita. Hæc laudabilis Domina eligitur anno Domini 1537. Præsidet hoc adhuc currente Jubilæo. Habet adhuc apud se unam tantum Canonissam, D. Ursulam de Sacco nobilissimæ gentis Rheticæ, in S. Georgii monte supra Inlantzium oppidum Rhenense habitantis. His sacrum facere & concionari solet etiam hac adhuc tempestate egregie doctus vir Dominus *Georgius Svidegerus* Rhætus, nuper Churiensium Canonicorum cœtui insertus, in cujus gratiam tale à mei idyllion heroicum de Christi Jesu, Domini ac Liberatoris nostri meritis, anno Domini 1548 illic conditum & templo Coxiensi inscriptum est, sumtis ex Divo Augustino

stino antithesibus, eleganter totum Christum humano generi depingentibus, quibus tu quoque, pie lector, unà nobiscum fruere.

Huc, mortalis homo, tua corda & lumina flecte
Ac animo comprende tuo, quo Christus amore
Te sit complexus, Patris ingens filius ille,
Cujus recta sequi merito vestigia debes.
Pauper is est factus, quo te ditaret abunde.
Contemtus mundo, quo tu cœlestis in arce
Urbis honore novo ornareris perpetuoq;.
Captus, ut ex omni te carcere liberum ubiq;
Redderet. At duris vinclis ferroq; ligatus,
Ut peccatorum è nodis te solveret, atq;
Immunem faceret Solymarum ad mœnia civem.
Horrentem pro te de spinis ipse coronam
Gessit, ut æterno in cœlis diademate frontem
Ornaret faceretq; tuam super omnia pulchram.
Vulnera quinetiam pro te quam plurima passus,
Ut tua sanaret medicamine vulnera tali.
Pro te mortuus, ut te ad vitam suscitet illam,
Quæ sanctis ante hæc est secula cuncta parata,
A morte æterna, à Phlegethontis libera flammis.
Et tumulo æthereas victor surrexit in auras,
Ut te à peccatis faceret quoq; surgere, ab omni
Labe injustitiæ, candorem mentis ad illum,
Qualem sacra à te Domini Scriptura requirit.
Ascendit cœlos, ut & ipse sequaris, & illic
Individuus ei seclis comes omnibus adsis.

DOMINARUM AURACHIUM, vulgo Frauen-Aurach/ monialium nobili genere natarum, ordinis S. Dominici, Diœceseos vero Herbipolensis cœnobium amplum & præclarum, non procul à Pegnesi & Aurachii fluviorum confluentia, supra Erlangum, Brandenburgensium

gensium Marchionum oppidum, duobus lapidibus à Noriberga situm, fundatum legitur annum Christi circiter 1275. ab illustri Barone, Heerdegno de Grundlach ejusq; uxore Elisabeta, Meroniæ Ducissa, vera fundatrice, illic sepulta unà cum filiis, Heerdegno ac Leopoldo, Baronibus de Grundlach, Leopoldique uxore Domina Sophia, quæ in eodem cœnobio cubat. Fundator Heerdegnus dedit aream cum aruis, silvis & decimis, item pagum Hittendorffensem. Is in Fontium Salutarium cœnobio sepultus est. Domina fundatrix Elisabeta dedit prædium in Merndorff. Erat congregatio hæc monialium initio Noribergæ nata ad S. Crucem. Huic anno Domini 1269. in die Mariæ Magdalenæ datus est S. Dominici ordo ab Innocentio V. Pont. Max. quem attulit è Roma secum Dominus Henricus de Heidelberga, qui dedit dono congregationi trecentas obulorum libras. Migrarunt vero moniales ex urbe in Aurachium, constructum ipso die Dominici anno 1276. Postea anno Domini 1295. circa festum Pentecostes missæ sunt ex Dominarum Aurachio Noribergam ad recens inchoatum ibi S. Catharinæ cœnobium sorores sedecim. Et tandem anno 1255. Bambergam ser Dominæ ablegatæ sunt ad inchoandum ibi monasterium S. Sepulchri prope Deurstadium, pagum Bambergensi urbi vicinum. Id factum legitur ipsa die S. Walpurgis. Benefactores Dominarum Aurachianæ societatis leguntur fuisse D. Godefridus à Brauneck & ejus conjunx Adelhaidis à Schwartzenberg: hujusq; filius, Gotefridus II. cum conjuge Domina Margareta, Baronissa Grundlacensi, duabusq; filiabus, Margareta & Anna, Dominabus de Brauneck, it. Conradus Brauneck, Christina & Machoreta de Hohenberg, Beatrix & Margareta à Schlusselbergk, Henricus ab Hohenberg, Canonicus Bambergensis, & Wiprechtus à Treuttlingen, Ulricus de Aurach cum Agnete uxore, ejusq; filius Reinholdus cum Gertrude conjuge. Nobiles viri de Meiental, de Wiltperg & Egloffstein, quorum omnium sunt ibi honorifica Mausolæa & reconditoria. Henricus item Auceps, non vero is, qui ante Othones Imperator fuit, sed nobilis quidam regulus, qui consensu Hedowigis conjugis suæ dormitorium, & magnifi-

Barones de Grundlach.

S. Catharinæ cœnobium Noribergense.

S. Sepulchri Cœnobium Bambergense.

gnificum ejus loci templum suis sumtibus construxit, emitq; cœnobio pagos Regelsbacensem & Justisfeldensem, circa Schvvabachianum oppidum sitos, secundus hujus loci fundator merito appellandus. Priorissæ, quæ huic cœnobio præfuerunt ad hæc usque tempora, hæ inveniuntur. *Priorissarum series.*

1. *D. Anna Dieterichina*, pastoris cujusdam filia, non quidem genere nobilis, sed virtute nobilissima, quam electam Seckendorffinæ sex nobiles removeri volebant, sed Burggravii Noribergensis assensu approbata, defensa & confirmata, pie præfuit cœnobio multis annis.

2. *D. Margareta* à Brauneck, Godefridi benefactoris filia.

3. *D. Adelhaidis* ab Hohenberg.

4. *D. Elisabeta* Auherin eligitur anno 1436. egregia ædificatrix & illustratrix sui cœnobii, & quæ anno 1439. construxit ædes Noribergenses, ad vexillarem montem, vulgo Panerberg sitas. Præfuit adhuc anno Domini 1440. *Panerberg, mons Norib.*

5. *D. Gertrudis* à Wilmersdorff.

6. *D. Hosanna Hoffmannin.*

7. *D. Catharina Hoffmannin*, soror germana Hosannæ.

8. *D. Barbara* à Bibrach præfuit anno 1480. Obiit anno Christi 1504.

9. *D. Christina* à Druppach, Georgii strenui herois filia, præfuit annis sedecim. Valedixit huic mortali vitæ anno Salutis 1520.

10. *D. Margareta* à Trauttenberg præfuit tribus annis. Obiit anno Domini 1523.

11. *D. Chunigundis* à Wallenrod, Georgii à Wallenrod & Veronicæ à Gutenberg filia, placida, mitis ac prudentissima fœmina, heroica statura prædita, ingressa est monasterium anno Domini 1494. ætatis suæ decimo quarto. Eligitur in gubernatricem anno 1523. Præfuit 25. annis. Obiit anno Domini 1549. septuagenaria penè. Avus ejus nobilis ac strenuus vir, Joannes à Wallenrod, puer in Borussia à summo Teutonicorum Ordinis magistro, Conrado à Wallenrod, alitus, magnus postea fuit per omnia totius Europæ regna peregrinator, qui *Joannes à Wallenrod.*

Multorum mores, multorum vidit & urbes.

Post Hierosolymitanam peregrinationem Eques auratus factus est. Interfuit Concilio Constantiensi, cujus historiam exacte ipse descripsit: scripsit item peregrinationum suarum Hodœporicon. Is cum conjuge sua, Domina Sibylla à Lentersheim, in templo Schvvabachiano, ante aram S. Catharinæ, à se fundatam, terræ omnium parenti redditus est.

12. *D. Martha* à Druppach, Dominæ Christinæ supradictæ ex fratre Nicolao neptis, præficitur à Brandenburgensi Marchione Alberto & nobilitate Francica, anno 1549. cum paulo ante sororem Walburgin illic insignem monialem, medendi etiam facultate & arte percelebrem, morte sublatam humasset, quam tali ego epitaphio posteritati notam reddere volui.

Huc sua Walburgis posuit demortua membra,
Quæ de stirpe sua Druppachiana fuit.
Nobilis à patriis natalibus: at pietate
Nobilior, facie nobilis eximia.
Corpus in hac furva tenerum tellure quiescit,
Spiritus in superis vivit ovatq; choris.
Romanis quod erat Phœbo atq; Coronide natus,
Ædibus hoc nostris Druppachiana fuit.
Hoc statui æternum monumentum Martha sorori
Concordi imprimis unanimiq; meæ.
Quod testetur, in hac ipsam vixisse palæstra:
Inscriptus cœli est spiritus ipse libris.

Monachorum Aurachium Cœnobium.

Est in eo ipso tractu ad fluvium Aurachium aliud cœnobium, monachorum Aurachii appellatione notum, ordinis D. Benedicti. Id à Baronibus Auracensibus fundatum, postea vero ab Episcopis partim Bambergensibus, partim Marchionibus Brandenburgensibus liberaliter donatum esse dicitur. Id nec monachos nec Abbatem amplius habens, à Marchionibus occupatum est, & à quæstore hoc tempore providetur.

❁ ❁ ❁

DOMINARUM Monasterium, in sinistra Limagi situm, vulgo Frauenmünster zu Zürch / Canonissarum ex illustribus plerum-

plerunq; Principum, Comitum ac Baronum familiis natarum, amplissimum opulentissimumq; olim collegium, fundatur anno Domini 833. in pago Tigurino à Ludovico, Germaniæ, Bavariæ & Ostrofrancorum Rege, Ludovici Pii filio, Imperatoris Caroli Magni nepote, Lotharii vero Imperatoris fratre. Is huic cœnobio jus & advocatiam Tigurini pagi, in ducatu Sueviæ ac Turgovienſi tractu ſiti, cum Uri Lepontiorum & Urſellanorum pago poſſidendum dedit. Abbatiſſarum ejus collegii talis extat catalogus, à *Stumpfio*, Helvetiorum Chronographo, congeſtus. *Abbatiſſarum catalogus.*

1. *D. Hildegardis* Regina, filia Ludovici Regis primi fundatoris. Hæc anno Chriſti 858. donatur à patre Ludovico Rege omni dominio Comenſi ad lacum Tuginum ſito. Obiit anno Domini 860.

2. *D. Bertha*, & ipſa Ludovici Regis & Hemmæ Reginæ filia, ſucceſſit Dominæ Hildegardi germanæ ſorori ſuæ: quam multis privilegiis & immunitatibus donavit pater anno Domini 864. & anno 869. avunculus etiam, Rex Lotharius, Imperatoris Lotharii filius. Hæc ipſa domina ſub Rege Carolo Craſſo fratre ſuo abſolvit inchoatam Baſilicam monaſterii ſui Tigurini. Obiit anno Chriſti 881.

3. *D. Giſela* ſucceſſit Dominæ Berthæ. Conſequuta eſt jus cudendæ monetæ à Carolo Craſſo Imperatore.

4. *D. Richardis* Imperatrix, Caroli Craſſi relicta & ſegregata conjunx ex donatione mariti, & hujus Tigurini, & Secanici ad Rhenum ſiti Canoniſſarum collegii præcipua gubernatrix fuit.

5. *D. Utha* ſucceſſit Richardi, commendata & promota à Salomone de Ramſchwag, Epiſcopo Conſtantienſi & Abbate Sangallenſi, qui adoleſcens ex ea vitiata prolem fœminei ſexus exceperat, in eodem cœnobio alitam & tandem nobili cuidam Nottgero deſponſatam. *Salomon de Ramſchwag.*

6. *D. Regilinda* præfuit circa annum Domini 952.

7. *D. Mechtildis*, Comitiſſa Tirolenſis, ſucceſſit Regilindi. Hæc alteram turrium Baſilicæ ſuæ Tigurinæ conſtruxiſſe legitur.

Conjuges facta discessione monasteria ingrediuntur.

8. *D. Hedowigis*, conjunx Selingeri, Baronis à Wolhusen, quæ amissis liberis suis (qui in lacu quodam submersi perierant) solitariam vitam eligens, cœnobium hoc ingressa, tandem Abbatissa ac gubernatrix ejus designata legitur. Maritus ejus, Selingerus Baro, in Einsidlense monasterium secedens, ibi etiam tandem anno Domini 1070. Abbas monachorum designatus est. Post hanc Abbatissam aliquæ desiderantur, quarum nomina vetustate absumta interciderunt.

9. *D. Mechtildis* à Wunenberg præfuit circa annum Domini 1256.

10. *D. Juditha* ab Hagenbuch præfuit anno Domini 1264.

11. *D. Elisabeta* à Tengen præfuit anno Domini 1274.

12. *D. Elisabeta* à Spiegelberg præfuit anno Domini 1293.

13. *D. Khunigundis* à Wasserstelz obiit anno Domini 1299.

14. *D. Elisabeta* à Kramburg præfuit anno 1306.

15. *D. Anna* ab Attingshusen, ex Leopontiorum finibus nata, præfuit circa annum Christi 1315.

16. *D. Elisabeta*, Comitissa de Weczikon, præfuit annum Christi circiter 1339.

17. *D. Elisabeta* à Matzingen gessit baculum pastoralem circa annum 1342.

18. *D. Anna*, Comitissa à Bonstetten, Joannis Comitis Tiguri capti anno 1350. & Hermanni, Abbatis Sangallensis, germana soror, præfuit ante & post annum 1350.

19. *D. Fida*, Comitissa de alta Rupe, vulgo von Hohenklingen/ obiit anno 1358.

20. *D. Beatrix* à Wolhusen, obiit anno 1398.

21. *D. Anna*, Comitissa à Busnang, obiit anno Domini 1404.

22. *D. Benedicta*, Comitissa à Bechburg, præfuit anno adhuc Domini 1408.

23. *D. Anastasia*, ab alta Rupe Comitissa, præfuit tempore Concilii Constantiensis ante & post annum 1415.

24. *D. Anna*, Baronissa ab Heuwen, præfuit anno 1438.

25. *D. Sibylla*, Comitissa de Helffenstein, præfuit ante & post annum Domini 1484.

26. *D. Eli-*

26. *D. Elisabeta*, Comitissa de Wissenburg, præfuit anno Christi 1489.

27. *D. Catharina*, Baronissa à Zimbern, præfuit anno Christi 1499. ultima hujus collegii Abbatissa, quæ quinta Decembrium anni à nato Christo 1524. gubernationem consulibus & Senatui urbis Tigurinæ resignans, accepta mediocri pensione annua nobili cuidam viro à Rischach nupsit. E regione hujus amplissimi & hodie in scholam mutati collegii est in editiore colle ultra fluvium Limagum insignis Basilica pro 24. Canonicis, à Carolo, Francorum Rege, postea Magno cognominato, in honorem sanctorum Felicis, Regulæ & Exuperantii, constructa & amplissime dotata, annum Christi circiter 760. quo optimus Rex, venationi deditus, ab insigni quodam & admirandæ pulchritudinis cervo à Colonia Agrippina Tigurum usque in eum ipsum locum (in quo corpora horum sanctorum Dei martyrum requiescebant) pertractus esse legitur. In eo Canonicorum amplissimo collegio hac tempestate à magistratu urbis Tigurinæ omnis generis disciplinarum ac linguarum, facultatum item, Theologicæ videlicet, Medicæ, ac Juridicæ doctissimi professores, ut in amplissima aliqua Academia aluntur, qui variis in lucem editis, de omni doctrinarum genere, monumentis, notiores omnes sunt, quàm ut mea celebratione opus habeant.

Carolus Magnus.

Summa Basilica Tigurina.

EBRACUM, Ebrach, magnificum ac opulentissimum Cisterciensium monachorum cœnobium, in Ostrofrancis & Herbipolensi Diœcesi, quatuor miliaribus à Schweinfordia, in ipsa Ardua Sylva (vulgus Steiger Wald vocat) ad ejusdem nominis fluviolum, quem, ad alterius differentiam, minorem Ebrachium nominant, situm, in quod omnium Herbipolensium Episcoporum corda, corporibus mortuis execta, quatuor pulchris equis honorifico currui præpositis avehi, & ibi in templi choro prope Dominici corporis ædiculam honorifice tumulari solent: quodq; olim (rebus nimirum Wurczenburgensis Episcopatus nondum ad tantum fasti-

Episcoporum Würczeburgensium corda quomodo tumulentur.

fastigium evectis) ita opulentum fuisse autumant, ut, in annuis proventibus, ipsi etiam Episcopatui prædicto (exemto saltem uno ovo, quo Episcopatus ditior existimabatur) par esse crederetur: id inquam fundatum est anno Christi 1126. sub Imperatore Lothario Saxone & Episcopo Wurczburgensi Embricone, à Bernone ac Richowino, militibus ac nobilibus fratribus de Eboraw, qui anno Domini 1119. cum consensu sororis Berthildis ex hoc castro suo Ebravv, latrociniorum dira olim spelunca, domum precationum facere statuerant. Horum ossa habentur in pereleganti S. Michaelis sacello, quod est ad latus dextrum majoris Basilicæ, & primum legitur ejus loci fuisse templum, septennii spacio ab ipsis fundatoribus erectum. Est in ejus cœnobii magnificentissima Basilica sepulta Domina Gertrudis Imperatrix, Conradi III. Rom. Regis conjunx, Berengarii Comitis de Sultzbach filia, quæ unà cum Rege Conrado marito suo plurima obtulit & contulit ad celebriorem monasterii hujus exædificationem: in quo frequenter ipsa habitasse, & preciosas ibi vestes, sacris ministeriis utiles, propriis manibus ingeniosissime neviisse & adornasse dicitur, quæ hac adhuc ætate in ejusdem loci sacrario conservantur & adventantibus aliunde peregrinis ostenduntur. Tumulo ipsius Reginæ superaddita est talis Inscriptio:

D. Gertrudis Imperatrix.

Hic jacet Regina Gertrudis, uxor quondam Conradi, Regis Romanorum hujus cœnobii fundatoris, translata in hanc tumbam à venerabili Abbate Nicolao, Anno 1169. quinto KL. Maji.

Frid. Rotemburgius.

Cubant in eodem hoc monasterio Fridericus, Suevorum dux, filius Conradi III. Regis, Rotemburgius cognominatus, cujus tumulo addita est hac sequens metrica epigraphe.

Hic dux Suevorum Friderich, fotor monachorum,
Et Romanorum Regis natus jacet, horum
Author fundorum; DEVS huic-da regna bonorum.
XIV. KL. Septembrium Romæ Obiit.

D. Irene, Imperatrix.

Et Domina Irene, alio nomine *Maria* dicta, Alexii Constantinopolitani Imperatoris soror, Philippi Suevorum Ducis ac Romanorum Imperatoris, Bambergæ ab Othone, Dittelsbachiano Comite, trucidati, honestissima Conjunx. Nobiles item Comi-

Comites de Caſtel, quorum liberalitate ac eleemoſynis Vogelsburgum, celebre Carmelitarum in Oſtrofrancis cœnobium, ad Mœnum amnem conditum & conſtructum eſt. Imprimis verò D. Stuſo Comes, & duo Friderici, ſenior ac junior, Comites de Caſtel. Vocant alii Ebracum hoc Lorienſe cœnobium: ſed quam ob cauſam, id hactenus ſcire & indagare nusquam potui. Habet Abbas ejus loci ſub ſe & viſitatione ſua alias potentes Abbatias monachorum ſeptem: Runam videlicet in Styria prope regale Græcium ſitam & à Friderico Barbaroſſa olim fundatam: Lanckhenheimium in Voitlandiæ montanis, de quo infra in litera L. Fontem Salutis in Marchionatu Brandenburgenſi: Nepomungum in Boëmis: Aldersbachium in Bavaris: Bildhuſium in Rhenenſi tractu Oſtrofrancis & Heſſis vicino ſitum, aō Willershemium. Monialium verò tres, Cœli portam infra Wurczburgum, Schonavium in Silva Odonis, & Pirckhenfeldum prope Neoſtadium Aeſti ſitam.

Comites de Caſtel. *Vogelsburgum.* *Runa.* *Lanckheim.* *Fons Salutis.* *Nepomungum.* *Alderſpach.* *Bildhuſium.* *Willersheimium.* *Cœli porta.* *Schonaw.* *Pirckbenfeeld.*

Benefactores ampliſſimi hujus monaſterii fuiſſe leguntur Comites de Caſtel, *Gulielmus*, Comes quidam de Hennenberg: *Ludovicus* Comes de Rinegk, qui decimas in Gremsdorff dedisſe legitur: *Erhardus Fuchſius*, regulus Francicus, fundator ejus ſacelli, quod primariæ monaſterii portæ contiguum pene eſt. Is dedit monaſterio caſtrum Schmalfeeldenſe. *Joannes*, Burggravius Noribergenſis, & *Fridericus* Burggravius, qui dedit cœnobio bona quædam in Prugk & in oppido Schwabacenſi. *Holdſchuheri* item, Noribergenſis Reip. Patres, imprimis verò *Fridericus Holdſchuherus*, qui deceſſiſſe legitur anno Domini 1339. Ebraciq; in cœmiterio, poſt ſummum chorum ſito, ſepultus eſt. D. item *Eliſabeta*, Sifridi cujusdam *Holdſchuheri* conjunx, quæ obiit quinta feria poſt S. Michaelis feſtum anno 1365. eodem loco cum D. Eliſabeta, *Liebhardi Nützelii* Noribergenſis Patricii uxore, (quæ obiit anno 1370.) honorifice depoſita & humata.

Holdſchuheri, Patricii Noribergenſes. *Nützelii Patricii.*

Abbatum hujus loci talis à me congeſtus & ex variis diplomatibus ac chartis conſutus eſt catalogus.

1. *Adamus* de Colonia Agrippina accerſitur ad monaſterii hujus gubernaculum anno Domini 1127. vir probatæ virtutis ac

Catalogus Abbatum.

ac sapientiæ: ita enim testantur de eo in epistolis quibusdam Divus Bernhardus, & Alberinus, Abbas Cistercienſis. Præfuit pie & laudabiliter 34. annis. Construxit in septennii spacio Ecclesiam, quam Wurczburgensis Antistes Embrico anno Domini 1134. consecravit. Huic aliæ decem Cistercienſis instituti Abbatiæ, eodem ferè tempore in aliis Germaniæ provinciis erectæ, tanquam patri ac primario inspectori monasticæ vitæ ac disciplinæ commendatæ sunt, quas supra nominavimus. Datum est ei & fratribus summi monasterii Wurczburgensis, hodie Canonicis, super concambio quodam ab Imperatore Conrado Suevo tale privilegium:

Ratio penè præcipua tot fundatorum monasteriorum.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, ejusdemq; inseparabilis Unitatis. Conradus, Dei gratia Romanorum Rex, secundus. Si anteceſſorum nostrorum, Regum seu Imperatorum, piæ devotionis limites prosequendo, ad cultum divinæ religionis, eccleſiis Dei in posterum provideri, & de statu ac profectu illarum, pro debito regiæ authoritatis opportune ordinare studebimus, id nobis tam ad præsentis vitæ tranquillitatem, quam ad futuram beatitudinem promerendam profuturum non ambigimus. Ea propter omnibus tam futuris quam præsentibus Christi fidelibus notum facimus, qualiter per manus filiorum nostrorum, *Henrici* Junioris Regis & *Friderici*, nec non fidelis nostri *Marquardi* de Grumbach, allodia quædam, quorum hæc nomina sunt Lubedrot, in Habrettelshauſen superiori tredecim manſos, in Habrettelshauſen inferiori quatuordecim manſos, in Hofenheim undecim manſos, in Weteringa totidem, in Hohuſen, Wegenheim & Kenegkheim viginti manſos & duo molendina cum vineis ac nemoribus ibidem sitis, Wurczburgensi Eccleſiæ, ad altare S. ac precioſi martyris Chiliani, in (a) majori monasterio, in perpetuos usus fratrum Deo servientium contradita & corroborata sunt, hac interjecta cautione, ut si qua eccleſiastica secularisve persona, justa ac rationabili cauſſa, prælibata bona retraxerit & abstulerit, ac subtraxerit usibus prædictorum fratrum, fratres illi de Eberaw aliis bonis congruentibus jacturas illatas recompenſent. Fratres vero supradicti pro allodiis sibi & Eccle-

(a) *Idest, Canonicorum collegio: olim enim omnium Canonicorum*

siæ

siæ suæ contraditis Curias Sulczheim & Grunbach Eberacensi cœnobio in usus fratrum, ibidem Deo servientium, in perpetuum tenendas tradiderunt. Huic per manum filiorum nostrorum factæ traditioni Boppo Comes, Advocatus altaris majoris Ecclesiæ intererat, & Advocatiam omniaq; jura Advocatiæ, quæ de præfatis bonis sibi & suis hæredibus persolvenda deinceps fuerunt, in usus fratrum præsignatorum resignavit. Nos vero regali edicto hanc traditionem sancientes statuimus, ne aliqua magna vel parua persona in regno nostro Advocatiam illam vel jura Advocatiæ sibi usurpare præsumat, nisi quem communis fratrum voluntas, aliqua necessitate forte interveniente, sibi Advocatum asciverit & super hæc bona constituerit. Statuimus quoq;, ut nulli Episcoporum liceat ipsam Advocatiam seu jura Advocatiæ ipsius, Advocato supradictæ Ecclesiæ, seu cuiquam personæ inbeneficiare, nisi fratrum consensu, votiva concordia & unanimi petitione. Verum quia non decet nec fas est, ut per calumniam aliquam præsumatur munimini, quod sancitum est judicio principali, chartam præsentem, sigilli nostri titulis insignitam, de concambiis his fieri & dari præcepimus, quatenus actio caussæ hujus, signis & cadis, astipulationibusq; munita solemnibus inviolata permanebit tam futuris, quam præsentibus. Testes itaq; hujus rei sunt liberæ conditionis viri, Adalbertus Marchio de Saxonia, Boppo præfectus urbis & frater ejus Bertholdus Comes: Sisso de Thuringia, Rupertus de Castello, & fratres ejus, Hermannus & Albertus: Comes Ernestus de Thuringia, Fridericus de Truhendingen & Adelbertus frater ejus: Mangoldus de Tungdorff, Sigebotho de Scharffeld, Conrad de Tungenden: Rupertus de Froburg, Wolfram de Bobenberg, Wolfram de Wertheim: Diepertus de Spiegelberg, Fridericus de Buchele & alii multi. Ministeriales vero hi sunt Richinus, Iringer, Bilugus, Bilinger, Ebelhartimut, Richolph, Engelbrecht, Gottebold, Gottfrid, Henrich, Rudolphus, Erignus, Arnoldus & multi alii. Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archicancellarii recognovi. Data Würczburg, anno Dñi 1149. regnante Conrado, Romanorum Rege secundo, anno regni ejus duodecimo.

collegia monasteria fuisse certum est.

Proculdubio Hennenbergenses.

Obiit Abbas Adamus anno Domini 1161. postridie Cæciliæ Virginis, in Novembri. Sepelitur in siniſtra templi abside, prope parietem sacriſtiæ proximum, eo ipso loco, ubi hodie adhuc cernuntur posita esse ossa ejus loci Abbatum.

2. *Berengerus* Abbas (de quo nihil tamen omnino in fastos relatum est) creditur succeſſisse D. Adamo, sed non diu præfuisse: itaq; in catalogis quibusdam non habetur.

3. *Burcardus* succeſſit Berengero, sed quam diu præfuerit, aut quid præclari fecerit, non est à quoq; annotatum. Deceſſit ex hoc mortali seculo 18. KL. Maij.

4. *Nicolaus* præfuit anno Domini 1169. quo legitur condidiſſe & adornaſſe tumulum Gertrudis Reginæ, ut supra.

5. *Hermannus* succeſſit Nicolao. Huic Abbati Henricus VI. Imperator anno Domini 1194. privilegium dedit contra Henricum de Biebelriedt, Epiſcopum Würczburgenſem, qui bona quædam cœnobii ad se rapuerat. Mandat vero ibi Imperator non reſtitutionem solum raptorum bonorum integram, sed etiam, ne quisquam futuris temporibus Epiſcopus, Dux, Marchio aut Comes, nulla deniq; persona humilis aut alta, secularis vel eccleſiaſtica hanc Regiæ confirmationis & protectionis (cui soli subeſſe debeat Ebracenſis Abbatia) paginam attentet infringere, aut Ebracenſes fratres eorumq; poſſeſſiones aliquomodo inquietare. Præfuit hic Abbas anno etiam 1200. in cujus Junio incœpit ipse ex quadrato lapide conſtruere præclaram illam Ebracenſis templi & cœnobii Baſilicam, quæ hodie adhuc integra conſpicitur. Hæc tandem conſecrata est quinta Iduum Septembris, anno 1285. ab Epiſcopo Würczburgenſi, Bertholdo de Sternberg, qui in ejusdem magnificentiſſimi templi choro ad siniſtram aræ maximæ honorifice humatus est cum tali partim soluta, partim ligata inſcriptione: Anno Domini 1287. obiit Dominus Bertholdus, Würczburgenſis Epiſcopus, pontificatus sui decimo tertio anno, decima octava KL. Decembrium.

Bertholdus de Sternberg, epiſcopus Herbipolenſis.

Cor jacet hac foſſa, ſine quo caro nihil oſſa,
Præſulis atq; ducis Wurczburgi. Da loca lucis
Bertholdo, Chriſte, quo ſacratur locus iſte,
De Stellæ monte, dedit hoc munus quia ſponte.

Abbas

Abbas Hermannus decessit ex hac vita ad aliam 12. KL. Maij.

6. *Mengotus* successit Hermanno, sed quo anno, aut quamdiu ad clavum sederit, incertum est. Obiit nona KL. Augusti: aliud enim de eo extat nihil.

7. *Albardus* Abbas assumitur in tuitionem Conradi Imperatoris, ejus videlicet, qui Friderici II. vel Neapolitani filius fuit, anno Domini 1240. Diploma tale est:

In nomine S. ac individuæ Trinit. Conradus, Divi Augusti, Imperatoris Friderici filius, Dei gratia in Regem electus, semper Augustus & hæres regni Hierusalem. Regalis Excellentia hinc præcipue sui nominis titulos ampliat & extollit, cum loca divino cultui mancipata, & personas in eisdem Domino famulantes piamentis affectione in suis fovet juribus, & eorum supplicationibus favorabiliter sese inclinat. Hac siquidem ratione ad modernorum & futurorum plenam noticiam pervenire cupimus & protendi: quod nos ad supplicationem Alhardi, venerabilis Abbatis de Eberaw, suiq; conventus, Cisterciensis ordinis, fidelium nostrorum, salubriter ad imitationem vivorum progenitorum nostrorum, ipsam Ecclesiam Ebracensem cum personis & omnibus bonis suis, & specialiter cum prædio de Schwabach, cum attinente sibi parochia ejusq; pertinentiis, sub nostræ & Imperii protectionis præsidio assumsimus, speciali authoritate paterna, qua fungimur, & nostra firmiter statuentes, ut, sicut Ordo Cistercienſis ab omni Advocatorum genere juxta primariam institutionem suam semper liber extitit & immunis, sic deinceps eadem Ecclesia (excepto solo Romanorum Imperatore) nulli prorsus Advocatorum (nisi cui voluntarie sese subiecerit, ita quod velle suum postea valeat immutare) per prædia & possessiones suas aliquatenus sit subjecta. Quocirca mandamus, per obtentum gratiæ Domini ac patris nostri, Romanorum Imperatoris Friderici, & nostræ, præcipientes firmiter & districte, ut nulla sit persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, quæ prædictum monasterium & personas, in eo Domino famulantes, super præmisso prædio in Schwabach & Ecclesia prænotata cum suis pertinentiis præsumat vel audeat contra præsentem nostram

Ebracensis Abbatia nulli Advocato, nisi Romanorum Imperatori subjecta.

gratiam moleſtare. Quod qui præſumſerit, indignationem noſtram & Imperii ſe noverit incurriſſe. Hujus rei teſtes ſunt Hermannus Herbipolenſis, Fridericus Eiſtettenſis, Landolphus Wormacienſis, Epiſcopi: Henricus, Landgravius Thuringiæ, Gebehardus de Arnſtein, Godefridus de Hohenlohe, Graffto de Bogkſperg, Conradus, Pincerna de Winterſtetten, Conradus de Sunnfeldt, Marquardus Butigularius de Noriberga, Conradus Notarius & alii quam plures. Acta anno Dominicæ Incarnationis 1240. menſe Novemb. quarta decima Indictione. Data apud Nürmberg, menſe & Indictione præſcriptis feliciter.

8. *Winricus* Abbas præfuit anno Domini 1282. Conſtruxit Würczburgi, ut in celebri ſui ſeculi Academia, collegium vel domum ſtudii pro monaſticæ diſciplinæ ſectatoribus. Hæc domus privilegiatur à Joanne Abbate Ciſtercienſi & ab univerſo capitulo generali tali diplomate:

Herbipoli olim Academia, quæ poſtea Erfordiam eſt translata.

In nomine Domini, Amen. Ad evidentiam rei perpetuæ, Nos frater Joannes, Abbas Ciſtertii, totuſq; conventus Abbatum capituli generalis, præſenti definitione, tempore perpetuo duratura, ſtatuimus, volumus & ordinamus: quod in domo ſtudii apud Herbipolin per coabbatem noſtrum de Eboraw conſtruenda idem Abbas habeat, in loco & perſonis, eandem prorſus jurisdictionem, ordinationem & poteſtatem, quam Dominus Abbas Claræ vallenſis in ſtudio S. Bernhardi Pariſiis, ſecundum formam ibidem primitus inſtitutam, noſcitur habuiſſe. Præterea ad bonum etiam ſtatum ipſius ſtudii promovendum ſtatuimus & ordinamus, ut monachi, in eodem ſtudio ſtudendi gratia commorantes, iisdem libertatibus omnino gaudeant & juribus, quibus monachi ſtudentes Pariſiis hactenus ſunt gaviſi. In cujus rei perennem memoriam præſentes literas Abbati Ebracenſi dedimus noſtri ſigilli munimine roboratas. Data apud Ciſtertium anno Domini 1284. tempore capituli generalis. Obiit Winricus Abbas quinta Iduum Aprilis.

9. *Hermannus* obiit pridie Nonarum Novembrium anni 1306.

10. *Fri-*

10. *Fridericus*, Landgravius Leuchtenburgius, patre Friderico, matre vero Domina Elisabeta, Comitissa Ortenburgensi, natus, ex Abbate Lanckheimensis cœnobii (cui non diu præfuit) Abbas Ebracensis designatus, præfuit Ebraci anno Domini 1315. Quo tempore floruit ibi, in veste ac professione monastica egregius & indefatigabilis librorum scriptor, Sifridus Vitulus. Consequutus est Fridericus iste omnium privilegiorum, suo cœnobio ab antecessoribus Imperatoribus concessorum, confirmationem ab Imperatore Ludovico Bavaro, Francofurti ano Domini 1324. Vocatus est anno Dñi 1328. à Pontifice Max. Joanne XXII. ex Ebracensi Abbatia ad Aistetensis Episcopatus gubernationem, quam tamen (quod clero Aistetensi invisus esset) non diu tenuit. Obiit in arce Episcopatus, Hollnstein, prope Berchingum sita. Avehitur inde Ebracum initio, postea ad Waldsassense Cisterciensis etiam instituti prænobile cœnobium, prope Egram civitatem regiam in terra Narisscorum situm, ubi in tumulum majorum ac parentum suorum, Landgraviorum Leuthenburgensium, honorifice positus ac terræ parenti redditus est.

11. *Albertus* successit ad Episcopatum Aistetensem discedenti Friderico. Præfuit annis sedecim. Decessit ex hoc mortali seculo anno Domini 1344. quarta iduum Augusti. Datum est ei privilegium ab Imperatore Ludovico Bavaro, Noribergæ anno Domini 1339. in quo scribitur, Othonem Wolffskheelium, Herbipolensem Episcopum, confessum esse, nullum se habere aliud Advocatiæ jus in Ebracense cœnobium, quam nomine Sacri Rom. Imp. In iisdem literis hæc Advocatia Imperiali authoritate commendatur prædicto Episcopo Othoni, tamdiu vero usurpanda nec diutius, quàm ea vel opus habeat vel uti velit Abbas Ebracensis: addita insuper cautione, quod si Abbas Episcopum nolit amplius habere tutorem aut Advocatum, liberum ei sit alium à Romano Imperatore postulare. Hoc ipsum privilegium postea sequentes Imperatores, Carolus IV. anno Domini 1352. & Wenceslaus anno 1387. confirmarunt. Ferdinandus vero Romanorum, Germaniæ, Ungariæ & Bohemiæ Rex amplissimus, Archidux Austriæ nobilissimus, dato insigni privi-

Episcopus nullum habet Advocatiæ jus in Abbatiam Ebracensem.

Ebora-cum exemtum.

privilegio monasterium Ebracense, anno Domini 1544. ab omni, cum Moguntini Archiepiscopi, tum Herbipolensis Episcopi visitatione, reformatione, electione, depositione, correctione & confirmatione totaliter exemit, ut quod soli Ordinis visitatori & Sacro Rom. Imperio immediate subsit & subesse debeat semper.

12. *Henricus*, Alberto Abbati subrogatus, præfuit per quinquennium tantum. Obiit anno Domini 1349. octava Iduum Maii. Quis ei successerit, ignoratur.

13. *Otho*, matre Agnete, venatrice de Matrey, natus, præfuit ab anno 1366. annis novendecim. Obiit anno Domini 1385. sexta Iduum Junii. Sub hujus gubernatione Papa Gregorius XI. dato insigni privilegio, ita Ebracense hoc monasterium libertatibus & immunitatibus auxit, anno Pontificatus sui tertio, ne sub pœna excommunicationis quisquam Episcopus ausit aliquod jugum, exactionem vel steuram, ut vocant, imponere ejus loci Abbati vel conventui, aut quicquam ab eis (ut visi nobis privilegii verbis etiam utamur) indebite extorquere. Privilegium hoc datum est apud Avinionem in Galliis.

14. *Petrus* successit immediate Abbati Othoni. Præfuit laudabiliter & utiliter annis octodecim. Exuit hominem mortalem anno Christi 1404. Sub ejus gubernatione magnam rerum suarum jacturam perpessa est, præsertim in districtu Soltzheimensi Abbatia Ebracensis propter intestinum bellum, quod erat inter Gerhardum, Comitem de Schvvartzburg, tunc temporis Wurczburgensem Episcopum, & præcipuas civitates Ostrofrancorum, Episcopatui subjectas: de quo cruento equidem & pernicioſissimo bello civili plura lege in Episcopatibus nostris. In hoc bello desiit & ex Herbipoli translata est Academia Erfordiam, anno videlicet Domini 1394. Cœperat ea tempestate nuper adeo Gymnasium Heidelbergense, à Palatino Rheni Ruperto, Romanorum Regis Ruperti parente, fundatum ac dotatum, anno 1364. Ut haberent ergo religiosi studentes Ordinis Cisterciensis habitationem & singulare quasi collegium in nova ista Academia, incorporata est scholæ Heidelbergensi anno 1394. domus

Translatio Herbipolensis Academiæ.

Heidelbergense Gymnasium. S. Jacobi Domus Heidelbergæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

domus S. Jacobi, extra muros Eidelbergenſes ſita, quæ pertinebat ad Ebracenſem hunc Abbatem.

15. *Henricus*, paterno cognomento *Heppius*, materno vero *Nublingus* dictus, matre Volcaide natus, Pius agnominatus, eligitur in Abbatem anno 1404. Præfuit viginti duobus annis in magna rerum ſui cœnobii difficultate, propter ſupra dictum bellum civile, ita tamen laudabiliter, ita utiliter ac feliciter, ut merito ſecundus ſalutari debeat hujus Abbatiæ fundator. Ordinarat, ne quis cœnobita præter unum burſarium haberet loculum, ex quo ſolo, juxta Bernhardinæ regulæ legem, cœteri omnes monachi neceſſaria peterent & ſperarent. Emit anno Chriſti 1421. duobus millibus & quingentis florenis caſtrum vel curiam Winckel cum adjacentibus bonis. Contendit acriter cum Epiſcopo Wurczburgenſi, Gerhardo, anno 1411. qui adeo iniquus erat huic monaſterio, ut uno die triginta ſex monachi, ex Ebracenſi Abbatia, ad alia Ciſtercienſis ordinis cœnobia in diverſis locis ſita aufugerent, tum quod premerentur graviter ab Epiſcopo, tum quod tenues eſſent factæ res Ebracenſes in bello civili ſupra allegato. Hos omnes non tantum reduxit Henricus Abbas, ſed ita præfuit diligenti & prudenti rerum œconomicarum inſpectione, ut mox, quæ in bello perierant & abſtracta erant, & recuperaret & reſarciret pulcherrime. Anno 1415. miſit ad Conſtantienſe concilium unum ex cœnobitis ſuis, D. Bartholomæum ſacræ paginæ Doctorem, qui unus ex decem illis fuiſſe perhibetur, quorum ſententia & judicio Joannes Huſs, Boëmus, damnatus & igni adjudicatus eſt. Obiit plenus dierum, anno 1426. ipſa die S. Eliſæ.

Winckel, curia.

Joannes Huſs.

16. *Bartholomæus*, ſacræ Theologiæ Doctor & profeſſor eximius, diſputator omnium ſui ſeculi acerrimus, qui Philoſophiam & S. literas didicerat in Academia Viennenſi, ex qua Herbipolim vocatus ab Epiſcopo ejus urbis, publice illic ſententias legit pro Doctoratu. Interfuit concilio Conſtantienſi, ad quod miſſus erat à ſuo Abbate. Ibi contra *Huſſium* non diſputavit tantum, ſed finitivam etiam ſententiam cum aliis novem, ad id deputatis, Doctoribus tulit de eo tollendo. Finito Concilio, cum

Johanne à Fleeckenstein, Episcopo Wormacienſi, ad terram ſanctam proficiſcitur, unde feliciter reverſus eligitur tandem in Abbatem anno Salutis 1426. Præfuit 4. annis. Miſit ad concilium Baſilienſe Albertum Kirſenlooher, cœnobitam quendam ſuum, artium Magiſtrum, virum prudentia & eloquentia præſtantem. Obiit tandem octava Kal. Junii anno Domini 1430.

17. *Hermannus*, de Kottenheim, vir prudens & authoritatis ſingularis, ſucceſſit Bartholomæo rebus humanis exemto. Præfuit ſeptem annis, & diſſortunii quiddam ſentiens ceſſit furenti ac novercanti fortunæ, Abbatiamq; etſi invitus reſignavit. Obiit autem & humatus eſt in Fontium ſalutarium cœnobio (ubi reliquum vitæ privatus exegit) anno Gratiæ 1447. Redemerat in Baſilienſi ſynodo cœnobium Ebracenſe à communi ſervitio Papæ, electionesq; Abbatum impetrarat liberas ab omni pecuniaria aut privilegiaria ratificatione, cum antea ſemper pro novi Abbatis creatione & confirmatione Cameræ Papali numerandi & numerati fuiſſent aurei trecenti.

Ebrach, cœnob.

18. *Henricus Wildius* eligitur in locum Hermanni an. 1437. Præfuit utiliter & ſumma cum laude per decennium. Erat vir magnæ & erectæ conſcientiæ, ſciens & ſpiritualem & temporalem ſtatum præclare regere; unde non mediocriter ſub ejus clavo cœpit erigere ſeſe ſtatus monaſterii temporalis. Ipſe enim Ebracenſi ſuo cœnobio emit decimas in Meinſtockheim, amplo ac celebri pago, ad Mœnum amnem ſito: quin decimas in Buchbrunn pago. Ædificavit vero etiam Curiam in Schweinfordia, civitate vicina Imperiali, & aliam Curiam in oppido Volckachiano. Domi conſtruxit Bibliothecam, Cuſtoriam, ac magnum quoddam horreum ad conſervandas fruges. Tandem decrepitus & ſurdus effectus reddidit Abbatiam ſua ſponte his, à quibus eam antea acceperat gubernandam, conventualibus etiam omnibus reclamantibus & diutius eum ad clavum ſedere volentibus. Idque fecit anno Salutis 1447. Obiit tandem anno Domini 1454. ſeptimo videlicet à reſignatione. Sub ejus gubernatione præcipitem ſeſe dedit de ſumma eccleſia Joannes Kobergerus diaconus, qui in vicino agro terræ parenti redditus eſt.

Diaconus αὐτόχειρ.

19. Her-

19. *Henricus Blumentrost* subſtituitur Henrico Wildio anno 1447. Præfuit annis octo. Erat vir, ut illa tempora patiebantur, mediocriter doctus & S. Theologiæ Baccalaureus formatus, rhetor egregius, orator celebris, & qui multa ſcripſit ad Academias, Viennenſem & Heidelbergenſem: monaſteriorumq; utriusq; Pannoniæ, Bavariæ & Franciæ Orientalis viſitator erat ſtrenuus ac ſeveriſſimus. Obiit in Januario anno 1455.

20. *Burcardus*, vir formoſus corpore, formoſior verò animo (nam in omnes bonos pius, in omnes beneficus fuit) ſucceſſit Henrico. Præfuit annis ferè 19. Fuit cœnobii ſui rector diligens, illuſtrator vero maximus, quod argenteis clinodiis & precioſis veſtibus auxit plurimum. Conſtruxit novum Infirmitorium eximis fundamentis. Sub ejus gubernatione plurimi cœnobitæ ex Ebraco evocati ſunt ad exterarum Abbatiarum regimen, Henricus videlicet Schollius ad S. Gothardi Abbatiam Hungaricam: Hermannus Molitor ad Runam, ubi fructuoſe præfuit 30. annis: Joannes Pluher ad Alderſpachium: Joannes Polejus, S. Theologiæ profeſſor eximius, ad S. Crucis Auſtriacum cœnobium: & Jodocus Roſnerus, Prior ad Pelliſium, Ungariæ monaſterium, ubi non Abbas tantum, ſed totius etiam ordinis reformator deſignatus eſt per totam inferiorem Pannoniam. Sub hoc ipſo Abbate Burcardo funditus deſtructum eſt à Joanne Grumbachio, Epiſcopo Würczburgenſi, anno Domini 1462. Briſenſtadium vel Brichſenſtadium oppidum, infra vel ante Arduam Sylvam ſitum, quod hodie Brandenburgenſibus Marchionibus paret. Quæ fuerit tantæ everſionis ratio, ignoratur. Ego in bellis civilibus factum eſſe arbitror, inter duos Moguntini Archiepiſcopatus acerrimos competitores, Dietherum Eiſenburgium & Adolphum Anaxovianum non vulgari rerum & Archiepiſcopatus & Franconiæ jactura geſtis: de quibus conſule Epiſcopatus noſtros. Obiit Abbas Burcardus decima quinta Kalend. Octobrium anni 1474.

S. Gothardi Abbatia Runa.
Alderſpach.
S. Crucis Abbatia in Auſtria.
Pelliſium.
Briſenſtadt.

21. *Joannes*, cognomento *Mercator*, patria Herbipoloenſis, S. Theoſophiæ eximius ſua ætate Doctor & per octennium in inclita Viennenſi Academia ordinarius ejusdem profeſſor, Impera-

Imperatoris Maximiliani confessor, vir apprime doctus ac prudens, in victu & vestitu humilimus, eligitur in Abbatem Ebracensem anno Domini 1474. Sedit utiliter & laudabiliter ad gubernaculum annis quindecim. Constructit domum vel Curiam *Noribergensem*. Obiit anno Christi 1489. Sepelitur Ebraci.

22. *Nicolaus Angeli*, Regiomontanus, successit Joanni, vir procera corporis statura præditus, artium Philosophiæ doctus Magister & Professor earundem imprimis diligens. Præfuit ser annis. Constructit hibernum refectorium, & majorem domum Abbatiæ, Curiamq; in Elgersheimio, oppidulo ad Mœnum amnem infra Volccachium sito. Resignavit Abbatiam, etsi invitus, anno Domini 1495. reliquum vitæ privatus exigens in superiori parte infirmitorii, exigua pensione contentus. Obiit postea in Decembri anni 1509.

23. *Vitus Fendius*, ex Ippshofen Episcopali oppido natus, præficitur Abbatiæ anno 1495. Præfuit annis octo. Obiit Bambergæ 2. Calendarum Septembrium anni 1503. Habuit Priorem, *Joannem Nublingum*, Theologiæ eximium Professorem, & Eidelbergensis Academiæ alumnum, cujus extant adhuc quædam scripta.

Joh. Nublingus.

24. *Joannes Lauterbachius*, ex Burgwindheim, amplissimo pago ad minorem Ebrachium fluviolum sito, natus, successit Vito, vir procera ac robusta coporis statura præditus, ingenio nemini secundus. Præfuit is laudabiliter annis 26. Sub ejus gubernatione vastatur totum penè cœnobium, excepto templo summo, cujus tamen ne imaginibus quidem ac statuis parsum est in seditiosa plebis rusticæ conjuratione, quod ipse primus instaurare cœpit, usus ad id imprimis consilio & opera Conradi Hartmanni bursarii sui. Exauthoratur anno Domini 1529. propter discordiam, quæ nata erat inter cœnobitas Ebracenses & Episcopum Wirtzburgensem, Conradum à Tungen. Obiit tandem tertia Kal. Augusti, anno Christi 1533.

25. *Joannes Lupi*, ex Zeyl, Franconico oppido ad Mœnum amnem sito, oriundus, vir doctus, religiosus, sed & pius ac vitæ moderatissimæ, eligitur 10. Februarii anno 1529. Præfuit & pro-

profuit cœnobio suo per annos undecim, quibus unà cum majore bursario vel œconomo, Domino Conrado Hartmanno, successore suo, præclare cœpit instaurare & resarcire monasterium à seditiosis agricolarum cohortibus miserrime desolatum. Obiit anno Domini 1540. septima Calendarum Septembrium. Sepelitur cum tali epitaphio, cujus author fuit Magister *Christophorus Pfnorus*, juniorum ejusdem loci monachorum pædagogus.

Virtutum exemplar, pius altor religionis,
Mundanæ spretor glorioiæq; potens.
Qui sancte authorum servavit scita suorum,
Hanc etiam legem fratribus Abba dedit.
Invida non grandi hunc sine luctu fata suorum
Atro clausere hoc, proh dolor, in tumulo.
Spiritus ipsius ut potiatur pace piorum,
Optabis, lector, cœlicolûmq; choro.

26. *Conradus Hartmannus*, ex Schwinfurto, imperiali civitate ad Mœnum sita, natus, vir & morum gravitate singulari & literarum cognitione multifaria conspicuus, eligitur ex œconomo vel majore bursario in Abbatem, 21. Octobrium anni 1540. Vidit non sine summo animi dolore cœnobium in rusticana seditione misere conflagrare & penè universum in cineres collabi, quod ipse postea, etsi non totum, ita tamen fideliter & laudabiliter instauravit, ut qui secundarium eum fundatorem ejus appellarit, non debeat, quasi de dicto mendacio, pudore aut rubore suffundi. Præsidet hoc adhuc currente Jubilæo feliciter, quo ejus tumulum rogatus tali schediasmate heroico, si non ornavi, tamen onerare non dubitavi.

His nos legibus hanc in vitam nascimur omnes,
Ut breve post tempus rursus moriamur & omnes.
At ne nos ævum miseri moriamur in omne,
Mortuus est unus, cujus mortalibus est mors
Omnibus infinita, augusta, æternaq; vita.
Hæc mihi mors etiam prosit tua, Christe Redemtor.
Quod te per teipsum Conradus testor & oro
Perq; tui meriti decus omne, loci istius Abbas.

Est in ejusdem humanissimi Abbatis gratiam de eversione & instauratione hujus elegantissimi monasterii aliud etiam à me lusum heroicum idyllion: id huic ipsi loco inserendum quoq; existimavi.

Annus Virginis à partu millesimus ibat
Quingentesimus & vicesimus ordine quintus,
Seditiosa cohors fureret cum Francica totis
Urbibus atq; agris. Domus est tunc temporis ista
Tota etiam cunctis cum partibus agricolarum
Devastata manu violenta odiisq; malignis:
Sola domus superesset ut illa superstes, habere
Quam solitus fuerat silvarum inspector & hujus
Vicini nemoris custos lectusq; magister.
Præfuit huic Abbas domui tunc ipse Joannes
Lautterbachius, ex Burgwindheim natus, honestus
Imprimis Dominus, qui rursum cœpit eandem
Construere & reparare recens, adjutus ab ipso
Temporis ejusdem œconomo fidoq; bonoq;,
Conrado Hartmanno, genuit Schweinfordica mater
Quem pietate virum & multa virtute coruscum.
Qui quamvis tantum sub & hoc alioq; Joanne
Successore domus sacræ bursarius esset,
Præcipuus tamen idem erat inspectorq; paterq;
Inceptorum operum, donec quadragesimus annus
Abbatem hunc ipsum faceret quoq;, Carolus ipse
Quo venit Cæsar rursum in Germanica regna.
Is Conradus ubiq; locum instauravit & ejus
Omnigenas partes vigili studio atq; labore,
Ut non immerito fundator forte secundus
Ejusdem dici possit. Tu, lector, eundem
Commendato Deo votis precibusq; Parenti,
Ipsius & Gnato, qui una cum Flamine sacro
Cumq; Parente suo immortali trinus & unus
Ardua totius regit omnia climata mundi.

Consequutus est Abbas Conradus privilegium ab Imperatore Divo Carolo V. anno 1544. & aliud iterum sequente anno, ubi scriptis è Wormatia ad Reverendissimum Principem ac D. D. Melchiorem Zobelium, Episcopum Herbipolensem ac Ducem Ostrofrancorum, literis mandat Imperator, ut Episcopus cœnobium Ebracense, in veterum jurium ac privilegiorum possessionibus, immolestatum esse ac quietum manere sinat. Si vero aliquid se Episcopus juris Ebraci habere existimet, ut ordinarie id quærat, locis nimirum ad ejusmodi negotia deputatis. Jus vero tuitionis & advocatiæ in hanc Abbatiam ad alium neminem quàm ad Romanorum Imperatorem vel Regem pertinere, semperq; voluntarium ac liberum fuisse, ita ut Abbas pro cœnobii commoditate petierit à Romano Imperatore, quemcumq; sibi Advocatum idoneum & utilem fore existimavit, & quotiescunq; datus aut assumtus aliquis Advocatus displicere cœpit, Abbas liberam habuerit semper potestatem alium ab Imperatore postulandi. Exempla hic aliqua, ex monasterii annalibus depromta, recitemus, ex quibus id ita ab annis ducentis observatum esse, luculenter patebit.

Anno Domini 1336. dedit Ludovicus Bavarus Ebracensibus tutorem & Advocatum, Othonem Wolffskheelium, Episcopum Herbipolensem: postea anno 1338. recepta Advocatia ab Episcopo, contulit eam Abbati Fuldensi, Henrico Homburgio, Joanni Burggravio Noribergensi, Ludovico Comiti de Alta flamma, & Conrado Comiti à Schlusselberg. Anno sequenti iterum Advocatum fecit (ut supra etiam habitum est) Othonem Wolffskheelium. Anno vero 1362. dedit Carolus IV. Marchionem Fridericum: anno 1397. dedit Venceslaus, Caroli filius, Borsiwoium quendā, præfectum Bavariæ & Alsatiæ: anno autem 1403. dedit Rupertus Imperator Diethonem Fuchsium: anno 1442. dedit Imperator Fridericus Advocatum Gulielmum, Comitem Hennenbergensem, & civitates Imperiales, Norenbergam, Rotenburgum, Schweinfordiam & Winsheimium: anno vero 1448. dedit idem Imperator Ebracensi monasterio Advocatos, Godfridum Herbipolensem & Antonium Bambergensem, Episcopos: duosq; Marchiones Brandenburgenses, Joannem & Alber-

Albertum fratres. In his omnibus colligendis juvit me ejusdem loci œconomus, aut, ut ipsi vocant, subbursarius, venerabilis ac humanissimus vir, Dominus Wolffgangus Hettschuchius, in cujus gratiam (sumta de ejus nomine ac officio occasione) talè lusi schediasma de S. Wolffgangi Episcopi imagine.

S. Wolffgangi Imago, quid significet.

Wolfgangum quoties Divum veneranda vetustas
Pinxit, ita hunc pinxit, gestaret ut ipse securim
Dextra, sed læva templum cum turre decorum.
Hac pictura equidem voluit nihil ipsa vetustas
Significare aliud, quàm quod pastoris honesti

Boni Episcopi officium.

Pontificisq; pii summum est super omnia munus.
Is semper templum debet gestare sibiq;
Commissum populum doctrina pascere sana,
Nec curas alias animo gestare priores.
Deinde securi etiam sordes resecare pudendas,
Quicquid & arboribus teneris plantisq; nocere
In vita posset, studio debebit eodem.
Nomen id ergo tuum merito, Wolffgange, tenebis,
Si (quod te nomen monet) hoc facies quoq; cura
Atq; pari studio, pietate fideq; perenni,
Ut facis, œconomi tibi dum cura incubat ingens,
Noctes atq; dies dum providus omnia recte
Ac summo studio facis, ut divina coruscent
Ipsa ministeria egregia: victusq; supersit
Omnibus ad votum, quos hic habitare Deorum
Rex voluit, quosq; huc contingit sæpe venire.
Faxit Olympiacus pater, ut feliciter isti
Atq; diu præsis domuiq; lariq; perenni.

EDELSTETUM, quasi nobilis locus vel nobilium puellarum locus, aut, ut in quibusdam vetustis chartis legi, Otlinstettum, Canonissarum liberarum & ab omni professione ac regulâ immunium, in Suevia pulcherrimum collegium, Urspergensi cœnobio vicinum, medio ferè itinere inter Augustam & Ulmam, Sueviæ urbes, in quo omnibus virginibus liberum est

egredi

egredi viciſſim ac nubere, ſoli vero Abbatiſſæ propter benedictionem, ut ajunt, integrum non eſt. Fundatum & liberaliſſime dotatum eſt anno Chriſti 1126. à Domina Giſela, Wernheri, Comitis de Schwabegk & Baltzhuſen, fundatoris Urſpergenſis germana ſorore, quæ apud Laugingiacum etiam Xenodochii & domus vectigalis fundatrix ac ædificatrix fuiſſe celebratur. Ejus illuſtriſſimi loci Abbatiſſarum hic reperitur adhuc catalogus.

Abbatiſſarum ſucceſſio.

1. *D. Giſela*, fundatrix & prima ejus loci Abbatiſſa, Comitiſſa de Schwabeck & Baltzhuſen, Edelſtetti honorifice ſepulta.

2. *D. Mechtildis*, Comitiſſa de Andechs, Bavara, ſoror S. Othonis, Epiſcopi Babenbergenſis IIX. Pomeranorum Apoſtoli, in Damaſiano apud Bavaros monaſterio ſepulta, quod olim utriuſq; ſexus cœnobium erat magnificentiſſimum.

3. *D. Agnes.*

4. *D. Ita.*

5. *D. Sophia* Baunwolffina.

6. *D. Agnes* Fuchshartina.

7. *D. Margareta* à Rodt, cognominata Nachreiſin, bis mortua, ſemel involuta & in templum portata, ut ſepeliretur, ibi, cum caneretur pſalterium, revixit, & poſtea Abbatiſſa facta diu præfuit.

Fœmina, bis mortua.

8. *D. Guta* à Gerenberg præfuit annis 63. Obiit año 1320.

9. *D. Anna* à Weyſſingen, patre Hermanno, matre vero Agnete nata, ædificatrix templi, anno Domini 1357. præfuit 43. annis. Obiit anno 1363.

10. *D. Anna*, à Rotenſtein, præfuit 10. annis. Valedixit huic mortali vitæ anno 1372.

11. *D. Agnes* à Schwenningen, patre Joanne, matre Urſula nata, præfuit annis novem & ſeptimanis 18. laudabiliter. Obiit in Auguſto anni 1481.

12. *D. Chriſtina* à Truchtelfingen, antea canoniſſa in Buchow, poſtea Abbatiſſa in Edelſtetten: ſed quandiu ibi præfuerit, non invenio.

13. *D. Margareta* Schwinckreiſtina, patre Conrado, matre vero Catharina de Monte nata, præfuit quidem, ſed non diu.

14. *D. Elisabeta*, ab Heimhofen, patre Joanne nata, præfuit annis 34. Obiit anno Christi 1514. in vigilia inventæ Crucis.

15. *D. Beatrix*, à Waldkirch, Bernhardi à Waldkirch & Ursulæ à Schaumberg filia, præfuit 28. annis. Obiit anno Domini 1542. nona Junii.

16. *D. Regina* à Rorbach, Wolffgangi à Rorbach & Dorotheæ à Wildenwart laudatissima filia, insignis heroina, corporis & ingenii bonis præstantissima, eligitur anno Domini 1542. in vigilia S. Viti. Præest adhuc egregia laude ac virtute, currente hoc Jubilæo. Condidit egregiam domum, quam tali à me tetrasticho ornari voluit:

Has Regina novas à Rorbach condidit ædes,
Anno, quo Paulus tertius occubuit.
Condidit has pro se laudabilis illa virago,
Proq; sequutura posteritate sua.

Habent in hoc ipso cœnobio reconditoria sua Nobiles à Schwenningen in cœmiterio, & Nobiles à Wissembach in templo primario, imprimis vero Hildebrandus à Wissembach, miles & Eques auratus, qui obiit anno Domini 1389. cujus uxor eodem loco sepulta est, Domina Guta de Baisweil.

EICHENBRUNNUM, Eichenbrun/ quasi Fons ad quercus situs, dictum cœnobium Benedictini ordinis magnificum in Suevia, extra muros Gundelfingiacensis oppidi, inter Danubium ac Brentium amnes situm, diœceseos Augustanæ, fundatum & extructum est in honorem S. Dei Apostolorum Petri & Pauli à Gumberto patre & Chunone filio, Dominis de Fachberg, sub Calisto II. Pont. Max. à quo fundatio hæc confirmata est anno Domini 1122. præsidente Godeboldo Abbate. De hac fundatione legitur ibi tale schediasma in templo, à me superioribus annis scriptum in gratiam Abbatis Martini Bucolini.

Gumbertus, miles generosus, frater ejus
Chuno pius, sacram hanc constituere domum.
Cujus Chuno Abbas primus fuit, optimus heros,
Militia & generis nobilitate potens.

Hu

Hoc te Martinus Bucolinus, candidus Abbas,
Scire etiam volui, lector amice, vale.
Vive, Patremq; Deum pro nobis omnibus ora,
Ut donet famulis tempora fausta suis.
Omnibus hoc vobis etiam promittimus ipsi,
Servimus Domino qui sine fine Deo.

Benefecerunt huic cœnobio plurimum & habent in eo sua reconditoria nobiles viri, dicti *Fetzeri* Ockenhusenses, præcipue vero Gulielmus, perpetui inter alia ignis etiam fundator, de quo tale ibi legitur à me olim compositum epigramma: *Ignis perpetuus.*

Perpetuum dedit hunc ignem celeberrimus heros,
Nomine Fetzerus qui Gulielmus erat.
Cujus prima fuit conjunx prænobilis, Anna,
Niferianæ ingens gloria lausq; domus.
Altera Anastasis, Alitheimæ pia gloria gentis,
Quas Deus in placida pace cubare sinat.

Abbates, qui huic cœnobio præfuerunt ad hoc nostrum usque seculum, hi recensentur. *Series Abbatum.*

1. *Chuno* fundator & primus Abbas sui cœnobii, Dominus de Fachberg.

2. *Goteboldus*, accepit privilegium à Calixto II. Papa, anno Domini 1122. quo anno subscripsit etiam fundationi Cæsariensi. Accepit privilegium ab Hermanno, Episcopo Augustano, anno 1125. Legitur adhuc præfuisse anno 1135.

3. *Gebo.*
4. *Idulphus.*
5. *Conradus.*
6. *Geringus.*
7. *Leonhardus.*
8. *Hermannus.*
9. *Udalricus.*
10. *Hartmannus.*
11. *Albertus.*
12. *Henricus.*
13. *Joannes.*
14. *Waltherus.*
15. *Wilhelmus* Rantzius.
16. *Ulricus Lœckberlinus*, qui fieri fecit sedilia templi anno Domini 1468. restaurator collapsi per incendium monasterii de patrimonii sui facultatibus. Is permutationis tandem jure venit ad Anhusensis monasterii, in Brentiana valle siti, gubernationem,

tionem, & in ejus locum ex Anhusio Abbas Martinus, qui sequitur.

17. *Martinus*, qui obiit secunda Junii anno Dominicæ incarnationis 1487.

18. *Joannes Cocus*, ex Blauburensi conventu assumtus, Abbas egregie doctus, resignavit anno 1499. Obiit anno 1517.

19. *Rudolphus Hamaxurgus*, in Würtenbergensi ducatu natus, & ex Anhusio Brentiano assumtus, præfuit administrator 18. annis, & Abbas itidem octodecim: assumtus in administratorem anno 1499. in Abbatem vero anno 1517. Obiit anno Christi 1535. Fuit vir doctus, consilio vero, authoritate & prudentia omnibus circumsitæ provinciæ Principibus quemadmodum utilis, ita etiam charissimus, œconomus optimus.

20. *Guilelmus Fuchsius*, Dillingensis, è S. Crucis Donawerdensi cœnobio accitus, eligitur anno Christi 1536. Præfuit 10. annis laudabiliter & utiliter. Obiit anno 1546. in die Antonii Ratisbonæ, ubi in cœnobio S. Emerani sepultus est. Fuit egregius illustrator & exædificator sui monasterii. Post hujus obitum vacabat sedes per annum integrum, propter Germanici belli tumultus, propter quos secesserant ejus loci incolæ in tutiorem locum.

21. *Martinus Bucolinus*, ex Wertingo Zusemiæ vallis oppidulo natus, eligitur anno Christi 1547. nona Martij, anno ætatis suæ 28. Præest adhuc feliciter currente hoc Jubilæo, homo afflicta quidem valetudine, sed humanitate & probis moribus nemini sui ordinis secundus.

❁ ❁ ❁

ELCHINGUM, olim Aichingum à vicino quercetu, prædonum aliquando castrum, sed nunc magnificum instituti & ordinis Divi Benedicti cœnobium Augustanæ diœceseos, infra Ulmam, Sueviæ metropolim, ad siniſtram descendentis Danubii in sublimi monte (ex quo omnis Ulma & multa circumiacentia oppida, videlicet Gunsburgum, Leipheimium, Weissenhorna, & alia videri possunt) amœnissimo loco situm, fundatum est anno Domini 1128. à Conrado, Duce Saxoniæ, & ejus uxore,

Dom-

Domina Lucia, Sueviæ Ducissa, Imperatoris Conradi III. sorore. Cumque paucis annis post hanc primam fundationem misero incendio vicissim periisset & penitus collapsum esset Aichlingense istud cœnobium, ea vero ipsa ætate Albertus quidam, Sueviæ regulus, Comes de Ravenstein & Irtzenberg (cujus uxor Bertha, Comitissa de Ravenstein, Sancta habetur, eò quôd nivales anseres, ut vocant, ex hac tota provincia Danubiana fugarit) in expeditione, *D. Bernhardi* monitis susceptâ, cum Conrado III. Imperatore & omnibus totius Imperii Principibus, Hierosolymam profectus, vovisset, ædificaturum sese in honorem Dei omnipotentis & Deiparæ Virginis gratitudinis ergò monasterium, si Dei bonitate & misericordia salvus rediret in patriam: factum est, ut, cum incolumis rediret & videret incendio vastatum hoc novum monasterium, cœperit è vestigio maximis sumtibus idipsum restaurare: quod factum legitur anno Domini 1142. Hæc sunt ejus loci primordia, hæc initia. Est medio itinere inter Aichlingense cœnobium & Ulmensem urbem pagus Dalfingen, in quo nobiles sunt Thermæ, in quibus magna hominum è longinquis locis etiam adventantium multitudo singulis annis lavare solet. Per eum pagum defluit in Danubium anonymus quidam rivulus, qui diœcesin Augustanam à Constantiensi dirimit. Abbatum ejus loci talis invenitur, etsi mancus, catalogus, quem tamen omittere nolui.

S. Bertha de Ravenstein cur Sancta vocetur.
Nivales anseres.
Iter Hierosolymitanum.
Dalfingenses Thermæ.
Limes Episcopatuum Augustani & Constantiensis.

1. *Andreas* de Aichaim.
2. *Wilhelmus.* Post quem desunt plurimi Abbates, quorum & res & nomina interciderunt usq; ad Abbatem
3. *Conradum Klotzerum*, qui laudabiliter præfuisse dicitur annis viginti, & emigrasse ex hac vita anno Domini 1386. Post hunc sequuti sunt
4. *Ulricus*, nobilis vir de Lichtenstein, de quo nihil reperitur in fastos relatum.
5. *Jacobus Gosoldus* obiit anno Domini 1431.
6. *Fridericus Zwirnerus*, ex Berenstadio Ulmensis reipub. pago natus, eligitur in Elchingensem Abbatem anno Dñi 1431. Præfuit utilissime 34. annis. Obiit anno salutis 1465. Sub eo ful-

mine exustum & vicissim instauratum est cœnobium, cui ipse prudentissima œconomiæ administratione plurimum profuit.

7. *Paulus Kastius*, patria Ulmensis, eligitur vivente adhuc Friderico Abbate anno Domini 1461. Præfuit tam in spiritualibus quàm temporalibus monasterio suo prudentissime & utilissime annis 37. ac ita ei profuit, ut merito secundus fundator dici & celebrari debeat. Disciplina vero & egregiis ædificiis ita hunc locum illustravit, ut omnibus aliis Sueviæ cœnobiis admirationi & exemplo esset. Sub ejus enim gubernatione reformatum est cœnobium ab Abbate Wiblingensi. Habuit diem conversionis Beati Pauli omnino fatalem, & in summa veneratione. Eo enim natus, eo in sacerdotem ordinatus, eo in Abbatem electus erat: eodem etiam ex hac vita sublatus est anno Domini 1498. Sepelitur in choro templi cum tali epitaphio:

Dies conversionis Pauli fatalis.

Nobis, Paule, jaces divini muneris Abba
Kasti, quo nullus erat castior, utilior.
Te dedit Ulma patrem, te sanctimoniâ vitæ
Insignem celebrant mœnia, rura, pecus.

8. *Joannes Kiechlinus*, è pago quodam Elchingensis monasterii tenuis fortunæ parentibus natus, vir simplex & honestus, eligitur in Abbatem anno Domini 1498. Præfuit utiliter annis uno & viginti. Reformavit cœnobia sui ordinis Ursingense, Uthenburrhanum, Auhusium Brentianum, ac Neresheimium, missis è suo monasterio monachis, ad instaurandam regularis disciplinæ observantiam idoneis. Resignavit anno 1519. Obiit postea anno 1521.

9. *Hieronymus Dux*, ex Elchingensi quodam pago natus, eligitur anno Domini 1519. Præfuit laudabiliter annis viginti duobus, vir devotus & religiosæ vitæ studiosissimus. Valedixit mortalium consuetudini anno Domini 1541. die 23. Martii. Habuit sua ætate in cœnobio perdoctum monachum, *Joannem Phileremum*, patria Faucensem, musicum ac poëtam non contemnendum, aliosq; multos patres & literis & vitæ bonitate insignes.

Belli Germanici initium.

10. *Andreas Thierlinus*, ex Thettingo Brentianæ vallis pago oriundus, vir magni animi, prudens & eruditus, eligitur in Abbatem

hæm anno Christi 1541. Præfuit annis sex. Sub hoc Abbate cœpit bellum Germanicum anno Domini 1546. in quo monasterium ab Hispanis occupatum, & die S. Galli ab Ulmensibus incensum ac universum penè deletum est cum templo ac omnibus ædificiis, in qua calamitate fecit monasterium jacturam ducentorum millium aureorum & insignis Bibliothecæ. Sub eodem Abbate Suevia ab Imp. Carolo V. subjugata est, & monachi cœnobiis suis restituti sunt. Is ipse Abbas Andreas cœpit reædificare conbustum monasterium, quod egregie instauraſſet, nisi morte præventus emigrasset ex hac luce 12. Septembrium anni 1547. Extant hæc & alia ipsius epigrammata, quæ virum doctum fuisse satis ostendunt.

Elchingum incendio deletum.

Suevia subjugata.

De prima fundatione Distichon:

Saxonici generis princeps, clarissima & uxor,
L. superis dicant hæc loca cœnobio.

De Secunda:

Post M. G. post bis duo X. binos simul annos
Virginis à partu tale resurgit opus.

In insignia Ravensteinensium Comitum.

Quisquis ad ista pie dubitans aspexerit arma,
Ravenstein Comitum stemmatis esse sciat.

Omnia templi ornamenta & monumenta periérunt, nihilq; mansit integrum, nisi hoc solum epitaphion, quod in honorem & memoriam clarissimæ familiæ adscribendum putavi. Anno Domini 1531. obiit nobilis ac strenuus vir, Wilhelmus Gisis à Gussemberg ad Glettum, Rom. Cæsareæ Majestatis, Electorum & principum laudatissimæ Ligæ Suevicæ Capitaneus.

11. *Thomas Clausius*, Weissenhornanus, natus annos 28. eligitur in Abbatem Elchingensem Gunspurgi propter pestem & bellicos tumultus, die quinta Octobrium anni 1547. Obiit vicesima secunda ejusdem mensis & anni peste è medio sublatus. Sepelitur honorifice in choro renascentis monasterii.

12. *Silvester Godefridus*, ex Weissenhorna, oppido Suevico (quod Dominis Fuggaris hodie paret) natus, eligitur apud Gunsburgum in die S. Elisabetæ viduæ anno 1547. ætatis suæ vicesimo

mo sexto. Juvenis procerus & doctus, qui monasterium in cineres redactum diligenter instaurare conatus, magnamq; ejus partem feliciter & egregie jam instauravit. Præest is adhuc currente hoc Jubilæo, quo in ejus gratiam tale de hoc ipso Elchingensi cœnobio lusi epigramma:

Saxoniæ princeps, Conradus, nobilis heros,
Extruxit primus magnis hanc sumtibus ædem:
In qua relligio pietasq; vigeret, & ipsa
Florerent sacra Aonidum monumenta sororum.
Addidit ipsa manus extremas Lucia, conjunx
Illustris Ducis & venerabilis & generosa.
Absumtam sed eam Vulcano vindice tandem
Pulchre instauravit Bertha cum conjuge chara
Illustris Comes Albertus, Rausteinius heros.
Ad terram sanctam Christi tumulumq; profectus,
Voverat ipse Diis ubi conductoribus aras
Se positurum altas, in eorum Regis honorem,
Si salvus patrias remearet victor ad oras.
Cæsaris hoc circa Friderici tempora factum est,
Cui sua ruffa dedit cognomen barba decorum.
Hanc ipsam in bello (quod nuper Teutonis ora
Te contra gessit, ter Maxime Carole Quinte)
Injectis misere Ulmensis respublica flammis
Vastarat totam: reparavit at optimus Abbas,
Silvester Godfridus, amans Phœbi atq; sororum,
Quas habitare ferunt circa Parnassia templa
A Ethereo veteres flagrantes igne Poëtæ.
Tu quicunq; vides nostra hec monumenta, Viator,
Fausta precare patri docto Abbatiq; verendo.

Tantum habeo de Aichlingensi hoc cœnobio, cujus magnam partem communicavit mihi ejus loci Prior, vir doctus & humanissimus, *Joannes Detenheimerus*, ex Wisensteigo Comitum de Helffenstein oppido in Sueviæ confinibus sito, natus, qui annis jam quadraginta, totis in regularis disciplinæ observatione laboriose exantlatis, sexagenarius

Æternæ vitæ patriam suspirat amœnam. EGI-

EGIDIANUM apud *Noribergenſes* D. Benedicti magnificum cœnobium, ad S. Egidium vulgo dictum, à Romanorum Imperatore Conrado III. Suevorum Duce, Laureaci in Ducatus Würtenbergenſis cœnobio, prope Suevorum Gamundiam ſito, apud progenitores ſuos ſepulto, poſt collapſæ urbis reſtitutionem erectum & fundatum eſſe legitur anno Chriſti 1140. De qua fundatione leguntur hi verſiculi *Benedicti Chelidonii*, monachi cujusdam Egidiani. *Ben. Chelidonius.*

Tertius imperii moderans Conradus habenas
Erexit vigili Norica damna manu.
Damna, feri quibus hanc Vulcani affecerat urbem
Impetus, ingenti non ſine clade furens,
Undecies centum poſt annos Virgine nati
Luſtraq; poſt octo condidit hunc; locum.
*Tradidit * Hibernis patribus, qui ſorte beata* ** Ideſt, Scotis.*
Cœperunt ſanctum relligionis opus.
Ducentis, decies ſeptem, bis quatuor annis
Hoc tenuere ſuo jure monaſterium.
Frigus at hibernum præcordia frigida tandem
Arguit, ing; dies crevit in hiſce tepor.

Abbatum & gubernatorum hujus cœnobii catalogus interciditſed hi, qui poſt reformationem præfuerunt, ab anno videlicet 1418. ad hæc noſtra usque tempora, his hexametris epigrammatibus ab eodem *Benedicto Chelidonio* monacho ſic ſunt celebrati. *Abbatum catalogus.*

1. *Mille, quatercentum, ter ſex labentibus annis*
Chriſtum poſt natum, ſurgit Georgius *Abbas*
Mæriger, *& reſidens anno luſtriſq; duobus*
Sponte ſua ceſſit juris morumq; magiſtro.
2. *Mille, quatercentum nati poſt numinis annos*
Vigntiq; novem ſub curſu, eſt factus in iſto
Henricus Gulpen, *Decreti Doctor, ovili*
Paſtor amans ovium, ſexto moriturus in anno.

Henricus Gulpen. Extant hujus plurima scripta, videlicet Liber super septem Distinctionibus. Liber de Pœnitentia. Liber de passione Domini. Liber de Consecratione.

3. *Bis septem natus dum complet secula Christus*
Lustrorumq; rota septem currente, colendus
Fratribus orbatis iterum fit Mæriger *Abbas:*
Hic triginta pater curam tulit impiger annos.

4. *Mille, quater centum post Divi germinis annos*
Lustrorum tredecim sub finem, jure Sebaldus
Helmansperger *onus, morum sophiæq; magister,*
Pastoris subiens, octavo desiit anno.

5. *Mille, quatercentum, decies septemq;, tribusq;*
Virginis à partu Divæ currentibus annis,
Factus Joannes Seßler *Domini gregis Abbas,*
Deposuit quarto regimen vitamq; sub anno.

6. *Quattuor atq; decem geniti post secula Christi*
Lustraq; post terquinq;, anno subeunte secundo,
Lectus Joannes *nobis* Radeneckher *in Abbam*
Viginti septem rexit feliciter annis.

7. *Christipare ter quinq; rotat dum sæcula Phœbus,*
Anno sub quarto, sancti post orgia Galli,
Wolffgango Summer *duplicis datur insula legis,*
Civibus in nonum quam declamaverat annum.
Is quoq; claudentes expectat lumina Parcas.

Hactenus Chelidonius: Ego addidi.

Tandem exul factus, Neunkirchi mortuus atq;
Redditus est terræ mortali corpore, sed mens
Aceessit loca, quæ morituræ nescia vitæ
Sunt tranquilla Dei bonitate & lumine plena.

8. Reverendus Pater ac Dominus, Dominus *Fridericus Pistorius*, ex Prettfeldo pago prope Forchenheimium sito natus, Abbas S. Egidii Noribergæ post reformationem septimus, eligitur anno Domini 1520. quinta Julii. Præest adhuc currente hoc Jubilæo, quo anno jam quinquaginta duobus annis in hoc cœnobio vixit, vir ut in Sacris pie, sic in humanioribus literis erudite

doctus,

doctus, vitæ honestate omnibus honestis ac bonis viris ex animo charus, Helii Eobani Hessi, Joachimi Camerarii ac aliorum nostri sæculi doctorum hominum monumentis celebris. Præfuit hactenus censuræ typographicæ, unà cum Domino *Hieronymo Baumgartnero*, Senatore clarissimo doctissimoq;. De ejus electione scripsit olim tale schediasma *Vincentius Obsopæus*. *Typographica censura Norimbergæ.*

Fausto bis denis (numerum censeto minorem)
Omine dilapsis annis, de Virgine Christo
Enato casta, citimo dum Luna sub axe
Discursat, quintam lucis ubi Julius umbram
Extulit effusæ, fatis volventibus urnam
Rite Deum sortis, voto Fœdricus amœno
Inauguratus pastorq; paterq; creatus
Cœnobii, commissa suæ regimina dextræ
Usq; reteturus: donec fatalia vitæ
Stamina dissectis rumpat mors horrida fusis.

❁ ❁ ❁

ELEPHANCIACUM, Elwangen/ aliàs Elefancense, vel, ut hodie vocant, Elwangense magnificum ordinis Divi Benedicti ad Jagistam vel Jaxtum, Franconiæ amnem in Virguna (hodie *Vingrundt*) situm, & à capto ibi tragelapho dictum monasterium, fundatum est anno Domini 764. ab Episcopo quodam Lingonensi, Hariolpho, quem Pipinus & Carolus Magnus, Galliarum Reges, charissimum habuere & Patrem salutare soliti sunt. Consequutus est Hariolphus fundator privilegia & corpora Sanctorum Sulpitii & Serviliani martyrum à Papa Adriano. Invenitur hujus Hariolphi fundatoris in Elenfancensi templo tale epitaphion: *Hariolphus.* *Corpora Sulpitii & Serviliani martyrum.*

Clauduntur tumulo hoc Hariolphi Antistitis ossa,
Hunc qui fundavit jure locum proprio.
Pluribus erexit felix feliciter annis,
Victerboq; pius liquit honoris onus.
Sic postquam templi structuras istius almi
Atq; ut cernendum struxerat ad placitum,

Idibus Augusti resolutus, somata plasti
Commendans Urano sarcea sicq; sablo.

Harriedense cœnobium. Eodem ferè tempore Harriedense cœnobium, in ejusdem nominis olim Imperiali, hodie Eistetensis Episcopi oppido, ad Almonum amnem sito, à Carolo Magno fundatum legitur, cujus primus Abbas *S. Deocarus* ibidem in medio templo humatus dicitur. De hoc cœnobio infra plura. Abbatum vero, qui Elephancensi huic cœnobio à prima fundatione præfuerunt, talis adhuc reperitur catalogus.

Series Abbatum.

1. *Hariolphus* fundator & primus Abbas sui cœnobii, Episcopus Lingonensis in Galliis.
2. *Victerbus*, secundus Abbas, factus est Episcopus etiam Augustanus. Obiit anno Domini 752.
3. *Grimoldus* legitur præfuisse annis octo.
4. *Othaldus.*
5. *Adelgerus.*
6. *Sonderadus.*
7. *Ermenricus*, composuit dialogum de vita & miraculis Hariolphi Episcopi & Abbatis.
8. *Berno.*
9. *Astericus.*
10. *Lindebertus* præfuit annis 15. & factus est Archiepiscopus Moguntinus.
11. *Hatto* præfuit 17. annis & eligitur in Archiepiscopum Moguntinum. Genere Rex Francorum.
12. *Adalbero*, Comes à Dillingen, præfuit annis 17. Fuit Imperatoris Ludovici III. pædagogus & Augustanæ Ecclesiæ Episcopus, vir eximie doctus. Obiit anno Domini 922.
13. *Girbertus* præfuit annis 22. Obiit anno salutis 944.
14. *Hermannus* eligitur anno 944. Præfuit annis 12. Obiit anno Christi 956.
15. *Hardobertus* præfuit annis 18. Migravit ex hoc sæculo anno Domini 974.
16. *Winitarius* eligitur anno 974. Præfuit annis 16. Obiit anno 990.

17. Geb-

17. *Gebhardus* eligitur anno 990. Præfuit annis octo & factus Episcopus Augustanus anno Domini 998. Abbatiæ gubernationem resignavit. Episcopatui ab anno 996. usque ad annum 1002. præfuit, quo ex hac mortali vita emigravit. Fuit S. Ulrici Episcopi Augustani sacellanus.

18. *Harmannus* eligitur anno Domini 998. Præfuit annis 13. Obiit anno 1011.

19. *Berengarius* eligitur anno 1011. Præfuit annis 15. Obiit anno Christi 1026.

20. *Odenbertus* constituitur in Abbatem anno 1026 Præfuit annis 9. Obiit anno 1035.

21. *Richardus* fit Abbas anno 1035. Præfuit annis 5. Obiit anno Salutis 1040.

22. *Aaron* eligitur anno 1040. Præfuit annis 20. Obiit anno 1060.

23. *Regnigerus* constituitur anno 1060. Præfuit annis 16. Obiit anno Domini 1076.

24. *Udo* eligitur anno 1076. Præfuit annis 14. Decessit anno 1090.

25. *Isembertus* designatur anno 1090. Præfuit annis 4. Obiit anno 1094.

26. *Adelgerus* eligitur anno 104. Præfuit annis 8. Obiit anno Salutis 1102.

27. *Ebo* eligitur anno 1102. Præfuit annis undecim. Obiit anno 1113.

28. *Richardus* ab anno Domini 1113. præfuit ad annum usq; 1118.

29. *Helmericus*, Comes de Oetingen, eligitur anno 1118. Præfuit annis 18. Obiit anno 1136.

30. *Albertus* de Ramsperg eligitur anno 1136. Præfuit annis 37. Obiit anno 1173.

31. *Albertus* de Khunigsberg constituitur in Abbatem anno Salutis 1173. Præfuit annis 15. Emigravit ex hac lachrymarum valle anno gratiæ 1188.

32. *Chuno* eligitur anno 1188. Præfuit annis triginta, quo-

rum aliquibus etiam Fuldensis cœnobii gubernator & Abbas fuit. Obiit anno Domini 1218.

33. *Godebaldus* eligitur anno 1219. Præfuit annis 9. Obiit anno 1228.

34. *Albertus* designatur Abbas anno 1228. Præfuit annis 12. Resignavit anno 1240.

35. *Sigefridus* Abbas eligitur anno 1240. Præfuit duobus annis & resignavit.

36. *Ruggerus* assumitur anno 1242. Præfuit annis 4. Obiit anno 1246.

37. *Godeboldus* sive Gothaldus fit Abbas anno 1246. Præfuit tribus annis.

38. *Rudolphus* eligitur anno 1250. Præfuit sex annis.

39. *Otho* eligitur anno 1256. Erat nobilis de Schwabsperg. Præfuit annis quatuordecim.

40. *Conradus* eligitur anno 1269. Præfuit annis 9. & resignat.

41. *Richardus*, aliis *Eccardus* de Schwabsperg, eligitur in Abbatem Elefancensem anno Salutis 1278. Præfuit annis uno & triginta. Obiit anno 1309.

42. *Ernfridus* de Felberg eligitur anno Domini 1309. Præfuit duobus ferè annis.

43. *Rudolphus* de Pfalheim eligitur anno 1311. Præfuit annis viginti duobus.

44. *Chuno*, Baro de Gundelfingen, eligitur anno 1333. Præfuit 34. annis.

45. *Albertus Haack*, *Ingenuus* dictus, eligitur anno 1367. Præfuit 33. annis & resignat.

46. *Sigefridus* assumitur anno 1401. Præfuit 26. annis. Interfuit concilio Constantiensi.

47. *Johannes de Holtzingen* eligitur anno 1427. Præfuit 25. annis.

48. *Joannes de Hirnheim* eligitur Abbas anno Domini 1452. Præfuit annis novem & resignavit. Sub hoc Abbate anno Domini 1460. mutatum est monasterium Elefancense ex Abbatia in præposituram & monachi versi in Canonicos seculares. Ita Hirn-

Hirnheimius primus hujus loci præpositus, Abbas verò ultimus fuisse legitur. *Præpositorum series.*

49. *Albertus de Rechberg*, secundus Elwangensis præpositus eligitur anno Domini 1461. Præfuit annis uno & quadraginta. Obiit anno Domini 1502.

50. *Bernhardus de Westerstetten*, tertius præpositus eligitur anno 1502. Præfuit decem saltem mensibus, & magistratu ac dignitate ea sese abdicat eodem anno, quo assumtus est.

51. *Albertus Thumb* de Newenburg eligitur quartus præpositus anno salutis 1503. Præfuit annis 18. & resignavit (etsi sine consensu eorum, quorum intererat) Henrico Palatino Rheni. Ex ea resignatione orta est inter prædictum D. Henricum Palatinum ex una, & Decanum capitulumque Ecclesiæ Elephantensis exaltera parte, controversia insignis apud sedem Apostolicam, sed quæ tandem industria Gulielmi, Episcopi Argentinensis, ac Philippi à Rechberg de Hohen Rechberg, Wormatiensis Præpositi & Augustani Decani, transacta & ad bonam concordiam perducta est.

52. *Henricus*, Palatinus Rheni & Bavariæ Dux, (de quo plura lege in Episcopis nostris Wormacienſibus) assumitur in quintum hujus loci præpositum anno Domini 1521. Præest adhuc currente hoc Jubilæo. Voluit anno 1545. constituere sibi successorem, ad Cæsareæ & Regiæ Majestatis intercedentes preces, Wolfgangum, Administratorem Borussiæ & ordinis Teutonicorum in Germania & Italia magnum magistrum: sed quia Christophorus à Westerstetten, Augustanæ & Aichstetensis Ecclesiarum Canonicus, tunc temporis Elephantensis Decanus, una cum reliquo capitularium suorum senatu nollet consentire, sed Ecclesiæ suæ vetera privilegia constanter & mordicus defenderet, orta est inde in Romana curia nova controversia & contentio inter Henricum Palatinum & Wolffgangum, quæ hodie adhuc durat. Tantum habeo de Elephantensi Abbatia & Præpositura.

De Herriedensi vero Abbatia æque veteri, sed nunc in Canonicorum collegium mutata, nihil ferè aliud extat, quàm quod supra *Herriedense cœnobium.*

ſupra etiam annotavi, inchoatam eſſe in honorem B. Virginis à Carolo Magno tum, cum Altmonum & Pegneſum, factis foſſis prope Weiſſenburgenſe Norici oppidum, in unum amnem & alveum ducere conaretur. Audierat enim, pium quendam Eremitam, S. *Deocarum* in denſiſſimis ibi nemoribus divinis cultibus ſtudioſè operam dare, quem cum aliquoties concionantem audiviſſet, & diſcipulos collegiſſe ſciret, erexit ipſi Imperator non habitationem tantum, ſed datis amplis facultatibus præclaram etiam ac amplam fecit Abbatiam. Hanc poſtea Arnulphus Imp. in Canonicorum ſecularium collegium commutavit, qui condidit templum majus in honorem S. Viti, in quo primus ejus loci Eremita & Abbas ſupra nominatus miraculis clarus cubare dicitur. De oppido vero Herriedenſi pauca etiam adjicere hic libet, quòd videlicet anno Domini 1316. per quatuor menſes obſidione cinctum & tandem vi expugnatum, captum ac vaſtatum ſit miſerrime ab Imperatore Ludovico Bavaro, ſexta feria ante Dominicam Palmarum, eo quòd oppidani Friderico Auſtriaco contra Ludovicum verum Imperatorem à Romano Pontifice electo, conſtantius adhæſiſſent. Oppidum ipſum tandem reædificatum, paulo poſt incendio iterum periit anno 1450. ac rurſum poſtea anno 1490. unà cum templo, quod inſtauratum eſt iterum anno 1493. Celebravit hoc oppidum *D. Sebaſtianus Strobelius*, doctus ejus loci Canonicus, ſchediaſmate elegiaco ſatis feliciter, quod in ejus gratiam & oppidi alioqui obſcuri honorem huc apponere volui.

S. Deocarus.

Herriedenſe Oppidum.

Altmulii juxta piſcoſi tarda fluenta
Urbs poſita eſt, quondam Cæſaris illa fuit,
Herriden à priſcis vulgato nomine dicta:
Nunc Aiſtetenſi à Præſule tecta, patet.
Non dicam hîc, muro quam ſit circundata pulchro:
Et celſas turres undiq; fortis habet.
Arx ſed & ipſa meis non hic dicenda Camænis,
Dædaleas credas quam fabricaſſe manus.
Sit ſatis hoc, quòd devitanda ob fulmina Papæ
Expectare olim eſt Cæſaris auſa manus.

Paſto-

Pastoris tam magna fuit reverentia summi:
Quæ virtus aliquo digna favore fuit.
Canonicas miro concentu personat horas
Turba sacerdotum hîc nocte dieq; suas.
Terra ferax, campus lætus, quem ditat ubiq;
Uberibus verè frugibus alma Ceres.

Medio itinere inter hoc oppidum & Wassertruhendingam civitatulam est Regiæ aulæ Canonicorum secularium collegium, hodièq; tantum parochiale templum, sed magnificum, vulgò Khungshoffen / in quo plurimi sunt insignes tumuli nobilium regulorum à Seckhendorff. Id fundatum & constructum est à Domina Anna Marsallina de Bappenheim, ex Preisingensi familia nata fœmina, quæ illic honorifice sepulta. Obiit anno 1417. *Khunigshofen.*

❁ ❁ ❁

EVERHARDICA CLUSA, vulgò Eberharts-Klausen / pulcherrimum cœnobium regularium Canonicorum S. Augustini, tribus lapidibus à Treveri versus Hunnorum terga vel præsidia situm, ex eleemosynis utriusq; sexus hominum, certatim undiquaq; ad D. Virginem ex omnibus provinciis concursantium, hoc modo emersisse ibidem legitur.

Erat anno Domini 1440. laboriosus quidam, rusticæq; & vitæ & artis homo omnino simplex, Eberhardus nomine, ex pago Esch oriundus, agricola, vinitor & sector straminum in usum & pastum jumentorum, virginitatis ac pudicitiæ summus amator, qui ob devotionem, quam à pueris conceperat, maximam erga Matrem Domini, beatissimam Virginem Mariam, stipitem quendam in loco isto tunc temporis deserto terræ infixit, & in eo superius excavato imaginem tristissimæ ac dolorosissimæ Matris, in gremio extinctum habentis filium, collocavit. Is postea à gloriosa Virgine admonitus & coactus domunculam parvam eidem ædificavit, &, sublato stipite, illam ipsam imaginem, adhuc eo loci præsentem suoq; precio Treveri prius emtam, in priori muro domunculæ reposuit. Ubi cum miracula plurima fierent, & oblationes innumeræ quotidie accederent hominum, religionis ergò eo catervatim venientium, mox his oblationibus *Eberhardus rusticus.* *Exstructio monasterii.*

adjutus Eberhardus, ſacellum circiter quinq; paſſuum (prima domuncula dejecta & deſtructa) fabricavit, & poſtea circa idem ſacellum Baſilicam, in longitudine 26. in latitudine vero duodecim paſſus habentem, fundavit & ædificavit in anno Jubilæo, quo factus eſt maximus omnis generis hominum ad novum idolion concurſus.

Inauguratio. Hanc Baſilicam Reverendiſſimus Dominus, Dominus Jacobus de Sirgk, Archiepiſcopus Treverenſis centeſimus, præſentibus prælatis ſuis, in pontificalibus propriis manibus in die annunciationis B. Virginis Mariæ, anno Dñi 1449. ſolenniter dedicavit. Eberhardo autem anno Dñi 1451. in pace quieſcente, conſentientibus & id deſiderantibus dominis fundi, imprimis vero Dño Godefrido de Eſch, ordo Canonicorum regularium S. Auguſtini introductus eſt anno Chriſti 1456. Hi novum chorum ædificarunt & anno Dñi 1474. dedicari fecerunt. Structuras etiam utriusq; ambitus & multorum ædificiorum erexerunt, & Eccleſiam hanc majoren, antiqua dejecta ac deſtructa, ad ſummum compleverunt, cujus dedicatio facta eſt anno Dñi 1502. Patres, qui ei cœnobiolo hucusq; præfuerunt, hi recenſentur ſubſcripti.

Catalogus Priorum. 1. *Hermannus de Ruden*, ex Inſula (quæ eſt infra Confluentiam in Rheno ejusdem ordinis cœnobium) miſſus, anno Domini 1456. in die S. Catharinæ Virginis confirmatus & ordinatus eſt ab Archiepiſcopo Joanne, Marchione Badenſi, ſub quo cœnobium hoc Windesheimenſi incorporatum eſt. Præfuit annis 18. Obiit anno Domini 1474. Sepelitur Treveri apud S. Agnetem in monialium cœnobio, cujus erat commiſſarius.

S. Agnetis cœnobium Treverenſe. 2. *Adamus de Petra*, antea procurator in Inſula, eligitur in Priorem Cluſenſem anno Chriſti 1474. Præfuit per unius tantum anni breve ſpacium.

3. *Bertholdus*, ſanctus vir, de monte Martis, procurator antea in Inſula Confluentina, præfuit annis quinq;. Erexit muros novi chori ad ſummum & monaſterium totum muro communivit.

4. *Joannes Endovianus*, Brabantinus, quartus hujus loci prior, tandem Epiſcopus Aſotenſis & ſuffraganeus Treverenſis Archie-

Archiepiscopi. Is chorum absolvit & tabula pulcherrima ex Brabantia allata decoravit, fonte monasterium illustravit, pistrinum & Laicorum dormitorium construxit. Præfuit annis quinque laudabiliter ac utiliter.

5. *Gerhardus de Lippia*, monasterii hujus sui variis ædificiis illustrator maximus, eligitur in Priorem anno Domini 1485. cùm venisset in monasterium anno 1474. ætatis suæ vicesimo secundo anno. Præfuit annis 43. Obiit 14. Calendarum Aprilis anni Dominici 1528. Sepelitur primus in Ecclesia, reliquis antecessoribus suis sub dio positis. Vocatus multoties ab Archiepiscopo Trevirensi ad suffraganeatus officium semper oblatum honorem recusavit.

6. *Matthias Keimptensis*, in pago quodam ad Mosellam è regione Cellensis oppidi sito natus, magnæ probitatis ac religionis, omnibusq; amabilis, eligitur anno Domini 1528. Præfuit utiliter & laudabiliter ad annum Christi usq; 1542. quod abdicavit sese magistratu ob afflictam corporis valetudinem. Obiit tandem anno Domini 1544.

7. *Nicolaus Kaldenfeelsius*, ex Cella Trevirensi oppido ad Mosellam sito natus, vir latinè doctus & humanissimus, eligitur ex procuratore in Priorem cœnobii sui anno Christi 1542. circa festum D. Michaelis. Præest adhuc utiliter hoc anno Jubilæo 1550. Studuit olim Lovanii. Ab eo exoratus de cœnobii hujus origine tale feci superiore anno Idyllion:

Si quæris, quis cœnobium construxerit istud,
Accipe quæ paucis referam tibi, candide lector.
Vir simplex Eberardus erat, bonus insuper, & cui
Rusticitas & agri studium cultura erat acre.
Is Treveri sibi emens perparvam Virginis almæ,
Quæ Christum genuit nobis hominemq; Deumq;,
Effigiem, banc ipsam secum hunc adduxit in agrum.
Sed quoniam effigies hæc Divæ Virginis ipso
Edidit hoc miracla loco quam plurima, factum est,
Undiq; turba locum certatim ut quæreret istum,

Quæ Christum & Christi matrem ferventer amabat.
Hæc secum sua dona ferens, placare studebat
Muneribus promtis cœli super astra sedentem,
Intemeratam illam & cœlesti ab origine natam
Cœlorum Dominam, matrem salvantis Jesu.
Ex his muneribus domus hæc est condita tota,
In qua Augustini superis nunc militat ordo
Canonicus, nivea gaudens candenteq; veste,
Quæ cùm munditiem intemeratæ Virginis atq;
Christi cœlorum regis, tùm denotat illam,
Qua debent omnes ornati hi scilicet esse,
Qui servire volunt Christo ipsiusq; Parenti.

PABARIUM vel Favarium, aut, ut in Carolinis diplomatibus legitur, monasterium D. Virginis, Dei genitricis, apud Favarias situm, in Rhetiæ Churiensis pago Churwahala, Germanicè Pfeffers/ordinis D. Benedicti, in Churiensi diœcesi & Rhetiæ Alpibus supra Raguſium, ad Camingum vel Dramingum fluviolum, qui non procul indè à Rheno excipitur, situm. Id, inquam, monachorum cœnobium inchoatum & fundatum esse legitur suasu S. Pirminii, Episcopi Meldensis & Abbatis primi in Augia divite, sumtibus Caroli Martelli, sub Theoderico II. Rege Galliarum, Domino Alemanniæ, Rhetiæ, & Helvetiorum terræ, anno Christi 734. tenente Pontificatum & consentiente Gregorio III. Is enim certus est ejus fundationis numerus. Locupletatum est postea & amplissimis privilegiis ac immunitatibus donatum ab Imperatoribus Ludovico, Lothario, Carolo Crasso & aliis. Habuit semper à prima origine ad hæc usque tempora gubernatores Abbates, quorum catalogus, etsi varius ac mire confusus extet in ejus loci chartis, tamen adhibito variorum diplomatum consilio, in hunc ordinē non omnino inconvenientem à me redactus ac digestus est.

1. *Pirminius*, primus Abbas, Episcopus est Meldensis & multorum cœnobiorum pater ac renovator.

2. *Adal-*

2. *Adalbertus.*
3. *Cribba.*
4. *Anastasius.*
5. *Adelbertus*, qui & Episcopus, sed cujus loci, nondum invenio.
6. *Luxinius.*
7. *Vincentius.*
8. *Martianus.*
9. *Bertrancius.*
10. *Crispio.*
11. *Asymbertus.*
12. *Cymbertus.*
13. *Sylvanus*, qui anno 840. confirmatus est Argentinæ & accepit privilegia ab Imp. Lothario.
14. *Victor.*
15. *Lupicinus.*
16. *Vitalis* vixit anno 877. temporibus Carolorum Calvi & Crassi.
17. *Gebenus*, cujus mater Imma, mortuo marito, monialis facta est in Katzes.
18. *Hugo.*
19. *Salomon* à Ramschwag, de quo vide Episcopos nostros Constantienses & Abbates Divitis Augiæ.
20. *Bruningus.*
21. *Joannes* accepit privilegium à Ludovico III. Rom. Imperatore.
22. *Hatto.*
23. *Guerdo.*
24. *Erembrechtus* eligitur ab Othone Imperatore anno 949. testantibus id publicis diplomatibus.
25. *Entzelinus*, monachus Sangallensis, Abbas Fabarianus designatur anno Domini 958. ab Imperatore Othone I. Saxone.
26. *Majorinus* vixit ante & post annum Domini 972.
27. *Alevicus*, divitis Augiæ monachus, eligitur ab Othone Imperatore anno Salutis 974.

28. *Lupoldus.*

29. *Hartemannus*, Baro de Plana terra, primum ex monacho Einsidlensi Abbas Fabarianus, postea ex Abbate circa annum Christi 1026. Episcopus Churiensis designatus est, ubi multis annis præfuit, ut in Episcoporum ejus loci catalogo videre est.

30. *Salomon* II. accepit privilegia Argentinæ anno 1032. ab Imperatore Conrado, & iterum Argentinæ ab Henrico III. anno 1040. quo valedixit mortali vitæ idem iste Abbas Salomon.

31. *Pirthylo* successit Salomoni. Præfuit adhuc anno 1050.

32. *Immo* consequutus est privilegia Brussellæ, in Brurenio Sueviæ tractu, ab Imperatore Henrico IV. anno 1060. Uni horum sigillorum ab una superficie inscriptus est hic Versiculus:

Sigillum Henrici IV.

Roma caput mundi regit orbis frena rotundi.

Alteri superficiei inest hæc inscriptio:

CHRISTE PROTEGE HENRICUM REGEM.

33. *Udalricus.*

34. *Hesso.*

35. *Joannes.*

36. *Geroldus*, Widoni Churiensi Episcopo imprimis charus, bonus œconomus & reformator hujus cœnobii, præfuit anno 1110. & anno Domini 1115. quo de Advocatiæ jure & totius monasterii libertatum retentione contendit contra Rudolphum, Episcopum Basilienſem, Comitem Homburgensem, qui, dato castro suo Rapoltstein Regi Henrico IV. Advocatiam & totum monasterium Fabariense consensu Regis in suam potestatem redigere conabatur. Vicit autem Geroldus, qui causam bis per Legatum Wicramum monachum, semel vero per seipsum in propria persona egit Romæ, apud Paschalem II. Pont. Max. quibus Brevibus, ad Rudolphum Episcopum scriptis, Fabariensis cœnobii libertatem strenue ac fideliter defendit.

Contentio inter Abbatem Fabariensem & Episcopum Basiliensem.

Primum Breve hoc erat: Paschalis Episcopus, servus servorum Dei. Tibi, frater Rodolphe Episcope, præcipimus, ut locum Fabariensem cum rebus suis omnino dimittas ab occupatione tua liberum & quietum: alioqui nos te, ut ab Ecclesia alienum habebimus, donec Ecclesiæ præceptis obedias, & ab illa invasione

sione & occupatione penitus secedas. Datum Romæ &c. Et missum per Wicramum, cui referenti negotium hoc respondebat Paschalis Papa hoc vulgari versu:

Flebile Principium, melior fortuna sequetur.

Secundum Breve tale erat, missum per Abbatem Geroldum: Paschalis Episcopus, servus servorum Dei. Quia pro querela fratrum Fabariensium nuper literas tibi misimus, ut ab eorum infestatione desisteres, quas te nullatenus accepisse, mirati sumus. Nos igitur pro sedis Apostolicæ mansuetudine, contemtus nostri patientiam agentes, secundas ad te literas mittimus, rogantes ac præcipientes, ut ab illorum fratrum oppressione omnino desistas, & Fabariense cœnobium cum locis ac possessionibus suis quietum dimittas; si vero aliquam confidis te habere justitiam, ante medium proximæ Quadragesimæ, videlicet 12. Calend. Aprilis, anno ab incarnatione Domini 1115. nostræ te audientiæ præsentato: interim monasterii bona, quæ abstulisti, restitues.

Tertium Breve, eidem Episcopo Rudolpho scriptum, tale est. Paschalis Episcopus, servus servorum Dei. Quoniam Regum & Imperatorum præceptis statutum est, ut Abbatia monasterii Fabariensis libera sit, nec alicui Regum vel Imperatorum liceat eam vel res ejus alienare, quamobrem nostro & fratrum nostrorum Cardinalium judicio definitum est, ut Abbatia in sua permaneat libertate. Quare, quæ per te illi ablata sunt, restituenda præcipimus. Datum Romæ.

37. *Werichinus*, aliis Wernherus, præfuit anno 1125. ante & post, usq; ad annum Christi 1127.

38. *Vicrammus*, alibi Wichramus, antea Geroldi Abbatis ad Henricum V. Imperatorem & Paschalem II. Pont. legatus & orator, eligitur in Abbatem anno 1127. Confirmatur ab Honorio II. Præfuit adhuc anno 1139.

39. *Wernherus*, aliis Henricus, invenit magnum thesaurum in clinodiis, vestibus & libris anno 1155. Accepit privilegia à Friderico Barbarossa anno Domini 1158.

40. *Rudolphus* præfuit ante & post annum Domini 1161. sub Friderico Barbarossa.

41. *Swig-*

11. *Swiggerus* præfuit anno 1180. quo insignis donatio facta legitur monasterio Fabariensi ab Alberto & Ludovico Sorandis, imperante Friderico I.

12. *Richardus.*

13. *Ulricus.*

14. *Sigefridus.* De his nihil invenitur in fastos relatum.

15. *Cunradus* de Zuifelthun præfuit anno Domini 1206. temporibus Philippi, Othonis IV. & Friderici II. Imperatorum. Obiit anno 1221. Ad hunc Abbatem venit nobilis quidam cœnobii ministerialis, suadens, ut Abbas, undiq; tum bellicis rumoribus ac tumultibus ingruentibus, in saxo vicino robustam aliquam arcem sibi ac suis ædificaret, in qua periculosis temporibus tutus esse posset. Abbas, tali consilio obtemperans nihilq; mali metuens, construxit maximis laboribus ac sumtibus prope monasterium castrum Wartenstein, & huic operi architectum quasi præficit nobilem virum hujus consilii authorem. Is videns magnificum & robustum castrum esse ædificatum, mox contra Abbatem, sublevato calcaneo, arcem illam occupat, & cœnobio se se opponens omnibus injuriarum & molestiarum generibus & Abbatem & ejus monachos afficit. Habebat tum Fabariense monasterium Advocatum, Albertum, Baronem de Saxen. Is Abbatis precibus excitatus insidiatur tamdiu Wartensteinensis arcis violento occupatori, donec aliquando apud Ragusium eum deprehensum in castrum Saxense abduceret, quem ibi incarceratum per biennium & sex menses detinuit. Ipse vero mox eadem violentia Wartensteinensem arcem occupans non Advocati, sed hostis Fabariensium omnium personam & animum induit. Moritur interim Abbas Cunradus, in cujus locum eligitur alius Abbas.

Wartenstein castrum, multarum contentionum fomes.

16. *Dominus Ludovicus Wipertus* de Sangallo. In hunc jam manus etiam Albertus, Saxensis Comes, injicit, capit eum, & per septem hebdomadas in carcere castri sui Saxensis detinet, tamdiu videlicet, donec ille sese nihil amplius postulaturum pollicetur. Talibus conditionibus dimittitur è custodia Abbas. Pergit Albertus, & injuriam injuria cumulans Advocatiam cuidam

Albertus à Saxen, Fabariensibus injurius.

dam de Falckenstein impignorat pro 70. marcis argenti puri. Paulo post moritur relinquens filios tres, Henricum, Albertum, & Ulricum Dominos de Saxen, qui ita paternam hereditatem inter se partiti sunt, ut Ulricus haberet castrum Saxense, Henricus arcem Clanzensem, Albertus verò castrum Wartenstein, in quo diu sedit & ejus possessione quietè potitus est. Interim obiit etiam Abbas Ludowicus. Eligitur in ejus locum

47. *Hugo* de Villingen annum Christi circiter 1240. de quo nihil aliud in fastos relatum est, quàm quod sub ejus gubernatione inventæ sint thermæ, de quibus postea dicam, absolutis ordine Abbatibus. Successit huic Hugoni Abbati

Thermæ Fabarianæ quando inventæ.

48. *Rudolphus* à Bernang. Hujus temporibus venit minorita quidam Bertholdus Fabarium. Is atrocissimam habens concionem contra omnis generis peccata & injurias, graviter etiam de certissima Dei vindicta loquutus ita movit animum Alberti junioris de Saxen, ut castrum certis quibusdam conditionibus Abbati sese restituere velle polliceretur. Emit itaq; Rudolphus iste de Bernang anno Domini 1257. ab Alberto, Barone Saxensi ejusq; fratribus, Henrico & Ulrico, quinquaginta argenti marcis castrum Wartensteinense, quod antea ab Abbate Conrado ipsius cœnobii impensis extructum erat, & quod violenter invaserant Barones Saxenses, maloq; titulo hactenus possederant. Abbate vero post numeratas Baroni pecunias possessionem arcis appetente, Albertus Baro pœnitudine venditæ arcis ductus arcem se daturum negavit, nisi Abbas etiam Advocatiam, quam sese venditurum dicebat, auro redimeret & mercaretur. Coactus fuit igitur Abbas & advocatiam emere pro ducentis & quinquaginta argenti marcis. Sic & castrum & Advocatiæ jus ad Abbatem Rudolphum rediit. Hæc acta sunt anno Domini 1257. in Augia divite, præsentibus Conrado & Wernhero de Planschildt, D. Burcardo & Conrado de Zuifelthun, Abbate Rudolpho de Bernang, Henrico de Ballis, Walthero de Wallis, Henrico & Conrado de Wolfurt, Conrado de Villingen, monachis Fabariensibus, Dominis item Henrico, Burcardo & Hermanno de Waldstadt, Magistro Ulrico de Bernang, & Ulrico de Sargans, sacerdoti-

Concionis vis in animo injusti possessoris.

dotibus: Henrico de Wildenberg, Hermanno Villico, Alberto & Ludovico Schorando, Goseramo de Ems, Gundelmo Schorando, Ulrico de Castromuro, Eglolpho de Juvalt, Henrico de Ragusio, militibus. Fridericus vero Imperator, ejus nominis secundus, prædictam castri & Advocatiæ emtionem approbans, cœnobium Fabariense denuo ab omni jurisdictione patronatus & Advocatiæ, seu quibuslibet subjectionis officiis universaliter exemit, & ipsum monasterium in specialem suam & imperii perpetuam defensionem suscipiens statuit & præcepit, ne quis adversus hoc monasterium deinceps unquam quicquam audeat, suscipiat aut moliatur, prout literæ monasterio traditæ idipsum copiose elucidant. Rudolphus Abbas præfuit adhuc anno 1263. Sequuntur alii Abbates, qui Rudolpho à Bernang legitime & canonice electi successerunt.

49. *Conradus* de Wollfurt, qui præfuisse legitur anno Domini 1269. ad annum usque 1282. quo obiit.

50. *Conradus* de Kuchenberg eligitur anno 1282. Confirmatur eodem anno ab Imperatote Rudolpho Habspurgio. Erat Abbas mire hospitalis. Præfuit annis 42. Obiit anno Domini 1324.

51. *Eglolphus* de Wollfurt eligitur anno 1324. Præfuit sex annis. Obiit anno 1330.

52. *Hermannus*, Baro ab Esschenbach & Arbona, filius Henrici Baronis ex Wilbirgi matre, monachus Einsidlensis, præfuit aliquot annis Churiensi Episcopatui, quem resignans ad Abbatiæ Fabarianæ gubernationem est vocatus anno 1330. ubi præfuit 31. annis. Consequitur privilegia à Carolo IV. Sub ejus gubernatione grassata est pestis mirum in modum & intra & circa monasterium anno 1349. Sedatam pestem, ne sola esset calamitas hæc & incomitata, sequutum est grave incendium. Obiit Abbas Hermannus anno Domini 1361. Habuit germanam sororem Annam, Scandinensis apud Helvetios insignis & opulenti monasterii Abbatissam. Successit huic Abbati

Scandinense monasterium.

53. *Joannes* de Mendelburen, cœnobii per incendium vastati renovator. Is præfuit 25. annis. Obiit anno Christi 1386.

54. *Bur-*

54. *Burcardus* de Wollfurt eligitur anno Domini 1386. Præfuit annis 30. Accepit privilegia Heidelbergæ à Ruperto Palatino, Rom. Imp. anno 1407. Obiit anno Domini 1416. Hujus Abbatis temporibus fundatum & conditum est sacellum S. Mariæ Magdalenæ in monte situm, ab Ulrico & Conrado fratribus de Wollfurt. Habuit Abbas Burcardus germanam sororem, Claram à Wollfurt, Abbatissam Lindaviensem, quæ obiit an. 1410.

55. *Wernherus* de Reitnow, natus matre Anna de Eroltzheim, quæ valedixit vitæ mortali anno Domini 1430. Eligitur anno 1416. Præfuit annis 19. Obiit anno Christianæ reparationis 1435. Calendis Junii.

56. *Guilelmus* de Mosheim, matre Anna de Waldeck natus, eligitur in Abbatem Fabarianum anno Domini 1435. Sub ejus gubernatione, nondum composito veteri bello Tigurino, pugnatum est anno Domini 1446. prope Ragusium inter Austriæ Duces & Helvetios, à quibus Austrii cæsi sunt. Præfuit Abbas iste ad annum usq; 1449. quo emigravit ex hoc mortali seculo. *Pugna Ragusiana.*

57. *Fridericus* de Reitnow eligitur anno 1449. Præfuit annis 20. Valedixit hominum in terris viventium consvetudini anno salutis 1478.

58. *Joannes Bergerus* eligitur anno 1478. Præfuit annis quinque. Obiit anno Domini 1483.

59. *Georgius* de Eroltzheim præfuit sex annis. Obiit anno Domini 1489.

60. *Melchior* de Heerlingen, aliis Horningen, eligitur anno gratiæ 1489. Præfuit annis tredecim. Decessit ex hac lachrymarum valle anno 1502.

61. *Guilelmus* de Lacu, vulgo Fulach, ex Rinovienſi conventuali in Abbatem Fabarianum eligitur anno Domini 1502. Præfuit annis 15. Obiit anno 1517. Fuit optimus œconomus, qui & monasterium & arcem VVartenstein egregie decoravit, præsertim argenteis scyphis & aliis clinodiis. Cœpit extruere novam Abbatiam, quæ ab ejus successore est absoluta.

62. *Joannes Jacobus* de Russingen, Helvetius, ex Rappers-wil natus, eligitur ex Decano in Abbatem Fabariensem in die

S. Benedicti anni à nato Christo 1515. Præerat adhuc laudabiliter anno Christi 1548. quo me in cœnobio suo clementer excepit. Erat enim vir humanissimus, sed admodum afflicta valetudine præditus. Obiit postea anno sequente, thermarum ejusdem nominis insignis exultor. Habuit fratrem Georgium, Ecclesiæ custodem, qui obiit anno Domini 1540.

63. *Rudolphus Stuckhius*, patria Glareanus, vir nobilis & humanitate præditus singulari, successit evocato ex hac vita Russingero, unanimiter electus anno 1549. Præsidet hoc adhuc currente Jubilæo. In hujus cœnobii vicinia, mille videlicet ab eo passibus, sunt intra altissimas superioris Rhetiæ & perpetuis nivibus obrutas Alpes, montem videlicet Lunæ, Galandam & Vettesburgum, in angustissimis, abstrusissimusq; & tantum non avernalibus Alpium faucibus (quibus insidentes æstivalis solstitii tempore Solem per unius tantum horæ spatium medio die conspicuum habent) nobilissimæ ac saluberrimæ Thermæ Fabarienses, per quas Camingius rapidissimus torrens (quem accolæ vulgo den Dramingenbach vocant) magno impetu, murmure vero ac fragore tanto decidit, ut in ipsis Thermis sedens vix illum etiam (qui proxime tibi assidet) clarissima voce loquentem audire possis. Est torrens ille terminus ditionis Rhetorum, Advocatiæ Sarganensis & Septipagensium Helveticorum. Oritur in Calvesia una Rhetiæ Alpium ad induratas summarum Alpium nives, quas Glessum, vulgo Gletscher / vocant. Per fluit Vettisium, pagum Abbatis Fabariensis, ac Domini Joannis de Marmoribus, Domini in Rhetio. Defluit inde maximo fragore per aspera & terribilia loca, profundissimas videlicet & sub ipsis Thermis etiam positas Alpium angustias, in quas Thermæ ipsæ ad pedem & radices ferè ejus montis (qui lunari jugo contiguus est) scaturientes sese exonerant. Postea Raguſium Abbatis Fabariensis & Septipagēsium Helvetiorum pagum perfluens, è regione Maienfeldi præclaræ civitatulæ Rheno infunditur. Has Thermas anno Christi 1242. temporibus videlicet Imperatoris Friderici II. à venatore quodam, cui *Aucupi* nomen erat, inventas, & natura calidam aquam, eandemq; pellucidam, purissimam, humano-

Thermæ Fabarienses.

Camingius torrens.

manoque gustui maxime delectabilem habentes, ex auri & cupri venis defluere animadversum est. Scripsit de harum natura celebris medicus, Theophrastus Paracelsus.

Reciproca aqua Thermarum Fabariensium.

Aqua earum reciproca est, quæ semper in Octobri deficere & evanescere, & per hiemem veluti mortua esse, in Majo vero copiosissima redire solet, ita, ut si in plano aliquo loco Thermæ istæ essent, eodem quidem tempore duobus hominum millibus sufficerent, tanta est aquarum copia, tanta abundantia, tanta ubertas. Descensus è summitate terræ ad ipsas Thermas per partim pendentes & monti applicatas, partim verò saxo incisas scalas difficillimus & inaccessibilis penè est ac ita terribilis, ut audacissimo etiam homini metum & horrorem incutiat. Ascensus vero & reditus paulo facilior est, & à me numeratus mille habet & quadringentos passus in summam usque planiciem. Sunt in his ipsis profluentium Thermarum cavernis tria tuguria ab Abbatibus constructa, quæ lavantibus commoda hospitia præbent. Hæc hiberno tempore à nemine habitari solent: ad ea æstivo tempore necessarius victus ab hospitum servis deportatur, qui balneaturos trepidantes suis etiam humeris subinde è summo in imum usque scaphium, & inde iterum in summum bajulare solent. Primus descensus fuit longe difficilior, quia magis præceps & idcirco longe periculosissimus, ad quem pervenientes (qui è longinquis locis lavandi studio accesserant) ita sæpe metu perculsi trepidabant, ut etiam non loti abire potius vellent, quàm ita periculoso & quasi irremeabili descensui sese committere. Nunc Abbatum Fabariensium cura & sumtibus duplex descensus per varias ambages montibus incisus est, sed uterq; tamen horribilis & difficillimus. Lavantium vero in his Thermis multi abeunt, qui nulla lectisternia contingentes continue & sine intermissione balneant, donec præscriptum sibi à medicis terminum absolverint. Balnea vel lavacra monti incisa tria sunt, inter quæ quod amplissimum est, sexaginta fortassis hominum capax, in medio duarum ferme orgyjarum profunditatis gurgitem ceu fontem habet, in quem vidi virum sese præcipitem demittere, qui mirabilem loci naturam mihi homini peregrino ostensu-

rus ex imo ejus fundo gelidissimam aquam afferebat, mihiq; & aliis illam bibendam porrigebat. Hæc balnea singulis diebus purgari, & per imbrices & canales in subterfluentem Camingium exonerari, moxque iterum in usum lavantium impleri possunt.

Nobilitas quæ vera. Descripsi has Thermas prolixo carmine in gratiam Abbatis, qui ea ipsa ætate, qua ego eas vidi, ipsis præsidebat, vir nobili quidem apud Helvetios genere natus, sed qui se nobilem esse ipse non credidit, nisi humanitate etiam ac beneficentia erga omnium ordinum homines, hospitalitate erga advenas, liberalitate erga doctos, aliisq; bonis virtutibus, vera nimirum nobilitate (quæ in animi bonis consistit) insignem sese esse, omnibus bonis reipsa testaretur. Prolixum carmen de his Thermis scriptum alibi aliquando prodibit. In gratiam vero doctissimi viri, Doctoris Achillis Pirminii Gassari, medici Augustani, hospitis mei in ea augustissima urbe longe benignissimi, tale aliquando de his ipsis Thermis lusi epigramma ænigmaticon, quod pio lectori hic communicandum censui:

Ænigma.

Dic, quibus in terris (& sacra ornabere lauro)
Octipedem Phœbo cancrum repetente, coloni
Efficiant calidas accensis ignibus ædes,
Sole alibi populis nigrum inducente colorem,
Aut ubi candelæ adlucentis lampada cœnent.
Rursus at hiberno sub frigore nullius ignis
Plane utantur ope, perq; unam splendeat horam
Sol ubi vix, licet ipse dies longissimus extet.
Hanc terram si dixeris aut monstra veris, ipsus
Tu mihi Phœbus eris, tu Phyllida solus habeto.

Solutio:

Fabarianarum domus hæc est infima, nempe
Thermarum in Rhetis, veteris supra ardua Majæ
Mœnia, non procul à Germani flumine Rheni,
Lunæ inter sublime jugum nivibusq; Galandam
Perpetuis tectum, peregrina ubi turba lavare
Se solet adversus scabiem morbosq; futuros:

Æstivo

Æstivo sub Sole, locis in tartara pene
Detrusis Acherontia, sole carentibus omni.
Hiberno redeunte gelu discedit & unda,
Discedit q; suam quisq; ad vena rursus ad urbem.

❁ ❁ ❁

FONS SALUTIS, vulgo Heilsbrunn / Cistertiensium ordinis & instituti magnificentissimum opulentissimumq; cœnobium, ad Schwabachium amnem, medio ferè itinere inter Noribergam urbem Imperialem & Onoldisbachium civitatem Comitum olim Octingensium, nunc vero Brandenburgensium Marchionum situm, fundatum est anno Christi 1132. ab Othone, Comite Andecensi, octavo Episcopo Bambergensi, & à Rabathone ac Conrado, Comitibus de Abenberg, horumq; uxoribus, Mechtilde & Sophia, imperante Lothario Saxone, quo tempore plurima in Germaniis monasteria à diversis regulis, Principibus ac Episcopis extructa & erecta sunt. De hac fundatione extant in ejus cœnobii magnifico sane templo hodie adhuc tales Versiculi:

Hæc domus Othonem colit & Comitem Rapathonem:
Præsul fundavit, Comes hanc opibus cumulavit.
Qui Comes Abenberg fuit hic præsul quoq; Bamberg.
His jungas Comitem Dominum Conrad juniorem,
Mechtildin socia, conjungatur q; Sophia.
Post M.C. Christe triginta duos locus iste
Annos fundatur, Heilsbrunn qui rite vocatur,
Virginis atq; piæ matris sub honore Mariæ,
Ac Sancti Jacobi, qui Major vel Zebedæi.
Da veniam cunctis, Deus, hic requie tibi functis.

Fuit eo ipso in loco (antequam cœnobium ædificaretur) pagus Hagelsbrunn / quasi fons grandinis dictus. Id nomen postea è fundatoribus ob insignem ejus loci uberiorum fontium salubritatem in melius immutatum est. Habuit hoc cœnobium antiquitus fratres etiam Conversos, laicos, quos à barbis, quas gerebant illi, tota vicinia *Bertlingos* vocabat. Hi quosvis suspendio tollendi (quos aliquid mali commisisse sciebant) jus ac potesta- *Bertlingi.*

testatem plenam habuerunt: quem morem ex VVestphalia ad melius tuendas monasticas facultates cœnobio intulisse dicuntur. Sunt in hoc amplissimo & urbis instar elegantissime & munitissime constructo monasterio Burggraviorum Noribergensium ac Marchionum Brandenburgensium magnifica Mausolæa, cum appendentibus trophæis militaribus, vexillis, armis, aliisq; monumentis. Cubant vero ibi inter alios summo loco natos, Reverendiss. Princeps ac Dominus, Dominus Bertholdus, Burggravius Noribergensis & Episcopus Aistetensis, sacræ Imperialis aulæ Cancellarius, qui obiit in die Euphemiæ Virginis anno Domini 1365. Albertus, Marchio Brandenburgensis, sacri Roman. Imp. Archicamerarius & Elector, qui anno Domini 1486. undecima Martii obiit Francofurti ad Mœnum in frequentissimis Comitiis, ab Imperatore Friderico III. habitis. Marchio item Sigismundus, qui obiit anno Domini 1495. Fridericus item senior, qui obiit anno 1529. Marchio præterea Casimirus, Princeps belli gloria nulli Germanorum non præferendus, qui ab Imperatore Divo Carolo V. in Hungariam ad fratrem Ferdinandum Regem missus, ut Pannonias adversus Turcicas impressiones ac irruptiones defenderet, Budæ aliquot paucis diebus ex dysenteria decumbens obiit anno Christi 1527. Unde ad Salutares fontes revectus, talibus epitaphiis posteritatis memoriæ commendatus est:

Postquam Pannonas è periculoso
Oras eripuit jugo Getarum,
Post mavortia signa, post labores
Duros militiæ domi forisq;
Huc ponit sua membra Casimirus,
Lugentis patriæ sinu receptus.

Sequitur aliud elegiaco carmine, cujus author est Vincentius Obsopœus:

Siste pedem moneo, nec sic decurre, Viator,
Invida quid possint fata, docendus eris.
Pallida sub sævas ut mors vocat omnia leges,
Id vel in hoc magno Principe quisq; videt,

Qui

Qui prole antiqua satus est. Nam Marchio patre,
Claraq; Regali sanguine mater erat.
Militiæ princeps, dum justis vindicat armis
Pannoniæ regnum; hunc sustulit atra dies.
Hinc tua ruricolæ, lugent tua funera cives,
Atq; tuam Proceres flent, Casimire, necem.

Situs est & honorifice sepultus in eodem cœnobio illustrissimus ac optimus publicæq; tranquillitatis studiosissimus Princeps Marchio Georgius, Casimiri frater germanus, qui obiit anno 1543. quinta Kalendarum Januarii, cum vixisset annos 59. menses novem, dies viginti tres. Ejus tale est epitaphium parieti templi affixum, cujus author est *Joannes Stigelius*, poëta à Carolo Imperatore nobilitatus.

Inclytus ingenua virtute Georgius heros
Brandenburgiaca Marchio stirpe satus,
Hic ubi fortis Avus, fratresq; paterq; quiescunt,
Luce senex functus post sua fata jacet.
Qui licet excelsæ præstaret robore mentis,
Attamen innocuæ pacis amator erat.
Bella nec ulla domi, sed publica & extera gessit:
Noxia nec patriæ, jussa sed arma tulit.
Hinc sibi Pannoniæ Regum devinxit amorem,
Præmia Slesiacos laudis adeptus agros.
Adde, quod est titulis accessio Prussia avitis
Facta per hunc, gelido subdita terra polo.
Tum verò patriam tranquilla pace gubernans
Fortiter adseruit dogmata vera Dei.
Hæcq; fide referens constanti & pectore toto
Confessus coram Cæsare sæpe fuit.
Justitiæ custos, & castus cætera Princeps,
Subjecti meruit civis amore coli.
Hunc, quia te coluit, quia te constanter amavit,
Salvator gremio suscipe, Christe, tuo.

Visuntur in eodem templo & aliorum regulorum honorifice extructi & eleganter ornati tumuli, Conradi videlicet Comitis

de Oetingen, qui obiit anno 1334. Conradi, Comitis de Heideck, qui valedixit vitæ mortali anno 1356. cujus anteceſſores & majores ampliſſimi ac liberaliſſimi leguntur hujus cœnobii fuiſſe benefactores, qui S. Michaëlis primum ſacellum condidiſſe cuidam Eremitæ dicuntur, & in eodem ſacello mortui terræ parenti ſunt redditi Joannes Comes à Naſſaw, qui obiit anno 1362. octava Kalend. Maij. Item Emicho, Comes à Naſſaw, qui deceſſit anno Domini 1358. Henricus, Archiepiſcopus Anamarſenſis, qui obiit anno 1390. in vigilia omnium Sanctorum. Georgius Sack, Eques auratus, qui deceſſit anno gratiæ 1483. Joannes Henricus de Ehnheim, Eques balthei jure donatus, qui obiit an. 1464.

Pugna Caſimiri cum Noribergenſibus.

Ewaldus item Lichtenſteinerus, Eques auratus, Caſimiri Marchionis in pugna cum Noribergenſibus circa Avalderbachium ad Schwartzbachium amnem Hirsbergenſis Comitatus & Noribergenſis Burggravionatus olim terminum anno Domini 1502. commiſſa, præcipuus Capitaneus, qui emigravit ex hoc ſeculo anno 1504. Et innumeri alii, quorum nomina vix amplius legibilia ſunt. Abbatum verò hujus cœnobii talis invenitur ſeries & catalogus.

Abbatum Syllabus

1. *Rapatho*, Comes de Abenberg, Conradi fundatoris frater, primus fuiſſe legitur conſtructi à ſe ſuisq; cœnobii Abbas & gubernator.

2. *Nicolaus.*
3. *Conradus.*
4. *Arnoldus.*
5. *Albertus.*
6. *Wernherus.*
7. *Waltherus.*
8. *Udalricus.*
9. *Edelwinus.*
10. *Otho.*
11. *Fridericus.*

12. *Rudolphus*, de quibus omnibus nihil invenitur in faſtos à quoquam relatum.

13. *Henricus* de Hirſchlach obiit pridie S. Jacobi Apoſtoli anno Domini 1317.

14. *Conradus* à Brundelsheim præfuit annis 4. Compoſuit Sermones in ſoccis. Obiit in vigilia omnium Sanctorum anni à nato Chriſto 1321.

15. *Conradus* Suſſianus præfuit ſeptem annis. Obiit anno Domini 1328.

16. *Joan-*

16. *Joannes* præfuit 17. annis. Obiit tertia Idu. Junii anno Salutis 1345. Sub hoc Abbate ceciderunt prope fontes Salutares anno Domini 1336. undecima Kalendarum Junii ingentes cœli cataractæ, quæ plurimum monasterio obfuerunt magnamque ejus partem everterunt.

17. *Fridericus* de Hirschlach præfuit 5. annis. Obiit undecima Kalend. Sept. anni 1350.

18. *Godefridus* exauthoratus & depositus est. Obiit tandem anno Salutis 1378. undecima Kalend. Julii.

19. *Arnoldus* obiit 14. Kalendar. Septembrium anni à nato Christo 1386.

20. *Bertholdus Stromerus*, patria Noricus, præfuit annis 27. Obiit anno Domini 1413. in die Ruperti.

21. *Arnoldus* præfuit annis 15. Interfuit concilio Constantiensi. Decessit ex hac lachrymarum valle Kalendis Junii anno Domini 1428.

22. *Udalricus* præfuit annis 35. Obiit in Martio anni 1463.

23. *Petrus Wegelius*, S. Theologiæ Doctor & Professor eximius, utiliter præfuit annis sedecim. Illustravit monasterium egregiis ædificiis. Obiit anno Dominicæ Incarnationis 1479. in die Thomæ Apostoli. Sepelitur in ambitu cum tali epitaphio:

Mille, quadringentos decies septemq; novemq;
Adde annos puero Virginis atq; Deo,
Tempora dum brumæ redeunt tibi festaq; Thomæ,
Qui tetigit vulnus, quod tulit ipse Deus,
Reddidit accepta Domino solvitq; talenta
Abba Petrus, merito tendit ad astra suo.
Condidit hic multas magnis cum sumtibus ædes,
Ergo hunc tollendum laudibus esse reor.
Hic ubi decumbunt, requiem capiuntq;, leguntq;
Fratres, concelebrant sanctaq; colloquia.
Ac ubi circumeunt psallendo & corripiuntur,
Hæc loca sunt studio singula facta suo.
Emtas lucifluas modico non ære fenestras,
Palladias gazas addidit innumeras.

Omnibus in ſtudiis doctus fuit atq; diſertus,
Hic Phœbum coluit Pegaſidesq; Deas.
Noverat hic cuncta, referas quæ Theologia,
Prudens in factis, clarus in orbe fuit.
Hic decus & lumen monachis in fonte Salutis,
Sanctæ virtutis verus amator erat.
Gaudet in æternis, meritis pro talibus, annis,
Cum ſuperis nectar paſcit & ambroſiam.

24. *Conradus Haunoldus* laudabiliter præfuit annis 19. Obiit in die Marci Evangeliſtæ anno Domini 1498. Succeſſit ei Canonicè electus.

25. *Sebaldus Bambergerus*, S. literarum eximius Doctor & Profeſſor, quiq; Principum nomine plurimis interfuit comitiis. Præfuit 20. annis. Obiit anno Domini 1518. nona die Julii. Sepelitur in ambitu cum tali querela & virtutum ſuarum elogio:

Phœbus tres fauſtos poſt Chriſtum voluerat annos,
Tercentum luſtra moverat atq; tria.
Julius auroram demiſit ab æthere nonam,
Flebilis heu mœſta venit & atra dies.
Horrenda & triſtis monachis in fonte Salutis
Plena fuit lacrymis, pallida, terribilis.
Jam noſtra in longos abierunt gaudia luctus,
Verſa eſt in lachrymas mœſtitiamq; lyra.
Illa dies rapuit noſtrum pietate parentem,
Paſtorem noſtrum fœda dies rapuit.
Abſtulit Abbatem noſtrum tunc illa Sebaldum,
Noſtrum Doctorem ſtravit & illa dies.
Hei mihi, quos gemitus, animis quæ vulnera noſtris
Liquiſti! lachrymæ quot cecidere mihi!
O decus, ô quondam monachis ſpes unica noſtris,
Funera namq; tua nil niſi flere jubent.
Doctrina clarus, vita quoq; totus honeſtus,
Commiſſi gregis & pacis amator eras.
Auctæ res noſtræ per te ſunt, Dux reverende,
Augeat at meritum res bene geſta tuum.

Optime

Optime mutasti vitam cum morte, Sebalde:
Accipis aureolas, gaudia summa, duas.

26. *Joannes Wengkhius*, Onoltzbachianus, egregius œconomus, præfuit & profuit diligenti rerum domesticarum administratione annis undecim & resignavit anno Domini 1529. Obiit postea Noribergæ in ædibus Laurentiano templo vicinis, quas vulgo Hailbrunnensem Curiam vocant, anno Domini 1538. decima octava Septembrium. Sepelitur in fontium Salutis insigni Basilica, prope S. Michaelis sacellum. Extat cum de eo, tum de cœnobii Insignibus in fenestra quadam Curialis hypocausti vel cœnaculi tale epigramma vitro inscriptum:

Hæc, ô fons nostræ, fons multorumq; Salutis,
Fecit Joannes Wenck tua signa pater.
Anno 1519.

27. *Joannes Schopperus*, ex Abenberga Eistetensis Episcopi oppidulo natus, vir pius & doctus, omnium eruditorum ac studiosorum Mecœnas, quorum monumentis etiam æternum apud posteros nomen consequutus est, successit resignanti Wenckhio anno 1529. Instituit auxiliis laudatissimi Principis, Georgii, Marchionis Brandenburgensis in monasterio insignem schola- *Scholarum finis.*
lam, in qua multos bonos adolescentes pie aluit, qui liberaliter ibi instituti ad Academias postea uberioris ingeniorum cultus capiendi ergò missi sunt. Sciebat enim vir optimus, monasteria non ociosis ventribus, sed literarum, sed pietatis, sed honestæ vitæ studiosis initio condita ac tanta Principum liberalitate erecta & donata esse. Resignavit post duodecim annos, quibus sapienter præfuit, propter afflictam valetudinem, & Onoltzbachium concedens obiit ibi 14. Kalendar. Maij anno Domini 1542. cui pro sua erga me beneficentia gratitudinis ergò hoc posui in Silvarum mearum libro decimo sexto epitaphion:

Hic Schopperus Joannes dignissimus Abbas
Mortuus, in Christi divite pace cubat.
Sed corpus tantum cubat hac tellure repostum:
Mens pia in æthereis gaudet ovatq; choris.

Quæq; laborabat vere cognoscere Christum,
Hæc nunc cum Christo vivit & astra tenet.
Lucis & æternæ fruitur bonitate parata,
Amplius & terras curat amatq; nihil.
Nomen at ipsius & famam, vitamq;, decusq;
Convenit æternis nos celebrare modis.
Nam doctorum hominum semper studiosus amansq;,
His ipsis etiam curaq; amorq; fuit.
Ergo illum memores vere celebrabimus omni
Tempore, qui Phœbi pars aliquanta fumus.

28. *Sebastianus Hamaxurgus*, ex Abenberga natus, vir in latinis literis præclare doctus, eligitur anno Domini 1540. Præfuit tribus annis, & anno 1543. viduam quandam coqui sui relictam, uxorem ducens mox solenni pompa peractis nuptiis è gubernationis fastigio dejectus est. Onoltzbachium itaq; secedens post aliquot annorum revolutiones ibi mortuus & in æde S. Crucis terræ mandatus est. Scripsit epitomen stirpis Marchionum Brandenburgensium ad Albertum Marchionem, Casimiri filium. Post ejus exauthorationem præfuerunt monasterio per sesquianum Dominus Joannes Wirsingus, tum Prior, & Dominus Joannes Hartungus Judex, vir in musicis absolute doctus, humanitate nemini mortalium secundus, Vincentii Obsopœi etiam libris de arte bibendi scriptis, & Gasparis Othmari generi sui, præstantis musici, compositionibus aliorumq; monumentis nobilitatus.

Abbas uxorem ducit.

29. *Georgius Greulichius*, ex Erlebachiano oppidulo natus, eligitur ex præposito Bonhofensi in Abbatem fontium Salutis anno 1545. Erat bonus œconomus. Præfuit annis tribus, scholæ non admodum propitius. Obiit anno Domini 1548. decima quarta Aprilis.

30. *Joannes Wirsingus*, ex Abenberga natus, vir omninò decrepitæ senectutis, honestus & simplex quidem, sed tamen latine mediocriter doctus, designatur ex Priore Abbas Salutarium fontium anno Domini 1548. in die Barnabæ, anno ætatis suæ sexagesimo primo. Præest adhuc currente hoc Jubilæo. Construxit novam Bibliothecam, & turribus aliquibus mœnia cœnobii com-

communivit. Est in hujus monasterii vicinia insignis pagus Rostall, quod Latinis equile, aut si mavis Rosental, rosarum vallem significat. Is pagus est Marchionum Brandenburgensium, ad Mulbachium rivum tribus à Noriberga lapidibus situs. In eo ampliſſima est Ecclesia Parochialis, constructa à S. Erbelgarde, Rheni Palatinissa, Divæ Khunigundis Babenbergensis fundatricis germana sorore, Ernesti vero, Bavarorum Ducis, laudatissima Conjuge. Horum amborum conjugum visuntur in eo templo regia profecto reconditoria. Tumulus Divæ Erbelgardis inscriptione quidem caret, sed nisi maximis sumtibus tam splendide extrui non potuit. Est enim similimus ei, in quo Bambergæ requiescere dicuntur Henricus II. Rom. Imp. & S. Cunigundis. Alter vero tumulus, Bavarorum videlicet Principis, Ernesti (qui in choro templi est) hanc habet hexametris quidem, sed satis rudibus versiculis ita contextam epigraphen:

Roſtalense templum.

S. Erbelgardis.

Hac Dux Ernestus jacet in petra tumulatus.
Huic detur ut requies, sic optent quiq; fideles.
Da requiem, Christe, tecum sit semper ut iste.

Fuit olim eo ipso loco, quo templum hodie conspicitur, Castrum Bavariæ Ducum, quod hac adhuc tempestate ab omni parte lapidosum testatur cœmiterium, sed quando aut à quibus id vastatum sit, de eo nihil hactenus invenire potui. Sub templo, in subterraneis terræ faucibus aliud fanum est pervetustum & amplum, firmissimisq; duodecim pilis seu columnis constantiq; testudine magnifice concameratum & communitum.

Crypta.

❁ ❁ ❁

FULDA sive Fuldense monasterium, aut, ut in Caroli Magni diplomatibus reperitur, monasterium S. Salvatoris in Silva Buchovia situm, potentissima ordinis & instituti D. Benedicti Abbatia in Buchovia, Germaniæ tractu, inter Hassiam, Franciam orientalem & Wederoviam sito, ad ejusdem nominis amœnissimum ac pisculentissimum fluvium & intra ejusdem nominis præclaram civitatem amœnissimo loco fundata & constructa est anno Domini 744. sumtibus Carolomanni & Pipini, Galliæ ac Franciæ Regum, à S. Bonifacio sive Wunefrido Anglo, primo Archi-

S. Bonifacius, Archiepiscopus.

Archiepiscopo Moguntino, qui ibi in præclara Basilica D. Bonifacii, anno Domini 791. condita, honorifico Mausoleo terræ parenti redditus ac sepultus est. Scribitur eo ipso die, quo S. Bonifacii à Frisiis occisi cadaver Fuldam est allatum, omnes cœnobii campanas sua sponte absq; omni hominum pariter ac jumentorum ope pulsatas & agitatas amœniorem & suaviorem solito sonum reddidisse: quod an fide dignum sit, aliis dijudicandum relinquo.

Monasteria circa Fuldam.

Habet hoc potentissimum cœnobium extra civitatis mœnia in quatuor angulis circa se quatuor alia magnifica monasteria in altissimis montibus sita & ab Abbatibus Fuldensibus fundata, videlicet D. Joannis montem, Novum montem, Sancti Petri montem, ac Frauenbergum, quasi Dominarum vel nostræ Dominæ, idest, B. Virginis montem: & parochiale templum S. Floriani: in quorum monasteriorum medio quasi sita est Fuldensis cum civitas, tum Abbatia, aliarum omnium Germaniæ Abbatiarum illustrissima domina ac regina. Abbas ejus loci Princeps est Romani Imperii, unus ex quatuor Imperii aut cathedræ potius imperialis Abbatibus, sic dictis à Carolo IV. quòd ad pedes Cæsaris sedere in publicis Imperii statuum conventibus deberent. Sed & omnium, non Germaniæ solum, sed & Galliæ Abbatum Primas & Romanæ Imperatricis Archicancellarius: sicuti Magdeburgensis Archiepiscopus Episcoporum Germaniæ Primas, Moguntinus vero Imperatoris Romanorum Archicancellarius antiquitus designatus hac etiam adhuc tempestate ita haberi solet. Cubat in Fuldensi templo honorificentissime tumulatus Romanorum Imperator Augustus, Conradus I. Francorum Dux, novissimus ex nobilissima posteritate Caroli Magni, Imperatoris Ludovici III. ex Conrado fratre nepos, qui obiit anno Domini 919.

Primas Abbatum.

Conradi I. tumulus.

Bibliotheca Fuldensis.

Habet hoc cœnobium præter cætera ornamenta insignem & incomparabilem Bibliothecam, collectam & adornatam primum à Rabano, auctam vero & in ordinem redactam postea ab Hildeberto, monachis & Abbatibus Fuldensibus, literis & vitæ integritate conspicuis, tandem ad Archiepiscopatus Moguntini etiam

etiam gubernationem ob insignem virtutem ac vitæ honestatem evocatis: de quibus plura leges in primo nostro Episcopatuum Germaniæ Tomo.

Catalogum ejus loci Abbatum talem à quodam S. Petri Fuldensi Præposito (cujus mihi nomen ignotum est) eleganter & ingeniose descriptum, à me tamen subinde auctum & absolutum, communicavit mihi partim Gulielmus Wernherus, Illustris Comes à Zimbern, Judicii Imperialis Spirensis supremus præses, Dominus ac Mecœnas mihi singularis, partim vero Ewaldus à Creutzenachio Novicurianus, ad Drusi montem in Buchovia natus, Episcopi Herbipolensis secretarius, fautor & amicus neutiquam mihi inter postremos collocandus. *Catalogus Abbatum.*

1. *Stormio* vel Sturmius, ex Norica regione nobilibus ortus parentibus, Germaniam à literis & pietate alienam variisq; & bellis & seditionibus turbatam videns, cæterum indolem Germanorum præclaram, si quem nacta esset magistrum ejus ducendæ formandæq; callidum, scholas aliquot morum & pietatis constituere meditabatur. Ingressus igitur, favente Carolo Magno, vastas solitudines, advertit neminem vicinorum molestè laturum, si quos pietatis usui campos necessarios occuparet, veniensq; ad Fuldam fluvium celebrem, Hersveldense monasterium inchoavit anno Salutis Christianæ 736. quo anno Beda, Doctor nobilis, vita functus est. Unde octavo migrans anno ad superiorem Fuldæ fluminis partem, Fuldense constituit monasterium, idq; tam felicibus auspiciis, tam prospere pieq; rebus cadentibus, ut ab Imperatore Carolo quatuor circumjacentis soli milliaria facile impetraverit. Habuit pius præceptor quadringentos tum monasticæ disciplinæ discipulos præter juniores & eos, qui vilioribus officiis, excolendæ videlicet terræ, plantandis arboribus, pulsandis campanis, & id genus aliis deputati erant. Nam superiores illi describundis utriusq; linguæ auctoribus, omnium disciplinarum & professionum monumentis occupati, tantæ Bibliothecæ, quæ paulo post Philadelphicæ illi responsura erat, fundamenta jecerunt. Imperator igitur Carolus, volens & literis consultum & pietati, ne tot tantaq; ingenia non (ut par erat) alerentur, *Scholarum quarum in Germania Sturmius author.* *Hersveldense monasterium, in Buchovia.*

Hamelburgum, Civitas.

Holtzkirchen Abbatia.

Solenhofen cœnobium.

Umstat Civitas.

tur, dedit Ecclesiæ Fuldensi civitatem Hamelburgensem: adjuvanteq; Bonifacio, Archiepiscopo Moguntino, tria milliaria soli ulterius impetravit, ut septem jam milliaribus ditio Fuldensis pateret, unde non modo unius monasterii Fuldensis fratribus, verum etiam in vicinis cœnobiis, Holtzkirchen & Solnhofen, ejusdem studii discipulis, Carolo (ut fundarentur) permittente, esset alimonia. Adjecit Pipinus civitatem Ombstat. Pius igitur Magister, ubi partem fluminis Fuldæ per aquæductum in monasterium deduxisset, & montem B. Petri ad similem disciplinam incepisset, obiit anno Domini 779. 12. Kalend. Maij, ubi triginta sex penè annis præfuisset, anno nimirum, postquam Carolus Magnus contra Saracenos pugnavit.

Mons S. S. Petri præpositura.

Wolffsmünster Cœnobium.

2. *Gangolfus*, aliis Landolphus, successit Stormioni anno Salutis per Christum reparatæ 779. cujus anno duodecimo Carolus, devictis Avarorum gentibus, privilegia & immunitates Ecclesiæ Fuldensi sub Stormione concessas ratas habuit. Qua occasione pius pater orientale templum miro construxit artificio, & ædificium S. Petri, à Stormione inchoatum, absolvit. Construxit & Wolffsmünster, imposito ei loco nomine à proprii sui nominis appellatione. Vicesimo verò nono ejus anno ingens pestis grassata Fuldam ferè exhausit: demum positis pii regiminis habenis, in monasterio, à suo nomine appellato, diem clausit ultimum, anno ab eo, quo præesse cœperat, XXXV. qui annus erat à Salute Christiana 815. successore sibi constituto Ratgario anno Domini 789.

Nostræ Dominæ Mons.

3. *Ratgarius*, nobilibus parentibus natus, occidentale templum non minori ingenio minoribusve impensis, quam Gangolfus orientale construens, utrumq; conjunxit: deinde Montem Episcopi dictum (quoniam D. Bonifacius ibi sedem novæ Christi scholæ vicinam sibi delegerat) honori B. Mariæ, constructo etiam ibi monasterio, dedicavit, unde & nunc Mons B. Mariæ Virginis vocatur. Cumq; sedecim annis sub Carolo Magno & Ludovico Pio Imperatoribus laudabiliter præfuisset, à fratribus accusatus Abbatia sese abdicavit anno Christi 805. & in Monte D. Virginis à se sacrato, quod reliquum erat vitæ, consummavit anno Domini 826.

4. *Eggilo*

4. *Eygilo* succeſſit Abbati Rotgario, parentibus Noricæ regionis ortus admodum nobilibus. Hic cognatus fuit Stormioni, qui duas templi cryptaporticus, alteram ad orientem, alteram ad occidentem conjunctas à Rotgario conſtruxit. Deinde in cœmiterii monte, qui ab ipſo Michaeli Archangelo dedicatus eſt, unde & nomen eicontigiſſe dicunt, templū miræ artis locavit, ad formam Dominici ſepulchri, quod Hieroſolymis viſitur. Nam unius lapidis ſolido fundamento tota innititur domus, & culmen tecti uno lapide clauditur, quo in loco ſepeliri etiam voluit. Siquidem paucis priusquam moreretur diebus, quatenus ob infirmam valetudinem non detinebatur, ſarcophagum ſuis adornavit manibus, & ſepulturæ locum fratribus oſtendit, ubi conditus quieſcit mortuus anno 824. Horum duorum, nempe Ratgarii & Eygilonus, Herveldenſis ille, Chronicorum ſcriptor, monachus non meminit, quod miror equidem, cum uterq; inglorius non vixerit. *S. Michaelis mons: vel Michaelicon.*

5. *Rabanus*, cognomine Magnentius Matirus, patria Fuldenſis, Eygilonem excepit anno Domini 825. vir in divinis ſcripturis eruditiſſimus, & ſcientia ſeculari doctiſſimus, Bedæ Anglorum olim diſcipulus & Gymnaſii Pariſienſis profeſſor, Philoſophus, rhetor & aſtronomus, ſuiq; temporis Poetarum nulli ſecundus, cui nec Italia ſimilem nec Germania peperit æqualem. Quibus rebus argumento ſunt tot & tanta volumina ipſius divi ingenii monumenta. Nam ut eruditionem tanti viri omnes Bibliothecæ nobis commendant, ita quantum ingenio valuerit, liber de laudibus Sanctæ Crucis, Imperatori Pio Ludovico dedicatus, evidentiſſime probat, qui quamvis diverſarum immutabili varietate figurarum mirifice ſit diſtinctus, omnium tamen figurarum characteres, quocunq; vertas, certam ſententiam reddunt. Bibliothecam Fuldenſem tanta librorum multitudine locupletavit, ut dinumerari vix queant. Demum cum ſe totum divinis libris ſcribendis dare vellet, poſthabito regimine in montem D. Petri ſeſe contulit, eoq; fratres ſtudiorum ſuorum æmulos collocavit, ubi Biblica ſcripta omnia diſcipulis enarrans, commentariis ea in hunc usque diem extantibus illuſtravit. Deinde *Rabanus Maurus.* *Liber de laudibus S. Crucis.*

cum multitudo fratrum rumore piæ conversationis crevisset, aliud monasterium in Monte Joanni Baptistæ sacrare constituit. Mortuo interea Archiepiscopo Moguntino, Otgario, vocatur à Monte Beati Petri ad sedem Moguntinam anno Domini 847. ab ipso Imperatore Ludovico II. Moritur autem, cum decem annis principatum Moguntinæ sedis habuisset, successore Carolo, Aquitaniæ Duce. Sepultus est Moguntiæ ad S. Albanum, in sacello D. Bonifacii; qui locus tamen ob chori novam structuram nunc non agnoscitur, & ipse postea in patriam translatus scribitur.

Mons S. Joannis.

6. *Hatto*, primus Rabanum in Abbatiæ administratione anno Domini 847. sequitur, vir mansuetissimus, verum in rebelles durissimus. Hujus lenitatem & gravitatem fratres Mosaicæ lenitati & in corrigendis vitiis ejusdem severitati conferre solebant. Hic servatæ virginitatis laudem terras relinquens secum tulit. Obiit autem anno 862. Hersveldensis monachus (nam diligentis viri nomen ignoramus) Rabano subjecit Waldonem, cui amoto Thiedonem, quem Hattoni successisse novimus, substituit. Sed Waldo is ipse forte est, quem nos Hattonem appellamus.

7. *Thiedo*, sive Diedo malis, succedit Hattoni, sive (ut Hersveldensis) Waldoni. Hic erga pauperes liberalissimus secundum præscriptum Evangelii, ne ejus sciret sinistra, quod dextra fecisset, fuit. Hic utrique templi parti & orientali & occidentali porticum adjecit. Cumq; annis octo integerrime præfuisset, quod Regia mandata contemsisse infimularetur, dignitate amotus est eodem anno, quo & moritur, nempe à salute Christiana 869.

8. *Sigenhardus* in amoti seu Thiedonis sive Theodonis locum constituitur, volente Rege Ludovico. Hic non minus Rabanô sudavit, nempe, ut fratres pie viverent & literarum studiis dediti essent; sed ut monasterii ædificia etiam sarcta & tecta essent, providit. Construxit pontem lapideum, centum & viginti cubitos mensuræ virilis in longitudine habentem: cumq; sex penè annis pie præfuisset, principatui renuntians secessit in monem

Pons lapideus Fuldensis.

Divi

Divi Joannis, ubi pietati & literis ſeſe dedens, functus vita eſt anno 874.

9. *Hoigerus* (cedente paululum ante mortem ſuam Sigenhardo) ſubſtituitur, alibi Huggius dictus, vir auguſtæ dignitatis & vere magnanimus. Hujus & ſequentium trium usque ad Hadamarium Hersveldenſis Chronographus non meminit. Magnanimitatis ejus indicio ſunt pagani, Normandi nimirum, fines Gallorum & Germanorum ea ætate ingreſſi & ab hoc fortiter repulſi, non quidem ſine privatarum rerum detrimento, ſed cum publicarum tamen ſalute. Hic feretrum, quo reliquiæ Divi Bonifacii ſervantur, auro, argento & gemmis exornavit. Præfuit autem 26. annis. Obiit anno Domini 900.

10. *Helmfridus*, functo vita Hoigero, Eccleſiæ Fuldenſi præficitur anno Domini 900. Hic vir miræ probitatis diſciplinæ ſuæ creditos fratres exemplo ad æmulandum movit, muroque primus monaſterium cinxit, & cætera ædificia vetuſtate collapſa inſtauravit. Crucem auream, margaritis inſignibus conſpicuam & gemmis, dedicavit. Cum ſcholam ſibi commiſſam domi ſancte vivendo, foris muniendo ornandoq; fundaſſet, obiit regiminis ſui anno 16. fratribus ſui deſiderium relinquens maximum, Chriſti vero anno 916. *Crux aurea Fuldæ.*

11. *Heichio* ſucceſſit Helmfrido, de quo nihil memorabile comperitur, quod an incuriæ ſcribentium, an temporis, quo præfuit, anguſtiæ adſcribendum ſit, dubium eſt. Octo vero annis adminiſtrato Fuldenſis Abbatiæ regno mortuus ſucceſſorem accepit Hildebrandum.

12. *Hildebrandus*, Oſtrofrancorum Dux, conſtituitur Abbas anno Chriſti 925. Hic authoritate Moguntinenſis catalogi, Hilberti nomine citatur, vir neſcio vitæ ne ſanctitate an literarum cognitione magis celebrandus. Prædicatur enim ſpiritum propheticum habuiſſe. Cujusmodi autem magiſtratum geſſerit, vel hinc conſpicuum eſt, quod ubi tribus præfuiſſet Eccleſiæ Fuldenſi annis, ad Archiepiſcopalem Moguntinæ cathedræ ſedem vocatur, nec judicium fefellit eorum, qui dignum cenſuerant, quem tantæ dignitati præficerent. Decem enim annis adminiſtrata

Abbas Fuldensis designatur Rom. Pontifex.

strata auctaq; provincia pie moritur, qui pie vixerat. Decessit vero anno Domini 938. Sepelitur Moguntiæ apud S. Albanum. Legitur designatus summus Pontifex, sed citius evocatus rebus humanis, quàm Romam migraret.

13. *Hadamarius* Fuldensis Ecclesiæ functioni præficitur, transmisso Hildebrando sive Hilberto Moguntino. Is Pii cognomen virtute sua meruit, datamq; provinciam administravit 28. annis, in annum videlicet 956. quo ex hac mortalitate ad immortalem vitam concessit. Intercedunt igitur ab electione Sigehardi, usque ad mortem Hadamarii hujus, secundum supputationem fratris Hersveldensis, qui alterius electionis & mortis alterius tantum meminit, anni octuaginta septem. Unde satis constat, superiores quatuor ab Hersveldensi intermissos. Præfuit igitur Sigehardus annis sex, sedensq; in monte S. Joannis, Hoigerum accepit successorem annis viginti sex. Deinde secutus est *Helmfridus*, rexitq; annis sedecim. Qui numerus si non fallit, constat, anno proximo, qui mortem hujus Helmfridi anteceſſit, vastantes omnem viciniam Ungaros Fuldam veniſſe. Præfuit deinde *Heichio* annis octo, post quem *Hildebrandus* annis tribus: qui Archiepiscopus Moguntinus designatus successorem Abbatiæ accepit Hadamarium, cujus Hadamarii anno

Fulda incendio perit.

sexto famosissimum illud Fuldense monasterium igne consumitur unà cum templo, quod ab ipso Hadamario non minoribus impensis est instauratum, quàm ab antecessoribus fuerat constructum. Ottone autem rege tum in Hersveldo agente, hoc incendium ortum est. Hujus Abbatis fidei Fridericus, filius Regis Franciæ (quam vero ob causam, non satis constat) sub monastico habitu custodiendus traditur. Sub hoc ipso etiam Abbate pleriq; fratrum Fuldensium contraxerunt matrimonia, cujus tamen rei exitus nusquam invenitur. Obiit Abbas ille anno salutis nostræ 956.

Monachi ducunt uxores.

14. *Hatto*, cognomento *Bonosus*, subrogatur mox in defuncti locum. Is cum egregii animi specimen per duodecim dedisset annos, in Archiepiscopum eligitur Moguntinum. Dignus enim est majori functione, quisquis inferiorem pro dignitate ad-

Honores non con-

ministrat. Turpissime autem labitur, quisquis, cum ad culmen honorum ascendit, licere sibi putat, quidquid libet. Utriusque exemplum sese præbuit Hatto. Hic enim, cum fame ingruente pauperes non haberent, unde alerentur, multitudinem egentium in horrea quædam, ut quæ alimoniam ibi & frumenta acceptura esset, vocatam admotis ignibus combussit. Demum à muribus corrodentibus ipsum justo Dei judicio in medio Rheno, prope Bingam, consumitur, cujus futuræ pestis præsagium erat, quod nomen ipsius è pictis quoq; parietibus mures, adhuc ipso incolumi, abrodebant. Factum id legitur anno Domini 969. cum præfuisset Moguntiæ undecim saltem mensibus. Indignus est, cujus nomen duret, quisquis (cum beneficiis fortunam faventem demereri posset) ut male audiat, magis meretur.

ferunt quidvis agendi licentiam.

Archiepiscopus devoratur à muribus.

15. *Wernerus*, aut (ut in Othonis Imperatoris diplomate legitur) *Werinharius*, filius materteræ Divi Udalrici, Episcopi Augustensis, subrogatur Hattoni anno 969. Hic Paradisum circumjacentibus ædificiis ornavit, sacellumq; in ambitu ædificiorum, quod D. Udalricus Episcopus S. Joanni sacravit, postea collegium studiis deditorum fratrum pietati nuncupavit, in Borstal, quod ab ipso satis ornatum Canonici ipsius hodierno die possident: demum undecimo sui regiminis anno cum Imperatore Othone II. contra Saracenos in Calabriam profectus, in ea expeditione fortiter pugnans unà cum Henrico, Augustensi Episcopo, reliquisq; fortissimis viris occubuit, Imperatore Ottone vix fuga & subsidio Saracenicæ linguæ servato. Meminit harum rerum *Lambertus Hersveldensis*. Habent & alia Chronica, Cardinalem illum fuisse. Occiditur autem anno Salutis humanæ 982. mense Julio. Hersveldensis Chronographus post factam Wernheri mentionem meminit Branthonis, quod ex Abbate factus sit Episcopus Halberstatensis, cui deinde successerit Richardus in Abbatia.

Abbas Cardinalis.

Idem numerat quadraginta unum annos ab occiso Wernhero ad jam dictum Branthonem, à Branthone annos decem & octo ad Richardi Abbatis mortem, cui deinde Sigewardum, sicuti & nos, subjicit. Verum in priori descriptione temporum occisi

cisi Wernheri & Branthonis, Episcopi Halberstatensis, verisimile est, aliquos Abbates interfuisse, licet de tempore non admodum constet.

16. *Brantho*, alibi Branthochus, successit Wernhero anno 982. cumq; novem præfuisset annis, moritur anno videlicet 991.

17. *Hatto* excipit Bronthonem. Is sex annis præfuit, & ex hujus vitæ eremo evocatur anno 997. Aliqui Archiepiscopum Moguntinum designatum affirmant, sed non invenio, sub his temporibus præfuisse Moguntiæ Hattonem aliquem.

18. *Brantho*, ex Abbate Laurisheimensi Abbas Fuldensis designatus 997. anno, Hattoni rebus humanis exemto, subjicitur. Præfuit annis 16. fideliter, vir melioris vitæ, quàm fortunæ, siquidem anno Domini 1013. indicta causa, adversante Imperatore Henrico Claudo, loco cessit. Nec deseruere patrem filii, siquidem & illi deserto monasterio passim apud eos, qui & justitiæ & pietati favebant, sedem quærebant: quorum in locum, monachi Laurisheimenses, cum Abbate Poppone, successerunt.

Virtus latere non potest. Attamen ne virtus in obscuro esset, qui Abbas esse non potuit, Episcopus Halberstatensis virtutis ergò esse potuit. Hersveldensis Chronographus, omissis Poppone nuper dicto & Popponem sequente Erckenboldo, Richardum subjicit Branthoni. Verum nos alienæ invidiæ sive ignorantiæ non cedentes, Popponem præponimus & decimum nonum Abbatem facimus.

19. *Poppo*, Laurisheimensis, expulsis fratribus indigenis, succedit cum advenis anno 1013. vir nobili genere, vulgo aus dem Grabfeld ortus. Præfuit annis quinque ad annum usque Domini 1018.

20. *Erckenboldus*, alibi Herimboldus, Archiepiscopus Moguntinus, S. Bernhardo, Hildesiano Episcopo & Comiti à Summorsenburg, sanguinis propinquitate conjunctus, anno Domini 1018. Popponi successit, & monasterii, ex quo antea ad gubernationem Archiepiscopalis sedis assumtus fuerat, pater & gubernator factus est, retento nihilominus Archiepiscopatu. Obiit anno 1020. Sepelitur Moguntiæ in templo S. Joannis. Circa hæc ferè tempora Benedictus, Pontifex maximus, & Heinricus Impe-

Pontifex & Impe-

Imperator Fuldam venerunt, veteraque anteceſſorum privilegia rata habentes & nova conferentes, ea publice per Archidiaconum proclamari fecerunt. *rator Fuldenſia privilegia confirmant.*

21. *Richardus*, quem Hersveldenſis Branthoni ſubjicit, omiſſis duobus proxime dictis, & meminit tamen Erckenboldi cujusdam, qui eodem tempore Archiepiſcopus Moguntinus obierit, eligitur anno 1021. Abbas Fuldenſis. Is vir fuit miræ abſtinentiæ, qui mox tamen, liberaliter conſtructis duobus monaſteriis, ſcilicet Amorbachenſi, quod S. Simplicio ſacravit, & altero S. Andreæ in ripa fluminis Fuldæ, eodem tempore duobus monaſteriis Abbas præfuit. Cumq; eſſet indefeſſi inexhauſtiq; laboris, de loco in locum migrans fratres ſevera quadam diſciplina coercuit, nec defuit diligentiæ licet abſens, ſed animo vigili ubiq; præſens experimentum divinæ cujusdam mentis de ſe dedit. Erant ejus ætatis monachi, alii in deſcribendis clariſſimorum autorum monumentis, alii ſcribendis ac dictandis propriis, alii docendi, alii diſcendi laboribus ita occupati, ut caducarum frivolarumq; rerum eos facile caperet oblivio. Erat enim Fulda, pulcherrima Academia honeſtiſſimarum rerum & diſciplinarum, quarum decens cum Chriſtianæ pietatis religione collatio mores effrenes non ferebat. Porro ubi harum rerum friguit ſtudium, opus fuit arctiori diſciplina & vitæ genere ſeveriore, nevidelicet ignavo otio animi ad cœleſtia generati torpeſcerent. Hic igitur pius pater habitum monaſticum fratribus dedit, & tonſuram adjecit, monaſteriaq; ſua omnia ad D. Benedicti regulam reformavit: moriturque adminiſtrationum ſuarum anno ferè decimo octavo, Chriſti nimirum anno 1039. *Amorbacenſe cœnobium. S. Andreæ cœnobium. Monachi diligentes. Fuldæ laus. Monachi Fuldenſes aliter veſtiuntur, quā prius conſueverant.*

22. *Frigevardus*, aliis Sigehardus & Sigewardus, ſucceſſit. Is adminiſtrationis ſuæ anno quarto in Epiſcopum Hildesheimenſem poſtulatur, contra quem tamen alius ab Imperatore Henrico III. Epiſcopatui intruſus legitur. Facilis inde conjectura eſt, quantos & quales viros ſchola Fuldenſis enutrierit, ex qua veluti ſapientiæ, eruditionis, ac optimorum morum penu tot Epiſcopi, Archiepiſcopi & Cardinales, mundo exhauſto quodammodo doctorum virorum ingeniis, prodierint. Ex hoc

gymnasio Pontifices Ecclesiarum præsules, hinc summum Imperium senatores & consiliarios, hinc cæteri Principes rerum suarum tutores & curatores petebant.

23. *Robingus*, vicesimus tertius Abbas, Sigevardo successit anno 1043. Tabulæ ejus (quæ nunc etiam cum admiratione visitur) architectus singularis & liberalis, quam etsi morte præventus absolvere nequiit, necessariis tamen rebus comparatis cavit, ne celeberrimum opus infectum relinqueretur, collatis ad operis absolutionem margaritis conspiciendis, & auro, quantum satis erat. Moritur in comitatu Imperatoris Henrici III. Romæ anno Domini 1047. anno vero acceptæ dignitatis quarto, cum eodem anno in ipso sancto Servatoris nostri Jesu Christi natali ab eo Clemente Papa consecratus esset, qui antea Episcopatui præfederat Bambergensi, ubi Swiggerus dictus legitur.

24. *S. Bardo*, nobilis de Oppershofen ex Wederovia natus, ex Hirsveldensi Abbate Archiepiscopus Moguntinus factus, gubernandam accepit Abbatiam etiam Fuldensem anno Domini 1047. ac etsi sequente anno à conventu Fuldensi concordibus suffragiis eligeretur Ecbertus quidam monachus in Abbatem, tamen S. Bardo præcipuus ejus loci gubernator mansit ad annum usque Domini 1051. quo legitur in Domino obdormisse. Inter præcipua ejus opera hoc recensetur, quod templum à Friderico, Galliarum Regis filio & monacho, inchoatum absolverit consecrarique; curarit. Obiit 1051. Moguntiæ, ubi in medio Ecclesiæ Cathedralis, quo loco nunc pinnaculum S. Martini visitur, conditus quiescit.

25. *Ecbertus*, ab aliis Eppo dictus, ab *Hermanno Contracto* Eberhardus, eligitur anno Domini 1048. statim post Natalem Domini. Præfuit annis decem, quibus opus, à Rohingo cœptum, ad calcem perduxit, & constructo fratrum dormitorio, commodissimisque casis aliisque officinis, studiis & exercitationibus fratrum necessariis, obiit relicto post se pietatis & animi præstantiæ nomine & gloria anno 1058.

26. *Sifridus*, Baro de Eppenstein, Ecbertum excipit, vir religioni deditissimus, prudentiæ singularis. Quibus nominibus cum

cum rectæ administrationis gloria ad vicinas & contiguas nationes emanaret, post alterum Abbatiæ annum in Lupoldi, Archiepiscopi Moguntini, defuncti locum subrogatur, authore Henrico IV. dehinc ad invidiam Imperatoris à Gregorio Papa summovetur, mox tamen restitutus per Urbanum Pontificem. Hic Ecclesiam B. Mariæ ad gradus cognominatam ædificavit. Moritur reversus ex peregrinatione Divi Jacobi Compostellani ac Hierosolymitana cum Archiepiscopis, Treverensis & Coloniensis Ecclesiarum, Engelberto & Annone, anno Dñi 1284.

27. *Wideradus* ejusdem familiæ, Baro videlicet de Eppenstein, ejusdemq; cœnobii monachus, successit Sifrido in Abbatiæ gubernatione anno Domini 1060. Hujus Abbatis res & fortunas omnes, concertationem item cum Echilone, Episcopo Hildeshemensi, Fuldensiumq; monachorum seditiosas in eum conspirationes & actiones, non minus verè quàm eleganter describit *Lambertus Schaffnaburgensis*, Chronographus Hirsveldensis, in celebratione anni Christianorum 1063. idcirco supervacaneum arbitramur quicquam eorum huic brevi saltem catalogo adjicere.

Porro ipse Abbas in expeditione Imperatoris frequens, cum Imperatorem secutus versus monasterium Breittingen iter arriperet, jam provectæ, imo confectæ potius ætatis, in ipso curru suo frequentium militum magno strepitu & ingenti pulveris motu suffocatur & in monasterium Breittingense semianimis delatus moritur anno 1075. Satis constat, Ecclesiam Fuldensem plus æquo hujus Abbatis tempore afflictam fuisse. Siquidem Rupertus Bamberger, homo omnium, quos mundus habuit, ambitiosissimus, ingenti pecunia emit, ut, eximio sanctitate viro Widerado amoto, ipse Abbas Fuldensis designaretur. Sed jure frustra impendit pecuniam, qui usum pecuniæ ignoravit.

Burgpreitingum cœnobium ad Weram vel Visurgin fluvium.

Anno igitur salutis nostræ 1075. Imperator Henricus IV. ex Breittingensi agro Wormatiam reversus, altero adventus sui die, undecima videlicet Kalendarum Novembrium, ad eligendum Fuldensem Abbatem cum Principibus assedit. Grandis erat inter Abbates & monachos, qui ex diversis locis confluxerant,

Discordantes in

ter se Monachi ob Abbatiam consequendam

rant, concertatio: siquidem, veluti solemniter indicto certamine Olympico, singuli pro viribus accelerantes, alius aureos montes, alii alia beneficia ex Fuldensi ditione, alius consuetis majora in rempublicam servitia promittebat: nec modus erat promittendi nec pudor ambiendi, quorum Imperator in hac saltem parte ut prudens, ita religiosus impudentiam, ut dignum erat, detestatus, cùm hinc inde importune obtundentium precibus urgeretur, veluti divino, ut creditur, spiritu compulsus, monachum quendam Hersveldensem, pium & doctum *Ruthardum*, aliis per vocis diminutionem *Ruzelinum* dictum, qui pro causa monasterii Abbatis sui jussu ad Curiam venerat Imperatoris, in medium evocat. Et nihil minus suspicanti, etiam inopinatæ rei miraculo pene exanimi, plurima item alleganti, quibus sese excusaret & gubernationis onus potius, quàm honorem à sese removeret, baculum pastoralem offerens, primus Imperator Abbatem eum eligit, deinde apud cæteros tam monachos quàm seculares, ut electioni consentiant, obtinet: ita cunctis, qui aderant, lætissima acclamatione suffragium ferentibus Ruthardus provinciam subire cogitur. Hic fratribus ad B. Virginem, & ad D. Michaelem Deo servientibus providit & cavit, ne quid ad alimoniam deesset. Moritur anno Dñi 1096. regiminis sui 21.

Henrici IV. prudentia in eligendo Abbate Fuldensi.

29. *Gottfridus*, aliis Gotthardus nominatus, mox (sed parum prosperis auspiciis) magistratum accepit, siquidem hoc Abbate Ecclesia Fuldensis miris affligitur modis, tam domesticis quàm externis videlicet malis. Causa enim externorum malorum erat dissensio inter Imperatores Henricum IV. & V. patrem & filium; unde domestica mala mox sunt secuta, siquidem defuncto Imperatore patre, cujus partibus faverat Godfridus, accusatur à suis apud filium principis defuncti, quod bona Ecclesiæ commissæ prodigaliter pessundaret & laicis nescio quibus non magni momenti hominibus erogaret, domesticis interim fratribus neglectis & subtracto eis solito dimenso. Prævaluit igitur accusatio in tantum, ut amotus ab officio & dignitate, cum religionis ergò Coloniam migrasset, moreretur etiam illic anno gesti magistratus decimo tertio, Christi vero anno 1109.

30. *Wolff-*

30. *Wolffhelmus* amoto Godfrido succedit, nihilo meliorem quàm antecessor expertus fortunam. Urgentibus siquidem rebus arcem Häselstein obsedit non sine jactura rerum monasterii. Ingenii tamen industria plurimum claruit, susceptis infinitis laboribus. Cumq; Imperator Henricus V. & Ludovicus Dux pro Thuringia inter se digladiarentur, & Abbas Wolffhelmus societate cum Abbate Hersveldensi inita, Wartenburgum castrum obsideret, captus ibi per triennium in arce Mülsenbergo servatur, sed tamen postea liberatur Imperatoris beneficio. Hinc sacellum S. Alexandri inter murum & vallum, quod muro objectum est, dedicavit. Cumq; graviter à suis accusaretur apud Cæsarem, ut inconsultus Ecclesiæ suæ bonorum dilapidator, amovetur anno regiminis sui quinto, quo & moritur, anno videlicet Domini 1114.

Hasel-stein.

Warten-burg.

31. *Ehrlolffus*, monachus Murbacensis, ab ipso Imperatore Henrico V. intruditur. Erat vir sublimis ingenii, prudentiæ singularis & facundiæ raræ, quibus virtutibus si uti magis quam abuti voluisset, tanto multis mortalibus fuisset præstantior, quanto prudentia & eloquentia conjunctæ sunt rariores. Præfuit quidem annis octo, sed non modo non profuit, imo plurimum etiam obfuit, dum aliena potius, quàm sua curat. Sub eo monasterium penitus collapsum est anno salutis humanæ 1120. sexto sui regiminis. Cœpit tamen munire Hasselsteinium & Mülsenburgum arces: suscepta tandem cum Brunone, Spirensi Episcopo, totius regni ad sedem Apostolicam legatione, Wormatiam inde ad Imperatorem reversus, moritur altero lapsi Ecclesiæ Fuldensis status anno post natum Christum 1122.

Virtutum abusus.

Mülsen-burg.

32. *Udalricus*, Abbatiæ Fuldensi præfectus, benedictionem accepit Romæ à Pont. Max. Calixto II. vir optimæ conversationis, integer & liberalis, qui cœpit instaurare monasterii lapsi ruinas. Cumq; utramq; porticum, orientalem videlicet & occidentalem, jam penè absolvisset, ruit & occidit iterum adversante fortuna is, qui (ne status totius Ecclesiæ funditus corrueret) autor fuerat, Callistus videlicet Pontifex. Venit ergo legatus quidam alterius Papæ Honorii II. Fuldam cum Imperatore Lothario,

qui tam cives quàm fratres, invitos etiam à juramento & votis Abbati huic præstitis absolvit, ad invidiam (ut apparet) defuncti pontificis Calixti. Amotus igitur Udalricus Abbas anno Domini 1127. Herbipolim secessit, nihil immutans à priori vivendi ratione, veluti qui injuriam illatam non sentiret. Ibi igitur mortuus quiescit. Præfuit annis quinq;.

33. *Henricus* de Kemmenata, Decanus Fuldensis, in amoti Udalrici locum sufficitur, præsente Lothario Rege, vir magnæ facilitatis & modestiæ, quibus virtutibus facilius amorem sibi conciliavit omnium hominum. Acceptis ergo à sceptro regio regalibus & fidelitatis præstito juramento, ita cœpit præesse, ut spes nemini non esset, illum instauratorem futurum accepti regiminis. At cum reverso Fuldam Lothario, animadverteret Ecclesiam fidei suæ commissam valde periclitari, thesauros diripi, cultum religionis negligi, sibiq; magis in expeditionibus Imperatoris, quàm religionis studiis versandum & plurima servitia, præter æquum & justum, Imperatori præstanda esse, obtrusam ille Abbatiam iterum in manus Regis resignavit. Nihilo tamen secius in Episcopum paulo post Frisingensem promovetur, authore *Othone Frisingensi Chronographo*. Non potest latere virtus, quocunq; loco fuerit.

Fuldensis Ecclesiæ miser status.

34. *Berthous Schlicko* vel *Schliczius*, ejus familiæ, quæ hodie adhuc in Buchovia cognomento Gorcensi celebris est, ad Fuldam fluvium præpositus major, eligitur in Abbatem anno 1133. vir ingenii magni, quod dicendi studio præclare excoluit, non deserta interim genuina probitate. Mox ab electione cum Imperatore Lothario Romam profectus benedictionem à Pontifice, regalia ab Imperatore accipit, adjunctis novis privilegiis gestandæ mitræ, baculi, annulorum, cæterorumq; Pontificalium ornamentorum. Scio hæc à plerisq; pro contemtu haberi & ambitioni quàm religioni viciniora. Verum si cætera non desint, pietas erga Deum, lenitas & mansuetudo erga subditos, prudentia & solertia rerum gerendarum, honesta & tuta vitæ ratio sine offensione, dispeream, nisi hæc ornamenta nescio quid mereantur authoritatis apud eos, quibus præsis, & spiritus afficiunt intuen-

Abbas ornamenta Pontificalia consequitur.

Ornamenta sacris personis non denegenda.

tuentium. Quo enim deterioris fuit conditionis Aaron in tanto pretiosissimarum rerum ornatu? Animus siquidem est, qui ornat & deformat: habitus exterior, prout animus fuerit. Accidit sub hoc Abbate, ut, orta seditione & contentione inter ipsius & Archiepiscopi Magdeburgensis ministros de primatu sedendi, lis tanta dijudicanda ad Imperatorem etiam ipsum perveniret: ubi magnanimiter agente hanc suam causam Abbate, ipsius Augustæ Imperatricis (cujus perpetuus Archicancellarius est Fuldensis Abbas) favore & ope facile obtinuit, ut sibi princeps sedendi locus adjudicaretur. Præfuit non plenis duobus annis. *Abbas Fuldensis sessione prior Magdeburgensi Archiepiscopo.*

35. *Conradus*, præpositus major Ecclesiæ Fuldensis, consilio & authoritate Divi Bernhardi, Abbatis Clarevallensis, Abbas designatur anno salutis Christianæ 1134. Huic gloriam & authoritatem religio, liberalitas & temperantia faciebant, ita ut mox à Cardinale legato confirmaretur. Hic novis beneficiis montem D. Petri locupletavit. Sex continuis annis fuit in expeditione Imperatoria non sine magna authoritate per Italiam, Galliam & Germaniam. Defunctus tandem septimo electionis anno in monte S. Petri sepelitur extra Fuldensem urbem.

36. *Alerholffus* Conradum sequitur anno 1140. præficiente illum Imperatore, consentientibus omnium animis. Fuit durus in fratres, inhumanus erga omnes. Quare cum non admodum sincere provinciam administraret, & alia quoq; mala suborirentur, per Eugenium Papam exauthoratur administrationis anno octavo.

37. *Ruggerus* diaconus succedit Alerholffo, tantæ probitatis vir, quantæ improbitatis fuerat antecessor, quo placabilior omnium consensu electio fuit, cum ille nihil minus vellet, quàm sese eligi, &, quibus posset, viribus obniteretur. Sed quod ipsius recusabat integritas, summa Cæsaris exigebat majestas: siquidem Henricus Imperator, Lotharii gener, dignum hunc judicabat, quem ad Concilium mitteret Remense, quo missus, quibus poterat, modis omnibus obtinuit à Pontifice, ut sibi privato vivere liceret, quod obtinuit annuente tandem etiam Rege in electionem Henrici Hersveldensis. Quare Ruggerus non integro tandem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dem expertus anno, quanta esset commoditas privatorum, incommoda magistratuum conferens secessit in montem Beatæ Virginis, ibiq; se includens mentem ad divinarum rerum studia & contemplationem convertit, ut quæ à sordibus secularibus aliena esset & liberrima.

38. *Henricus* autem, sub quo status Fuldensis ecclesiæ variis casibus affligebatur, duobus tantum annis præfuit, & videns res Fuldenses afflictas, cùm fratres etiam conditionem miseriarum suarum non modo apud Pontificem Romanum, verum etiam apud Imperatorem, qui tum apud Treveros agebat, deplorarent, cessit male propitiæ fortunæ, initoq; consilio cum fratribus, liberum ipsis permisit, undecumq; vellent, idoneum Abbatem quærere. Elegerunt igitur summo illis favente Imperio, consentientibusq; vicinis Principibus, Marquardum Bambergensem ex montis monachorum cœnobio accitum, confirmandumque summo Pontifici tradiderunt.

Hasel-stein.

Fulda muro communitur & fit civitas.

39. *Marquardus* igitur electus ita, ut dictum est, concordibus omnium suffragiis, confirmatus etiam anno 1150. expositus variæ fortunæ casibus, quò tutius ipsis resisteret, arcem Haselstein, ab antecessoribus per vim occupatam, pecuniis numeratis persolvit ac emit: Fuldam vero muro munivit civitatemq; fecit. Arcem Eberstein vi cœpit: turres duas suspendendis campanis erexit: sanctuarium orientale & D. Virgini olim nuncupatum instauravit. Instaurata vero & cryptoporticu, in aulam accersitus à Friderici Imperatoris latere nunquam per integrum annum cessit, exhaustusq; ibi laboribus tandem Abbatiam his, à quibus eam acceperat, reddens ad monasterium Bambergense reversus est anno gubernationis suæ 14. Verum Imperator ex Italia rediens & è Fulda eum abiisse audiens, præposituram montis novi in Bischoffsheim ei possidendam tradidit, ubi tandem mortuus & terræ redditus est.

40. *Hermannus* Hersveldensis anno 1165. in Abbatem eligitur, qui, cum non minori authoritate & sedulitate, quàm antecessor, Imperatoris lateri adhæreret, eumq; per Italiam comitaretur, à Paschali quodam, Pontifice Romano, confirmationem accepit

accepit, impetratoq; privilegio minores ordines Episcopali authoritate conferendi, languore confectus obiit, anno sui regiministertio, anno Christi vero 1168.

41. *Burcardus*, Hersveldensis monachus, non minus publico, quàm privato malo Abbas designatur anno, qui à Christiana salute numeratur 1168. homo prorsus vesanus & perfrictæ frontis, qui mira asperitate & inhumanitate fratribus & victum & amictum subtraxit, bona Fuldensis ecclesiæ abalienavit, quæ abalienare nequiesset, devastavit, ad extremum collectis rebus pretiosioribus & suppellectile principali, vehiculo in Wettereibiam vel Wetteroviam, qua potest, celeritate profugit: ubi cum valetudinarius decubuisset, animam excommunicatus efflavit, defunctusq; in modica cellula monasterii monialium (quod Rhetoris vocant) ibidem sepelitur, cum octo annis neq; sibi neq; aliis profuisset. *Rheteris cœnobium.*

42. *Ruggerus* diaconus substituitur Burcardo, integer saucio, sanus vitioso, optimus deterrimo. Hic enim non minus literis, quam pietate insignis Abbatiali vestitu ornatur in Italia, unde reversus Xenodochium pauperum (quod hodie in Fuldensi oppido visitur) construxit annuisq; pensionibus dotavit. Cumq; duobus tantum præfuisset annis, abdicato principatu, in montem D. Virginis, præpositus factus, anno Domini 1178. secedit, & ne deterioris in præpositura, quam Abbatia, vicem fungeretur, montis sacri ædificia ampliora augustioraq; fecit, & ibidem quoq; hospitalem pauperibus domum locupletavit: cujus pietatem literæ quoque ornant, siquidem Bibliothecam quoque construxit, eamq; optimorum authorum insignibus decoravit monumentis. Ad extremum valetudine adversa correptus, bonam vitam bono fine finivit. *Xenodochium.*

43. *Conradus*, diaconus & præpositus in Solæ Abbatis curia, vulgò Sollhoven / ingenti multorum mortalium consensu Abbas eligitur absens anno 1179. quare, dum in Italiam Friderici Imperatoris salutandi gratia proficiscitur, ab eodem magna excipitur benevolentia & regalia majorum more recipit: mox Romam profectus sacerdos ordinatur, accepta simul coronatione &

benedictione, quæ Abbates decent. Deinde Fuldam reversus, cum vix præsidere cœpisset, mox in eũ factio oritur ingens, quod Crucem auream, mille talentorum precio æstimatam, Imperatori daturum sese promiserat. Obtinuit vero conventualium consensus, ut crux illa (lenito aliis rebus Imperatore) Fuldæ maneret. Moritur autem Conradus anno principatus sui 13. Christianorum anno 1192.

44. *Henricus* de Cronnberg magistratum accipit. Hic primum monachus Cambergensis, amicorum auxilio Præposituram S. Joannis accipit. Deinde, mortuo Conrado, rursus eisdem amicis causam fideliter apud Imperatorem agentibus, (licet indigenis Fuldensis ditionis ægre ferentibus) violenter Abbas intruditur: intrusus parem volentibus eum Abbatem gratiam refert. Pleraq; enim prædia alienavit, feuda Ecclesiastica profanæ conditionis & fortunæ viris concessit, fratribus dimensum ciborum diminuit & vestitu leviore amicivit. Quapropter, gravi orta dissensione, fratres causam ad summum Pontificem deferunt, quod ubi Abbas comperit, diem statuit convocatis utriusq; partis factionibus sui purgandi causa, quo die correptus morbo Abbas interiit: defunctum monasterii Advocati honorifica dignantur sepultura 24. tyrannidis anno, incarnati Verbi 1216.

45. *Hartmannus*, montis S. Petri præpositus, in defuncti locum succedit, qui eodem anno, quo electus est, priusquam confirmaretur, obiit.

46. *Cuno* de Elevaco, forte Elewangen, Gottboldus cognominatus, Abbas Elefancensis, egit interim causam monasterii apud Imperatorem Fridericum II. Mortuo igitur Hartmanno, pauci fratrum pro more etiam tantum apud Imperatorem effecerunt, ut is reliquis licet invitis Abbas tamen designaretur. Vir erat in secularibus negotiis non parum strenuus, & quia confirmationem à sede Apostolica non acceperat, renuerunt ei fratres solitum præstare juramentum. Quarto itaq; anno gubernationis suæ ad Abbatiam Elefancensem rediit.

Hamelburgum fit oppidum.

47. *Conradus* de Malcks subrogatur, ano 1220. Hic ex Hammelburgo oppidum fecit, juxta veteres versiculos:

Abbas

Abbas Conradus, de Malckos nomine dictus, Hamlburg circumdat muris & mœnia fundat.

Conflixit graviter cum Episcopo Herbipolensi, Hermanno, Barone Lodenburgio, propter has ipsas civitatis Hamelburgensis inceptas & tandem etiam absolutas munitiones. Episcopus, volens civitatem occupare, ab Abbate fugatur, multi equestris ordinis capiuntur, quos Episcopum certis conditionibus redimere oportebat. Fuit utilis gubernator, siquidem præter cætera, archidiaconatum & jurisdictionem synodi perpetuis temporibus Fuldensi ecclesiæ contulit. Talis igitur cum esset, nempe commodorum commissæ sibi ditionis studiosissimus, Abbatiæ tandem anno Domini 1248. renuntiavit, quam annis 28. bona fide rexerat. Legitur ex hac mortali vita concessisse ad aliam anno 1249.

48. *Henricus, de Ertell vel Ehrtall*, Nobilis ex Buchovia natus. Is ex decano Abbas factus successit resignanti Conrado anno 1248. quo tempore, cum Imperator Fuldæ esset, Hersveldenses graves querimonias in Abbatem cœnobii sui adferunt, quibus motus Imperator hunc eundem Henricum Hersveldensibus quoq; Abbatem destinat: cumq; utriq; monasterio optime consultum vellet, cives Hersveldenses (quibus mos, unde deductus nescitur, Abbatibus suis potius præesse quàm subesse) Abbatem Wernherum, nuper motum dignitate, repetunt. Quare noster Abbas suis contentus finibus, eos munire contra vim prædonum statuit. Hamelburgum enim muro prius circumdatum magis munivit, similiter & Mackhenzell, Bruckenaw, Neugenhossen, patriam Ewaldi à Creutzenach, Stoltzbergum muris, vallis & fossis cinxit: munitiones vero & arces raptorum diruit, Jogbergum videlicet, Witterspergum, Trumpergum, Kralukium, Muglerium, Malckes, Bimbach, Eschenbach & Luther; quarum ruinæ hodiernis temporibus videntur: prædonesq; ex omni ditione sua fortiter profligavit: mox cives Hersveldenses temeritatis suæ pœnituit, quum magnanimitatem & cæteras hujus viri virtutes exploratas haberent. Quare veniam erroris deprecantur, & hunc ipsum, quem principem ferre noluerunt, tutorem

Civium Hersveldensium authoritas.

Abbas ex rapto viventium Nobilium hostis victorioſus.

torem & patronum fortunarum suarum experiuntur, recipientes anno 1258. Obiit autem anno redemtionis nostræ 1261. cum tredecim ferè annis laudabiliter præfuisset.

49. *Bertholdus* de Leuppolds, Præpositus montis D. Petri, successit Abbati Henrico anno 1261. & tam principem quam patrem suis sese exhibuit. Arcem enim Haselstein cum prædiis & pagis adjectis comparavit. Oppidula Lutterpach & Bridenbach à fundamentis construxit & munivit. Publicas vias à latronum incursionibus repurgavit & tutas fecit, præstititq; tam peregrinantibus, quam incolis pacem ac securitatem; siquidem circumjacentium centaurorum quorundam latibula & præsidia, quæ antecessor aliis negotiis distractus intacta reliquerat, quæq; subinde hostilibus animis muniebantur, dejecit. Blanckwaldum enim, speluncam latronum, in scholam devotarum Christo Virginum convertit: Franckenstein vero, Wartenburgum, Schwartzenfelsum, & Eisenbachium castella cum oppido Bischofstein evertit, pulsis profligatisq; latronibus. Qua diligentia cum per integrum decennium præfuisset, conspiratum est in eum ab iis, quibus plurimum contulerat beneficiorum. Ab his impiis sicariis 15. Calendarum Aprilis, cum in sacello D. Jacobi ad altare cœnam Dominicam sumturus accederet, multis prius vulneribus confossus, capite tandem truncatur. Paricidæ ad arcem Steinaw confugiunt: occisum vero patrem fratres & cives cum fletu & planctu eodem loco, ubi cæsus erat, conditum reponunt.

Blanckenwald cœnobium.

Iterum vastantur latibula latronum.

Abbas ad aram trucidatur.

50. *Bertholdus* de Mackencell, nobilis Buchoviæ, præpositus S. Andreæ, eligitur in Abbatem anno 1271. homo admodum simplex & negotiorum secularium inexpertus: attamen videns, in magistratus sui functione requiri animum fortem & strenuum, exemplo Bruti ejus, qui primus reges Romana urbe ejecit, omni posita stultitiæ sive ignaviæ simulatione, antecessoris mortem strenue ultus est. Asylum namq;, in quod se paricidæ recepserant, succendit igne: paricidas numero triginta gladio percussit, combustis equis viginti duobus. Porro cum confirmationem suam plus anno distulisset à sede Apostolica accipere, in periculum venit alterius Abbatis eligendi. Quare inita amicitia, Wernherum,

Asylum malorum, evertendum.

herum, Archiepiscopum Moguntinum, genere Comitem à Falckenstein, defensorem suarum partium & tutorem accipit. Otto vero inde magno schismate, cum Wernherus adverteret, Fuldensem ditionem accepturam ex tali discordia cladem aliquam, sponte cessit primo adhuc tutelæ suæ anno.

51. *Bertholdus* de Bimbach, vir nobilis ex Buchovia natus, decanus antea ecclesiæ Fuldensis & præpositus montis S. Petri, cedenti Bertholdo substituitur anno redemtionis humanæ 1274. In hoc visum est iterum lumen veluti Fuldensis Ecclesiæ oriri velle. Postquam enim confirmationem Pontificiam impetrasset in concilio Lugdunensi à Papa Gregorio X. è Roma reversus in patriam latibula prædonum & latronum præsidia nonnulla funditus subvertit. Destructæ sunt enim ab eo arces Huna, Mackenzell, Manspach, Bimpach & Aldenburg, cumque vir magnanimus octo præfuisset annis, regiis nuntiis anno Domini 1282. Moguntiam vocatur. Imperator vero administrationem Fuldensis ditionis Eberhardo Comiti cuidam de Zigenheim commisit. Eberhardus vero Bertholdum quendam de Liesburg sibi substituit, unde Ecclesia Fuldensis per 4. integros anno vulturibus commissa, quantum miseriarum exantlarit, difficile est dictu.

Buchovia olim plena latronibus.

Fuldensis Ecclesiæ per plures annos miseria.

52. *Marquardus*, Baro de Bickenbach, ex decano ecclesiæ Fuldensis Abbas creatur anno Domini 1286. consensu Regis Rodolphi, & veteri more à Pontifice creatur confirmaturque. Quantæ & quàm eminentis prudentiæ erat, tanto hostibus idem terrori fuit: & quod Principem decet, erga bonos clemens admodum, erga malos severus, utrisq; condigna largiebatur præmia. Hujus Principis altero anno monasterium Fuldense igne absumitur. Quare inito consilio cum senioribus & potentioribus, facultates suas omnes pro reficiendis sacris ædibus impendit, multa contribuentibus & cæteris bonis & piis hominibus. Deinde oppidulum Nittershausen, quod apud monasterium Cellæ situm est, numerata pecunia redimit: emta insuper arce Fischburgo. Cumq; venefica quædam letale malum chirothecis illitum præbuisset Abbati, & ille infectis veneno digitis faciem etiam

Principis officium.

Venenum Chirothe-

cis illitum perdit Abbatem.

iam & corpus polluisset, miserabili morte obiit altero regiminis sui anno.

53. *Henricus*, Comes de Wildnave, Marquardo successit. Quantæ verò is industriæ, quantæ authoritatis fuerit, qui ob singularem multarum rerum usum, insignem virtutem & indolem huic ipsi Marquardo successor magna spe eligitur, sequentia vobis argumento erunt: siquidem tribus Imperatoribus ordine succedentibus magna fide & diligentia adhæsit. Adolphumenim Regem cum XL. equis sequutus est per sex annos, & in Bisantii obsidione & oppugnatione præcipuam Imperatori navavit operam. Bis deinde ab Imperatore Alberto Austrio legatus ad Boemiam cum Imperio mittitur. Ducem Carinthiæ temerario ausu regnum ambientem fugavit. Deinde Imperatorem pro regio diademate accipiendo Romam euntem per Longobardiam & alias nationes solus cum sua familia comitatur. Deinde ab Imperatore Henrico VII. cum regiis mandatis ad diversas nationes legatus mittitur, in Carinthiam videlicet, Austriam, Moraviam, Boëmiam & Ungariam, ubi etiam Regem authoritate Imperiali regio diademate insignivit. Hic domi habitationes fratrum & Abbatis primus discrevit: munitiones hostiles dejecit, videlicet Wildectz, Ertall, Tungen, Hellwartz, Schildeck, fugatis raptoribus: Gerstringum vero, Franckensteinium, Saltzingum, & Waldenburgum oppida ditioni suæ adjecit. Hunfeldum, Vachium, Ostbergum, Hausen, Fürstenetzum subegit, quibus rebus feliciter confectis moritur principatus sui anno 25. Christianæ salutis 1313.

54. *Eberhardus de Rottenstein* magna spe, sed brevi effectu eligitur post mortem Henrici. Fuit vir magnæ & prudentiæ & modestiæ, qui cum ecclesiam Fuldensem debitis oneratam offenderet, magna debitorum parte pro viribus eandem exoneravit. Eligitur autem & moritur eodem anno, cum paucis præfuisset mensibus.

55. *Henricus de Homburg*, Baro, vir juvenis quidem, sed ingenii alacris & vehementis, ingenium prodebat facundiâ, qua sui seculi Principibus facile præstabat. Quo animo fuerit erga sub-

subditos, indicio est, quod pleraq; , quæ abalienata erant à præcessoribus, redemit: nova insuper coëmit, adeo ut per ipsum ditioni Fuldensi bona pars accederet. Arces muris & mœnibus, oppida fossis & vallis circundedit, quibus rebus authoritatem sibi paravit simul & invidiam. Nam cum in dicendo jure rigidiusculus pro ingenii vehementia esset, non potuit justitiæ rigorem ferre barbara rusticitas. Anno enim 1331. cum per tot Principum bonitatem & prudentiam in longa pace locupletati essent cives Fuldenses, ob divitias (ut fit) in luxum, à luxu in libidinem, à libidine in insaniam rapiuntur. Parum arbitrabantur, Principum beneficentia liberos esse sese, nisi & ipsos in servitutem redegissent Principes. Exciderat à pectoribus eorum, quinam non monasterii modo, verum etiam urbis fundamenta jecissent. Non secus igitur, ac si suæ jurisdictionis essent nec jus aliunde expectare deberent, fugatis Abbate & fratribus arcem sui Principis, tum extra pomeria urbis sitam & monasterio conjunctam, demoliuntur: mox decani domum evertunt, deinde fratrum domicilia vastant: quicquid suppellectilis, quicquid ornatus adest, rapiunt, auferunt, prodigunt. E montibus B. Virginis & D. Petri prædam pro se agunt, direptis bonis ædificia incendunt, comburunt. Princeps, qui ad cætera ab initio stabilienda fuerat solertissimus, in hac nova causa & impia inertiæ notam non patitur sibi impingi, scelestum crimen ad Imperatorem defert, cujus mandato Archiepiscopus Treverensis, Baldwinus, Comes Lützelnburgius, Imperatoris Henrici VII. germanus frater, ad sopiendam tam nefariam seditionem legationem suscipiens, Abbatem cum cœtu fratrum restituit. Quos ad urbem venientes progressi cives cum magna reverentia excipere coguntur, prælatis de more funalibus & cereis. Reversus igitur Princeps in conspirationis præcipuos authores graviter animadvertit, duodecim gladio percussis. In cujus rei memoriam, de occisorum bonis XII. pauperes è civium egentium numero (quos *Kuttenarios* lingua vulgari vocant) hodierno die aluntur. Qua in re singularem Principis erga suos benevolentiam quis non admiretur, prædicet & amet? Rebelles cives & nefarios plectit, & vel-

Fuldenses seditiosi in Dominum suũ.

Seditionis auctores puniuntur. Cucullifери.

& veluti nulla post sumtum supplicium affectus injuria, beneficium confert in eos, à quibus tam insignem acceperat injuriam. Sic, sublatis licentiæ principibus duodecim, alios exilio damnat, sanguinis minus sitiens, sceleris clementissimus punitor. Secutus est nostris etiam temporibus tantæ clementiæ exemplum Illustris Princeps, Joannes Hennenbergensis, tum sub Hartmanno à Kirchberg (piæ recordationis) coadjutor, postea Abbas designatus, qui pulsus à seditiosis rustici tumultus complicibus civibus, parum arbitratus est non punire innocentes, nisi etiam pro puniendis & jam gladio destinatis intercederet, & vitam donaret illis, quorum licentia & contumacia ipse nuper de vita periclitabatur.

Clementia Joannis Comitis Hennenbergensis.

Conditur nova arx in Civitatem ipsam.

Sed redeo ad Henricum, cujus restituti monitu & jussu munitionem cives intra pomeria recipiunt, novam arcem condentes, quam nunc quoq; vulgus **die Neuenburg** vocat. Manet autem nominis appellatio à superiore arce etiam in ea parte, quæ extra civitatis & monasterii mœnia sita est. Sic tandem ecclesiæ pace reddita, moritur pater venerandus anno 1353. paulo, antequam moreretur, celebrato fratrum ordinis Divi Benedicti concilio generali. Præfuit annis 39.

Concilium Benedictinum Fuldæ.

56. *Henricus de Crauck*, vir nobilis, Baroni Homburgio successit, nihilo minoris, sed melioris aliquando fortunæ, siquidem sub eo Hermannus, Comes Hennenbergensis, dictus de Aschaw, arcem Wernberg expugnavit, expugnatam Abbas Henricus vi recepit. Deinde Otto, Hessiæ Landgravius, civitatem Hunfeldt obsidione cinxit: verum Abbas conquisitis auxiliis, pulso vi hoste, solvit obsidionem. Hic comparavit mitram Episcopalem gemmis & unionibus distinctam magnæ æstimationis & precii. Præterea baculum pastoralem censuræ non minoris: quæ non tam ornamenta sunt vilis corpusculi (quod imperitum vulgus objicit) quàm illecebræ quædam ad religionem ducendis animis adinventæ: qua ratione & occasione omnes primum in ecclesiam ceremoniæ introductæ sunt. Id enim unum veneramur, colimus & adoramus, quod sub ipsis latere non dubitamus. Henricus autem & authoritate comparata, ob tot virtutum insignia,

Pedum pastorale & alia cur inventa.

Ceremoniarum finis.

signia, & dierum plenus, cum 19. annis præfuisset, moritur anno salutis Christianæ 1372. Fuerant duobus prædictis inimicitiæ ac tolerabiliores, quo remotiores. Nam licet Henrico ab Homburg à civibus injuria fieret, domus tamen penetralia consenebant.

57. *Conradus ab Hanaw* autem, inclytus Comes, qui Henrici de Cralück successor fuit, domesticis ministrorum adversitatibus exercebatur, quas ob nimiam ferocitatem morosus Dominus sibi conciliarat. Idcirco exitum, quem *Gansam* vocant, per posticum arcis novæ in liberum campum primus fecit, civibus etiam hodierno die invisum. Siquidem in nostrorum temporum tumultu rustico Fuldenses, demolito Gansæ ponte, exitum saxis & calce obstruxerant, quem tamen reclusum sedato tumultu & ponte instaurato denuo aperiunt. Porro Abbas Conradus, cum ad privata quorundam Principum comitia Spangenburgum (Hessiæ civitatis id nomen est) venisset, insidiis hostium in ostio cubiculi occiditur, nihil suspicans mali, anno 1382. cum decem non sine molestia præfuisset annis.

Gan s.

Abbas occiditur.

58. *Fridericus de Romrot* vel Romriedt, vir nobilis in Buchovia natus, constituitur Abbas post trucidatum antecessorem. Hic debitis onustam assumens provinciam, cum tredecim annis præfuisset, debitis obligatam mortuus reliquit. Sub hoc Abbate, Episcopus Herbipolensis, Gebhardus, Comes Schwartzenburgus, civitatem Hamelburgensem obsedit, cumq; vires non succederent, ad dolos confugitur: sed plus valuit virtus, mature dolis obviam eunte Principe, cujus prudentia & sedulitate hostis pellitur, liberatur civitas. Moritur anno Domini 1395.

Hamelburgum obsidetur.

59. *Joannes de Merlawe*, nobilis ex Buchovia natus, Romridum sequitur anno 1395. conciliante juveni dignitatem magnanimitate, quæ cæteris virtutibus munimento est: nec fefellit spem animosus juvenis. Debellatis siquidem hostibus, eorumque eversis munitionibus, provinciam sibi commissam defendit. Fugato vero malo externo, aliud (ut semper fit) quod virtutem alat, domesticum suboritur malum. Monasterium enim Fuldense igne absumitur anno salutis humanæ 1398. Non dejicitur animus

Nulla calamitas sola.

mus ingens in rebus adversis, sed ad instaurandum, quod ignis injuria absumserat, monasterium è vestigio consurgit, & alacriore animo adducuntur nova ornamenta instauratis ædificiis, nempe tabula ex margaritis Altari summo, campana major, quam Osannam vocant, capitis D. Bonifacii argentea persona. Hic quadraginta equorum comitatu in concilio Constantiensi fuit. Habitum est & Concilium generale fratrum D. Benedicti Fuldæ, hoc Abbate præsidente, cumq; jam ætatis vitio se infirmiorem, quam qui præesse posset, sentiret, coadjutorem sibi delegit cognatum suum Hermannum de Buchonaw. Qua re vir in cæteris prudens non parum erravit, plus sanguini quàm publicæ dans utilitati, cujus rei mox pœnam luit eodem illo authore, in quem detulerat dignitatem. Siquidem Hermannus coadjutor Abbatialem dignitatem percipere maluit, quàm expectare, confisus sanguineorum potentiæ. Ortam autem inter Abbatem & coadjutorem seditionem Legatus Apostolicus composuit. Sed non impune fuit publicæ rei Fuldensi privatum malum: siquidem mortuo, cum 45. præfuisset annis, patre optimo anno Christianæ salutis 1440. coadjutor Hermannus in Abbatiam intruditur.

Iterum Concilium Fuldæ.

Sanguini non plus tribuendum quam publicæ utilitati.

60. *Hermannus de Buchonaw*, Præpositus montis S. Joannis, qui communi consensu Abbatis sui coadjutor adhuc oppignoratam in Wetteravia Marcam (Fuldensem quam vocant) nunc Abbas perpetuis temporibus (omnibus detestandum committens facinus) vendidit & ab Ecclesia Fuldensi, penitus ablata vindicandi spe, abalienavit. Hic monasterium, cui Præpositus fuerat, D. Joannis videlicet, reformavit. Obiit, cum novem præfuisset annis in monte B. Mariæ Virginis, & in monte D. Joannis conditur corpus defuncti anno Dominici natalis 1449.

Marca Fuldensis venditur.

61. *Reinhardus*, Comes de Willnaw, Hermannum excipit. Fuerat prius præpositus in Holtzkirchen, monasterio prope Wertheimium sito. Eligitur in Abbatem & Principem Fuldensem anno 1449. cujus virtutem, ut cæterorum, quorum facta magnifica censentur, hostiles animi arguunt. Siquidem ignobilis nobilitas (non enim habeo aliud, quo commodius potentium

quidem

quidem aliquorum, sed sceleratorum facta notem) à forti & vera nobilitate hujus viri est devicta. Hic enim castra hostium & arces, videlicet Urtzell & Ebersberg, obsedit & expugnavit. Poterat jam videri otium meruisse virtus, nisi majoribus insignienda esset præmiis. Siquidem anno Domini 1468. duo Hassiæ Landgravii fratres, alter ex professo hostis, eoque melior, quod caveri poterat: alter auxilii spe tanto deterior, quod fefellit, Fuldensem ditionem ingrediuntur. Ex professo hostis, ad Biberstein arcem usque progressus, omnia circum urbem Fuldensem deprædabatur comburebatq;. Simulatus amicus & in civitatem meliori spe receptus, non minoribus injuriis & damnis affecit amicos. Verum Dei Opt. Max. clementia & hujus Abbatis diligentia fugatur hostis, pellitur urbe male amicus, factaque pace Abbas ad religionis curam reversus, monasterium S. Petri reformavit, & confectus senio generosum Principem, Joannem Hennenbergensem, coadjutorem adsciscit, ipse sese ex arce ad monasterium Fuldæ contulit, ibiq;, quod restabat, ætatis transegit; saltem hac una re non incelebris, qui prudentissimum simul & religiosissimum Principem sibi substituit. Obiit anno 1476. cum 27. præfuisset annis laudabiliter.

Urtzel, Ebersberg.

Landgravii hostes Fuldensium.

62. *Joannes*, illustris Comes Hennenbergensis, Canonicus erat ecclesiarum cathedralium, Moguntinæ, Colonienſis, Trevirensis, & Herbipolensis. Sunt enim istis Ecclesiis (ut aliis) majorum instituto concessa privilegia, quibus Principum & Magnatum filii ad mores & pietatem, non ad otium & luxum alantur: & singulis diversarum ecclesiarum ideo permittuntur beneficia, ut æquum jus sit ecclesiis ad dignitates promovendi non aliena, sed sua membra, si modo qua indoles appareat, quæ profutura sit humano generi. Præripuerat jus suum ecclesiæ Fuldensi singularis Antecessoris providentia, qui virtute ejus motus non dubitavit eum moriens sibi substituere. Factus itaq; est Abbas anno 1477. Juvenis nihil minus quàm arrogans, simplicitas ipsa, mera integritas, virilis prudentia, prudens juventus, & ut encomion Paulino templo inscriptum de eo testatur, *quem nemo contemnat, timeant scelerati, ament ex æquo omnes.* Is, cum in

Ecclesiasticarum dignitatum qui olim capaces.

habitu seculari dignitatis titulum administratione virili coadunasset per quinquennium, habitum tandem religionis assumsit. Tum vero dixisses hominem, non habitum mutatum. Censebat enim indecorum esse superstitioni habitus vestem sine moribus gestare. Post veram enim Dei agnitionem, præcipuam hanc hominis curam esse debere arbitrabatur, ut continens viveret & moderate uteretur rebus à Deo ad usum quotidianum concessis; idcirco cœlibatus amans ob regnum Dei adeo erat, ut ex utero ad cœlibatum natum eum diceres; in victu continentissimus, quæ ratio ad puritatis conservationem præsentissima est: ad eleemosynas liberalissimus, ut qui quoties cibo, quem bis (de more aulæ) simulabat potius quam sumebat, uteretur, unum ferculum lancis argenteæ de mensa ad lectum explorati alicujus egentis mitteret. Quid mirum? si ab omnibus in pretio haberetur, si ab omnibus cum timore amaretur, qui omnes bonos ex æquo amabat. Sed erant hæc privata opera: ad publica nunc veniamus. Etsi virtus ejus meruisset, ut tranquillus viveret, tamen, cum injuriis lacesseretur, ad quas non erat prorsus quiescendum, in hac etiam parte virum & pium & magnanimum sese ostendit & probitatem suam singularem omnibus conspicuam fecit, quæ tum demum agnoscitur, cum ad vindictam invitus aliquis provocatur. Non poterat (quod non debebat) ferre injuriam publicam, cujus gratia Reusenburgum aggreditur, & expugnasset, nisi bonorum fide interposita lis diremta fuisset.

Clericorum vita qualis esse debeat.

Liberalitatis exemplum singulare.

Injuriis non cedendum.

Eisenbach, arx.

Eadem ferè mox fortuna fuit arcis Eisenbachiæ. Civitatem Hamelburgensem oppignoratam redemit à Comite de Reineck: decimas vini, jure vindice, in eadem civitate obtinuit. Partem arcis novæ (cujus in vita Heinrici de Homburg meminimus) quæ ditionis erat Hessiæ, à Landgravio Hessiæ Guilelmo redemit. Item tertiam partem arcis Mackenzell, & privati juris domum in Hunfeld emit. Cumq; privatim religiose, publice juste & pie 45. annis primum coadjutor, postea Abbas præfuisset, confectus administrationis labore & temporum successibus, coadjutorem sibi sumsit Hartmannum, Burggravium ex Kirchberg, electione tali felicissimus omnium majorum suorum futu-

Mackenzell.

rus,

rus, si electi coadjutoris eruditioni, jurisprudentiæ, & eloquentiæ reliqua vita respondisset. Moritur autem extra aleam fortunæ positus anno 1513. vicesima Kalend. Maij.

63. *Hartmannus*, Thuringus, ex Burggraviis de Kirchberg natus, corporis statura procera ac plane heroica, facie decora & pulchra præditus, Juris utriusq; doctor, ingenio erat plus quam hominis ferè admirabili præditus, amator literarum literatorumq; singularis, & quis hunc indoctum audeat dicere? qui doctos amavit & doctorum perpetua conversatione delectatus est. Non meminisse tantæ eruditionis tutius erat, ne non crederetur, nisi omnes norint. Res vero nostrorum, eorumq; proximorum est temporum. A natura facundus naturalem facundiam auxit industria; prudentiam Imperialium legum scientia arguebat. Moguntiæ cum Juris prudentiæ operam navaret, fit Canonicus, mox assessor Cameræ Imperialis. Nec quievit versatile ingenium, nec latuit sagax industria Principes Romanæ ecclesiæ viros; siquidem Reimundus Cardinalis & legatus virum dicendi peritissimum Germaniam pervagaturus sibi adjungit vitæ socium, ad cujus libitum cum vir dicendo promtus omnia exequereretur, coadjutor Joanni Hennenbergensi viribus destituto & venerando seni additur. Deinde, Maximiliano Cæsare Augusto imperante, legatione ad Polonos fungitur. Post, vita functo Abbate, Romam profectus confirmationem præsens accipit. Hactenus quis non laudet industriam, admiretur labores? summatim dicam, felicissimum fuisse ecclesiæ Fuldensis statum, si prædictis virtutibus respondissent cætera. Non enim habeo aliud, quod conquerar magis: rem tamen magnam effeciisset, si mulieri non cessisset. Ecclesiam Hersveldensem ecclesiæ Fuldensi incorporaverat (ut hujus verbo dicam) annuente votis prudentissimi Principis etiam Cæsare Maximiliano. Restitit virilibus incœptis industria muliebris. Landgravia enim Hessiæ, ex Ducibus Meckelburgensibus nata, infante quodammodo adhuc filio Philippo, conatibus restitit Hartmanni, eique ab ecclesia Hersveldensi amoto alium Abbatem substituit, & intra terminos Fuldenses contentum manere coegit, volentem ne an invitum, quis dijudi-

Abbas Juris Doctor.

Mulieb ris industria.

care ausit? Satis constat, infinitis expensis vix rem compositam; unde cum ratio posceretur ab Abbate, ablatis reliquis adhuc pecuniis (quas amplissimas ab Antecessore vigilantissimo patrefamilias acceperat) direptis etiam ornamentis plerisq; aliis, in quibus ferè thesaurus omnis Fuldensis ditionis erat, noctu aufugit Hamelburgumq; se contulit, cum tribus annis Abbas fuisset. Item contra eos, quos fugiens deceperat, instituit apud Cæsarem: qua ex re prioribus damnis nova accedebant. Interim per sex annos interregnum est, quo tempore status ecclesiæ & ditionis Fuldensis per duos Conventuales de capitulo, ut vocant, administratur. Composuit tandem rem totius negotii Carolus divina Clementia Imperator V. substituto coadjutore, Joanne Hennenbergense II. quem in avitos patrui sui Joannis Hennenbergensis I. mores iturum sperabant omnes, iviſſe contendunt plurimi.

64. *Joannes*, Comes Hennenbergensis, Guilelmi Principis & Dominæ Anastasiæ Brandenburgensis Marchioniſſæ filius, corporis & ingenii bonis longe felicissimus, acceperat elementa latinæ linguæ Moguntiæ primum, ibiq; factus Canonicus. Erat Canonicus etiam Colonienſis, Argentinensis, & Bambergensis Ecclesiarum. Mittitur Parisios in Galliam studiorum ergò, unde reversus cum egregiæ indolis & eruditionis specimen exhibuisset, coadjutor Hartmanno additur, vir præter Principum nostri seculi mores eruditus, natura & studio eloquens, mire humanus, quam virtutem non modo à parentibus hereditariam quasi habebat & cum ipso lacte imbibitam, verum ex humanarum etiam literarum studio & aluit & auxit. Laudamus (inquit *catalogi autor principis coætaneus*) quidem viventem, sed laudem meritum, & majorem laudem, si non defecerit, accepturum. Hujus regiminis anno 4. stulta rusticitas turbas excivit, & præter meritum & optime meriti Principis spem, monasteria omnia evertit. Parum erat insanæ plebeculæ fugasse Principem, nisi alienis turbis auxilio veniret & camino (ut dicitur) adderet oleum. Emisit cohortes aliquot Fuldensis insaniæ rusticitas auxilio Hersveldensibus, authoribus novæ seditionis, motæ à subditis contra Landgravium Hessiæ Philippum: quare motus Philippus exer-

Rusticorum tumultus.

exercitum movit subditum, Fuldam veniens, inermen turbam fugat, eaq; in fossam arcis novæ dejecta, Principem Fuldensem certis conditionibus restituit, quæ conditiones cum per Decanum & reliquam Fuldensis ditionis nobilitatem parum ratæ haberentur, redit Landgravius: cujus adventu (cum intempesta hiems sæviret) coadjutor Fulda cedit, & nondum integro exacto anno, componente totum negotium Cæsare Carolo, restituitur. Præfuit in universum annis 20. Obiit anno Domini 1541. De hujus insignibus tale extat elegidion *Georgii Æmylii*, quod in honorem illustrissimæ Hennenbergensium Principum familiæ huic loco inserendum existimavi:

Hennenbergiadum vetus & generosa propago
Hæc gerit in clypeo signa vetusta suo:
Gallinam triplici vestigia colle moventem,
Et geminam, Christi regia signa, crucem.
His aquilæ pectus volitantibus additur alis,
Cui premit augustum celsa corona caput.
Infima pars aquilæ spatio subjecta quadrimo
Cernitur alternis conspicienda notis.
Quod si forte roges, veteris monumenta figuræ
Quid moneant, paucis accipe, doctus eris.
Aurea crux veræ semper pietatis amantes
Hennenbergiacos indicat esse Duces.
Armiger, imperii socios: Regumq; corona
Arguit antiquis regibus esse satos.
At studium populi tranquilla pace regendi
Candida materno pectore signat avis.
Namq; suos pullos veluti gallina tuetur,
Et teneros fido mater amore fovet,
Et modo fert humeris, passis modo protegit alis,
Sedula nunc fido colligit ore dapes.
Sic studio cives meritisq; fovere benignis,
Principibus dignum jure putatur opus.
Præcipue populum stabili virtute tueri,
Et veros patriæ convenit esse patres,

Illa

Utq; ſub innocua ſecuri pace quieſcant,
Bella Duces debent pellere ſæva procul.
Talia cum præſtent populo benefacta, merentur
Jure ſuo celebres hæc monumenta Duces.
DI faciant, illis multos gaudere per annos
Dignaq; virtutis præmia ferre queant.
Vivite magnorum clariſſima ſemina Regum,
Tempore perpetuo vivere digna Domus:
Veſtraq; nobilibus tollatur in aſtra Camænis
Gloria, venturo neſcia fine premi.
Sic ego, ſic alii mecum pia turba precantur,
Proſpera ſint ſummo vota favente Deo.

65. *Philippus Schenck* (latine pincernam vocamus) à Schweinsburg, nobilis Haſſiæ, vir prudens, doctus & eloquens, qui jam inde ab adoleſcentia bonis moribus literisq; deditus operam Juris utriusq; prudentiæ in Moguntinenſi & Colonienſi Academiis tantam navavit, ut inter Jurisperitos primo loco numerari potuerit: facundia multos quidem pares, ſed vix paucos uſpiam ſuperiores habuit. Promeruit certe partim liberalium ſtudiorum ſedula inquiſitione, partim vero monaſticæ religionis ſeveritate, ut dignus idoneusq; habitus fuerit, cui cura omnis & tota iſta gubernatio Fuldanæ ditionis ante etiam crederetur committeturque, quam Abbas & princeps fuiſſet delectus. Eligitur vero in Abbatem & Principem Fuldenſem, Abbatumq; Germaniæ omnium Primatem & Imperatricis Archicancellarium anno Domini 1541. Præſedit laudabiliter hoc adhuc currente Jubilæo, quo naturæ debitum exſolvit menſe Januario, cujus tumulo tale epitaphion, à *Georgio Wicelio* compoſitum, ſuperadditum eſt:

Condita Primatis latitant hic oſſa Philippi:
Servandæ patriæ deditus ille fuit.

66. *Wolffgangus de Uffigkheim*, nobilis heros ex Oſtrofrancis vel Sudetorum montium vicinia natus, Præpoſitus prius in Holtzkirchen & Zell, eligitur anno 1550. vir ingenio præditus magno, memoria vero prorſus miraculoſa, qui à primis annis inter monaſticæ vitæ regulas vixit ac detritus eſt, tandemq; peregrina-

grinatione ac urbium populorumque multorum lustratione, omnium præterea historiarum tam sacrarum quam ethnicarum lectione, fide item ac virtute eò evasit, ut inter claros antistites poni merito debeat: vir omni probitatis atque æquitatis genere commendandus, & rei ecclesiasticæ assectator haudquaquam segnis, de quo item dubites, à fastu ne an à luxu sit alienior. Hic Ecclesiæ & ditioni suæ Fuldensi fidelis & rei domesticæ per omnia studiosus gubernator hoc adhuc præsidet tempore, pontificatum Julio III. imperium vero Carolo V. ac Ferdinando fratribus feliciter administrantibus. Huc curas & studia sua referens omnia, ut & cultum divinum in Ecclesiis augeat & ad justitiæ normam administret dexterrime omnia.

GANDERSHEIMIUM, magnificum & eximie opulentum monialium, ex augusta Principum ac Comitum stirpe natarum, collegium verius quam cœnobium, in ejusdem nominis Brunsvicensi quodam oppido situm, extrui & fundari cœptum est anno Domini 842. à Leodolpho vel Leutholpho Magno, Duce Saxonum; consecratum & donatum anno Domini 852. à S. Alfrido, quarto Hildesheimensium Episcopo, qui primas duas ejus loci Abbatissas designasse & velasse dicitur. Abbatissarum talem invenio etsi imperfectum catalogum. *Catalogus abbatissarum.*

1. *D. Habundis* constituitur Abbatissa prima anno 852. Fuit Leutholphi fundatoris filia. Præfuit annis 18. Obiit anno salutis Christianæ 870.

2. *D. Gerbirga*, Saxoniæ Ducissa, Dominæ Habundis germana soror, eligitur anno Christi 870. Præfuit annis 13. Valedixit humanæ vitæ anno Domini 883.

3. *D. Christina*, Leutholphi fundatoris tertia filia, eligitur in tertiam Abbatissam Gandersheimensem, consecraturq; ab Episcopo Hildesiano, Wigeberto. Obiit sub Episcopo Waldoberto.

4. *D. Rodeschwinda*, & ipsa Ducali stemmate nata, eligitur

ab Episcopo Waldoberto. Decessit ex hac lachrymarum valle ad beatarum animarum conciliabulum anno Domini 906. Fuit femina religiosissima.

5. *D. Wendelgardis* successit anno 906. nobilissimis parentibus nata. Præfuit diutissime. Obiit sub decimo Episcopo Hildesiano, Ochewino.

6. *D. Gerberga*, Saxoniæ ducissa, substituitur Wendelgardi ex hac lugubri vita evocatæ. Huic Dominæ Gerbergæ decessit *Roswitis* cavit *Roswitis*, puella Saxonica & monialis Gandersheimensis, insignis poëtria, omnia ingenii sui poëtica & historica monumenta. Scripsit vero sex comœdias Christianas ad imitationem Terentii: & heroico carmine trium Othonum Imperatorum (quorum temporibus claruit) vitas & res gestas. Sed & eodem genere versuum multorum Divorum laudes. Opus totum à Conrado Celte, poëta primo Germanico, publicatum est. Obiit Domina Abbatissa Gerberga sub Episcopo Hildesianorum XIII. S. videlicet Bernwardo.

Roswitis versificatrix.

7. *D. Sophia*, laudatissimi Romanorum Imperatoris Othonis II. filia, successit Dominæ Gerbergæ, consecrata à S. Bernwardo, Episcopo Hildesiano. Præfuit diu sub duobus Episcopis. Decessit ex hoc mortali seculo anno Domini 1038.

8. *D. Adelheidis*, ejusdem Imperatoris Othonis filia, consecratur ab Episcopo XV. Diethmaro, anno Domini 1038. Obiit sub XIIX. Episcopo Hildesemensi, Udone.

9. *D. Bertha* consecratur ab Udone. Obiit sub XXI. Episcopo Bernhardo.

10. *D. Loicardis* consecratur ab Episcopo Bernhardo Goslariæ, præsente Lothario Imperatore, annum Christi circiter 1128. Evocata est ex hac vita anno 1152. cum diu & feliciter præfuisset.

11. *D. Adelheidis* eligitur & consecratur anno 1152. Sub ejus gubernatione vastatum est incendio Gandersheimense cœnobium, quod tamen ab Abbatissa Adelheide & Hermanno Episcopo Hildesiano magnifice instauratum iterum esse legitur. Tantum habeo de Gandersheimensis cœnobii primis Abbatissis: ceteras

teras expiscari hactenus non potui. Præfuit tamen eidem nuper adeo illustrissima Domina, Domina *Clara*, Henrici Junioris Brunsvicensis Ducis ex Domina Maria Jacobe Ducissa Wirtenbergensi filia, quæ anno Domini 1547. jussu Parentis, ex captivitate Hessica in patriam ditionem redeuntis, Dominæ *Magdalenæ*, Baronissæ de Klummen, Abbatiam resignavit. Hæc præsidet hoc adhuc currente Jubilæo, potens ac magnifica Abbatissa, quæ hodie adhuc sub directo suo dominio vasallos habet non duces tantum Brunsvicenses, sed & Saxoniæ Principes ac Marchiones Brandenburgenses, aliosq; multos circumjacentis terræ Regulos, Comites ac Barones. 12. 13.

GRATIÆ MONS, vulgo Gnadenberg / antiquitus à querCubus der Eichelberg / cœnobium utriusq; sexus in Aistetensi diœcesi, ordinis S. Salvatoris vel S. Brigittæ, ad Schvvartzachium amnem in Palatinatu superiori, medio inter Noribergam ac Neumarcam civitates, vel Altdorffum oppidum Noribergense & Heimburgum castrum itinere, in amœnissimo montesitum, fundatum ac dotatum est sub Pontifice Eugenio IV. Imperatore vero Alberto II. Austriaco, anno Domini 1436. à Joanne, Palatino Rheni & Bavariæ Duce, Ruperti Imperatoris filio, ad preces & petitionem conjugis suæ, Dominæ Catharinæ, Pomeranorum Ducissæ, quæ puella paucorum annorum Wattensteinensi S. Brigittæ cœnobio religionis studio ita sese extra tamen clausuram dederat, ut claudi etiam sese vellet, si ad decimum octavum ætatis suæ annum perveniret. Cum itaq; ab hac sua sententia secedere & Joanni Palatino, desideranter eam petenti, nubere cogeretur, instituit marito, ut in sua is ditione cœnobium ejusdem ordinis institueret, in quo cultus ille Deo præstaretur, quem ipsa noviſſet ac per ipsum impedita præstare jam non posset. Inchoatum fuit primum prope arcem *Wolffstein*, ultra Novum Forum sitam, ubi exiguum sacellum & oratorium constructum erat; sed post maturiorem deliberationem cis Novum Forum in Quercinum Montem translatum est, in viciniam opulentæ Civitatis Noribergensis. Sperabat enim Princeps futurum

Cœnobii fundatores.

Wolffstein.

turum, ut pii cives ejus Urbis aliquando excitati, cogitaturi essent de ampliando & liberalius donando tenuiter inchoato à se monasteriolo. Nec fefellit principem ista spes. Fuerunt enim, ut infra amplius audiemus, præ cæteris civibus Noribergensibus, patricii ejus Urbis Schlevvizeri & Füreri insignes hujus monasticæ congregationis benefactores. Primæ religiosæ personæ ex Dania in hunc locum accitæ sunt, Nicolaus & Joannes, pii duo sacerdotes, quibus postea aliqui Germani accesserunt. Sorores vero, Anna, Suessionis Equitis cujusdam aurati filia, Botildis, Brigitta, & Catharina Crumpina, ipsa quoq; aurati Equitis nata. Consecratum est cœnobium proxima Dominica post S. Trinitatis festum anno Christi 1438. ab Alberti Aichstetensis Episcopi suffraganeo, præsentibus fundatore Joanne, qui primum lapidem ponens aureum annulum in fundamenta conjecit, vitrumq; vini plenum apposuit, primoq; lapidi inclusit: fundatrice item Catharina, & filio eorum *Christophoro*, qui postea Danorum, Sueciæ & Nordwegiæ Rex factus, ad finem usque vitæ suæ istis provinciis imperasse legitur. Gubernatricum & Abbatissarum hujus cœnobii (est enim gubernatio non penes virilem sexum, sed prope moniales) talis est series & catalogus.

Füreri patricii.

Palatinus Rheni, imperat Regno Daniæ.

Abbatissarum numerus.

1. *Elisabeta Kniepentlin*, patria Ratisbonensis, pulcherrima virgo, assumitur in primam gubernatricem anno Christi 1438. Præfuit 12. annis: resignavit anno 1450. Obiit postea anno Dñi 1458. Sub ejus gubernatione obiit primum Domina fundatrix, Princeps Catharina anno 1439. ante fratrum chorum sub elevato à terra Mausoleo sepulta: fundator item D. Joannes Palatinus, Imperatoris Ruperti Palatini filius, anno Christi 1443. decima tertia Martii. Et altera fundatoris conjunx, Domina Beatrix, Ducissa Bavariæ, quæ ante Joannem Palatinum præpotentis cujusdam Bavarici Comitis nupta fuerat. Hæc apud Neoforum obiit 14. Martii anno Domini 1447. & ad montem Gratiæ avecta illic honorifice in fundatricis tumulum ante ædiculam corporis Dominici, ut vocant, deposita & humata est.

2. *Elisabeta Folckenstalerina*, Norica, prima hujus loci Abbatissa consecrata, successit resignanti primæ gubernatrici. Præ-

fuit

fuit annis 20. laudabiliter & fideliter. Obiit anno 1471. Sub ejus gubernatione sepelitur in monte Gratiæ Martinus à Wildenstein, Eques auratus, qui obiit anno 1466.

3. *Margareta Rindsmeulin*, virgo nobilis, quæ ex aula fundatoris in monasterium sponte sua profecta est, eligitur in Abbatissam anno 1471. Præfuit 18. annis & mensibus sex egregia virtute. Obiit anno 1489.

4. *Barbara*, Füreri patricii cujusdam Noribergensis honestissima filia, successit mortuæ Margaridi. Præfuit prudenter & utiliter 20. annis. Hujus Abbatissæ duo ex fratre nepotes, Sigismundus & Christophorus *Füreri*, suis sumtibus ac expensis, e- *Füreri*
rogatis videlicet duobus millibus ac quingentis aureis, egregium *patricii.*
ac longe pulcherrimum templum montis Gratiæ ex imis fundamentis de novo construxerunt, ac quindecim arcuum ingeniosa testudine illustrarunt. Obiit Domina Abbatissa pridie Bartholomæi Apostoli anno Domini 1509. ætatis suæ anno septuagesimo, cum 49. annis vixisset in hoc cœnobio.

5. *Catharina Khunigsfelderina*, ex Kemmato nata, eligitur anno Domini 1509. Præfuit annis 19. Obiit anno 1528. ætatis suæ septuagesimo tertio, cum 52. annis monasticen hoc loco professa esset.

6. *Ursula*, nobilis Domina à Seckendorff, ex Neoforo huc profecta, eligitur tandem Abbatissa anno 1528. Præfuit quinq; annis. Obiit anno 1533. ætatis suæ 77.

7. *Ursula Breunina* Norica successit Seckendorffensi. Præest hoc adhuc currente Jubilæo, honesta ac utilis monasterio Domina, sub qua obiit superiore anno in hoc cœnobio facundissima quædam Domina, Barbara Schlevviserina, Patricia Noriber- *Schlewi-*
gensis, aviæ meæ maternæ, quæ Viti Schlevviceri, cognomen- *zeri, pa-*
to Barbati, egregii civis & patricii Norici, filia fuit, amita mea *tricii.*
charissima, quam semel duntaxat solamq; ex tota Schlevviserina familia (ex qua materna mihi origo est) superstitem, anno ætatis suæ 70. visam, non potui non carmine aliquo celebrare, quod huic loco in honestissimæ familiæ memoriam sempiternam adponere libuit. Id tale est:

Illa dies mihi marmoreo signanda lapillo est,
Vere festa dies hæc mihi semper erit:
Quam venerabor, amabo, colam ego pectore toto,
Quamq; immortali carmine sæpe canam.
Qua tu visa mihi es, clarissima Barbara, gentis
Eximium decus & gloria magna meæ.
Salve igitur, veneranda nurus, mea dulcis amitta,
Qua jucundius hæc quid mihi secla ferant?
Tu matrem, tu animamq; meam monstrare videris,
Aspera fata olim quas rapuere mihi.
In cunis cum parvus adhuc infansq; jacerem,
Et nutricis adhuc lac foret esca mihi.
Hinc ego te, mea Barbara, amo, te diligo vere,
Non secus ac matrem, nec secus atq; animam.
Et cum nilaliud possim tibi reddere pulchri,
Hoc tamen ipse tibi, Barbara clara, dabo.
Quòd te, quod nomenq; tuum laudesq; tuorum
Perpetua gratus relligione canam.
Schlewiserina domus, quam quondam Norica tellus
Edidit illustrem magnificamq; domum.
Hæc per me celebris toto cantabitur orbe:
Omnis posteritas nomina vestra sciet.
Hæc nostræ sit amicitiæ solennis origo,
Perpetuo firmam quam fore spero. Vale.
Vive diu menti, charissima Barbara, nostræ,
Vive diu gentis fama decusq; meæ.
Te Christus bonitate sua amplectatur ametq;,
Et donet vitæ tempora longa tuæ.
Ac ubi te vita volet hac excedere quondam,
Transferat ad superæ te pia regna domus,
In quibus inveniam te quondam, Barbara chara,
Et tecum felix secula longa teram
Cumq; parentibus & cognatis, Barbara, nostris.
Quorum nunc modo sunt nomina nota. Vale.

Vale.

Valedictorium ad eandem Barbaram.

Barbara, delitiis facundæ prædita linguæ,
Mella Hyblæa pio cujus ab ore fluunt.
Barbara, gentis honos noſtræ, quæ tam mihi chara es,
Quàm mea chara mihi mater amica fuit.
Salve perpetuoq; vale, chariſſima amitta,
O ingens animi curaq́, ſpesq; mei.
Quàm ſtabit mons iſte diu, cui Gratia nomen
Sancta dedit: ſtabit quàm domus iſta diu;
Tam tu, chara, diu valeas, tam, Barbara, vivas
Et fauſta & felix, incolumisq; diu.
Quando ſuas undas non amplius Iſter habebit,
Et madidis Rhenus forte carebit aquis,
Tum te dira pericla, aut mors premat atra, nec unquam
Te citius mala ſors obruat ulla. Vale!

HECKENBACHIUM, antiquitus à loci ſentibus opleti aſperitate, hodie vero Heppach/ paululum abbreviata voce, Ciſtertienſis ſive Bernhardini inſtituti monialium præclarũ cœnobium, Conſtantienſis diœceſeos ſub Salemitani Abbatis cura ac viſitatione, medio fere itinere inter Ochſenhuſium cœnobium & Biberacum civitatem imperialem ſitum, cœptum & inchoatum eſt annum Domini circiter 1233. ſub Romanæ Eccleſiæ Pont. Max. Gregorio IX. Pontificatus ejus anno 8. à piis ac religioſis duabus Beginis, quarum una ex nobili gente regulorum de Roſenburg, altera ex Laudenburgenſi familia nata fuit. Ad has duas mox aliæ etiam acceſſerunt plurimæ, & inter has quinq́; Nobiles, quæ parentibus ſuis tam diu inſtiterunt, donec eos perſuaderent, ut domicilia ipſis conſtruerent. Inchoabatur vero cœnobium aliquoties in pago Maſelheim, ſed ligna & ſaxa, futuro ædificio præparata, ſemper in eum locum mirabili quodam prodigio rediiſſe dicuntur, in quo nunc monaſterium conſtructum viſitur. Templum S. Pancratio dicatum eſt. Ejus primum lapidem poſuerunt supra- *Maſelheim.*

prædictæ nobiles Virgines, loci hujus totius inchoatrices. Privilegia dederunt Gregorius IX. Pont. Max. & Fridericus II. Imperator: fuitque cœnobium tam opulentum olim ex liberalitate undiquaque conferentium piorum, ut alerentur in eo solo centum & viginti Deo famulantes Virgines. Cum autem, Wilhelmo Imperatore rebus humanis exemto, interregnum esset & Imperium sine gubernatore, æstuaretq; civilibus bellis tota ferè Germania, factum est, ut hoc etiam monialium cœnobium incendiis & rapinis devastaretur & ad tantam redigeretur paupertatem, ut Virginibus omnibus domum esset ad parentes redeundum, quæ tamen post 20. annos pacato imperii statu iterum per Imperatorem Rodolphum Habspurgium ad pristinum locum reversæ: collapsum monasterium, auxiliis nobilium regulorum à Boustetten, à Freiburg, Wiler & Ellerbach, Dapiferorum item à Walpurg aliorumq; plurium (qui sepulchra sibi ac posteritati suæ legebant in hoc templo) præclare instauratum ac meliori formæ (quam pristina fuerat) restitutum est. Ab eo tempore ad hanc usq; nostram ætatem præfuerunt Abbatissæ, quarum sequuntur subscripta nomina.

Abbatissarum Syllabus.

1. *Irmengardis* præfuit anno Domini 1280. Sed quamdiu postea adhuc, id incertum est.

2. *Elisabeta* Hofmannin legitur successisse Dominæ Irmengardi, & adhuc ad clavum suæ societatis monasticæ sedisse anno 1350.

3. *Clara Strelerin*, patria Ulmensis, præfuit anno Domini 1364.

4. *Catharina à Stadion*, nobilis Domina, successit Claræ, sed quàm diu sororibus præsederit, ignoratur.

5. *Anna Gretterin*, Bibracensis, legitur omnia feciisse communia, cum antea cuiq; sororcularum propriæ facultatulæ fuissent. Evocata est ex hac miseriarum & lachrymarum valle ad gaudiorum cœlestium patriam anno Domini 1438.

6. *Agatha*, nobilis virago de Stadion, præfuit post defunctam D. Annam 16. annis. Cogitavit de claudendo prorsus monasterio, ad quod omnia jam adornarat necessaria, sed morte præ-

præventa, quod secum decreverat, non absolvit. Obiit anno 1454.

7. *Elisabeta Krælina*, patria Lindaviensis, ex Imperiali elegantissimoq; oppido ad Acronium lacum sito nata, successit Dominæ Agathæ. Præfuit laudabiliter 26. annis. Clausit monasterium propria manu, etsi ægrotissima & peste laborans, qua tamen victa superstes adhuc mansit post clausum cœnobium annis 12. Clausit vero in die S. Egidii anno Domini 1467. Obiit postea anno incarnati Verbi 1480.

8. *Anna Suterina* ex Bracoduro vel Pfullendorffio patre consule nata, religiosa & mansuetissima Domina, eligitur anno Domini 1480. Præfuit 29. annis. Decessit anno Christi 1509.

9. *Anna Koboldina*, patria Ulmensis, subrogatur Agneti. Præfuit honeste & religiosissime annis sex. Evocatur ex hoc seculo anno Gratiæ 1515.

10. *Barbara Ellenbogina*, Memmingensis, præfuit 11. annis pie, prudenter & utiliter. Obiit anno Domini 1526.

11. *Walburgis Pitterlerin*, patria Ulmensis, præfuit optimis vitæ & morum exemplis per septennium ferè. Obiit anno 1532.

12. *Margareta Capitanea*, patria Constantiensis, successit Walburgi. Fuit religiosa admodum & mansueta Domina. Præfuit laudabiliter & ipsa per septennium. Obiit anno Incarnationis Dominicæ 1539. ætatis suæ 43.

13. *Veronica vel Berenice Krælina*, ex Thettnango Montis fortis Comitum Algovico oppido nata, eligitur unanimi sororum omnium consensu anno Domini 1539. Præsidet laudabiliter & utiliter adhuc XLVI. sororibus, non Germanas tantum, sed & latinas literas mediocriter callentibus, hoc currente Jubilæo, ætatis suæ anno 63. domina mansueta & pia, quæ his ipsis penè latinis verbis (quibus utor) mihi dicebat: Navigasse se diu equidem per turbulentum hujus mundi mare, sed jam penè perve-nisse ad portum salutis vitæq; per Christum præparatæ sempiternæ.

Moniales eruditæ.

HEREMITARUM in Nariscis cœnobium Cistercienſis inſtituti ampliſſimum, ad Wundrebum amnem ſitum, vulgò Waldſaſſen / ab Eremitis, qui illic in denſiſſimis nemoribus plantandæ Chriſtianæ religionis ergò confederant, ſic dictum, cœpit anno Chriſti 1133. in ipſis Calendis Octobribus. Vera originis hiſtoria veteribus monumentis comprehenſa, hæc eſt.

Waldſaſſen.

Erat in Weſtphaliæ illa parte, quæ Colonienſi Archiepiſcopo ſubeſt, ad Juram torrentem non procul à Diſpergio oppido, caſtrum, Wolmundſtein / in eo avitam habebant ſedem Nobiles viri, quos tota circumjacens provincia ab hoc ipſo caſtro appellabat Dominos de Wolmundſtein. Horum unus, Gerwicus nomine, ſtrenuus & generoſus juvenis, dum (ut multis innoteſcat) circumquaque ad aulas maxime celebrium Principum obequitat, & virtute excellentium hominum amicitias & favorem expetit, multorumq; cum urbes tum mores videre deſiderat, accidit, ut in Bavariam quoq; deſcendens Principem ibi tunc temporis famoſiſſimum, Theobaldum, Marchionem Vohenburgenſem & Nariſcorum terræ Dominum, in caſtro Bavarico Vohenburg, ad Danubium medio ferè itinere inter Ingolſtadium & Ratisbonam hodie ſito, habitantem, ipſum quoq; juvenem ſtrenuum & totum equeſtribus ſtudiis deditum, ejus ſe notitiæ & amicitiæ inſinuans conveniret. Hunc cum Marchio vidiſſet ſuis moribus pulchre convenire, flagraretq; ipſe quoq; (etſi uxoratus jam & prole auctus) variarum cum rerum, tum regionum videndarum deſiderio non minori, quàm Gerwicus, datis utrinq; ſymbolis fidei dextris, amicitiæ indiſſolubilis ac ſempiternæ inter ſe juvenes Theſeum fedus ineunt ac paciſcuntur, moxq; concordibus unà animis ad omnium Principum aulas (in quibus equeſtres ludos ſeu Torneamenta nobilitatis Germanicæ exercendæ ergo inſtitui aut exhiberi ſciebant) ſeſe conferunt, virtutisq; ibi ac fortitudinis ſuæ ſpecimina edunt.

Wolmundſtein Caſtrum.

Marchio de Vohenburg.

Morum ſimilitudo cauſa amicitiæ.

Accidit vero aliquando, ut in promiſcua & ſubita quadam multorum ſimul adverſis haſtis coeuntium cataphractorum concurſatione, ubi ſinguli in ſingulos caſu oblatos totis viribus irruunt,

unt, Gervvicus etiam forte fortuna in Theſea ſuum, Principem Theobaldum incideret, haſtaq; ita illum feriret, ut effracta galea gutturi amiciſſimi ſocii lethale pene vulnus infligeret: quod cum animadvertiſſet Gervvicus, graviſſime perturbatus, in poſterum omnibus mundi pompis ac voluptatibus perpetuum apud ſe exilium indicere decrevit. Marchio vulneratus ad ſua jam etiam animum adjicere, &, ut fit, quando in ærumnis conſtituti ſumus, ad relictam domi uxorem, relictos liberos, relictamq; ſui principatus univerſam gubernationem, quaſi præſentis Dei certa voce admonitus, cogitare cœpit. Adeo verum eſt Propheticum illud ex *Eſaia* notum: *Vexationem*, hoc eſt, ærumnas & calamitates, *dare intellectum*, id eſt, præbere occaſionem redeundi per oſtium pœnitentiæ in viam, unde digreſſus ſis. Cum itaq; amica diſceſſione facta uterq; ad ſua rediſſet, Gervvicus rebus domi diſpoſitis mundo valedicere volens, monaſterium Sigbergenſe, non procul à Colonia ſitum, ingreſſus, Benedictinum illic inſtitutum ſub Abbate profiteri cœpit. Marchio vero, quandoquidem propter uxorem, liberos ac avitas provincias ſecularibus rebus ac negotiis abſtinere in univerſum aut religioni totum ſeſe dedere nequaquam poſſet, ut eam tamen augeret pietatisq; ſtudia proveheret, ac uſitatos Dei cultus latius propagaret, officium ſuum eſſe ratus, cœnobium novum de propriis bonis ac annuis proventibus in ipſa ditione ſua ad amnem Regum conſtruxit ac fundavit, quod accolarum vulgus Reichenbachium vocat, aliquot milliaribus ſupra Ratisbonam hodie adhuc ædificiis & religione conſpicuum.

Amicus amicum inſcius letaliter vulnerat.

Vexatio dat intellectum.

Sigebergum Cœnobium.

Reichenbachium Cœnobium.

Labentibus aliquot annis accidit, ut Gervvico propter ſingularis urbanitatis ac manſuetudinis laudem advenientium hoſpitum cura in cœnobio Sigebergenſi commendaretur: ad quem cum veniſſet aliquando Dominus Chuno, electus Eccleſiæ Ratisbonenſis Epiſcopus, dum è Pariſienſi gymnaſio ad ſedem ſuam Epiſcopalem capeſſendam iter faceret, videns ipſe inſignem Gervvici virtutem, facilitatem morum, modeſtiam ac virtutum cæterarum omnium reginam ac illuſtratricem pietatem, ingenium item prudens ac boni conſilii ferax tantum precibus effecit cum

apud loci Abbatem, tum vero ipsum etiam Gerwicum, ut eum permissum sibi Abbatis favore ac venia Ratisbonam unà secum abduceret Episcopus, ut quem omnium suarum fortunarum socium, & actionum inspectorem, perpetuumq; consiliarium habiturum sese sperabat.

Etsi vero Gerwicus Chunonem Episcopum Ratisbonam non gravatim sequeretur, tamen cum animum ad religionis studium adjecisset totum, persuaderi, ut Ratisbonæ maneret in aula, nec à Chunone Episcopo nec alio quoquam potuit. Instítit autem Domino Chunoni petitionibus & precibus tamdiu, donec ille datis etiam literis copiam ei faceret ingrediendi Eremi, & quærendi loci in diœcesi Ratisbonensi pro monachorum congregatione idonei: quod cum studiose faceret Gerwicus, incidit casu in hanc Nariscorum veterem provinciam, & in silvam densissimam, solisque tum venatoribus perviam, ejus nimirum loci, quem hodie adhuc accolæ *Kolergrun* appellant. Ibi dum succisis aliquot arboribus, nondum salutato fundi Domino, domunculam & oratorium pro se ac additis sibi sociis construere molitur, prodit interim venatum ex urbe sua Egrana Marchio Theobaldus, qui videns, partem silvæ succisam esse & domunculam in ipsis ferarum latebris erigi, furiosus accurrit, iratusq; quis ibi construere aut se insalutato erigere ædificiorum quidquam ausit, à laborantibus ac trepidantibus fratribus avide percontatur. Ibi Gerwicus præsente animo ad Principem sibi adhuc ignotum progreditur, nomenq; & originem suam professus, mox quo consilio aut cujus jussu in eum locum secesserit, accurata oratione habita, & Episcopi Ratisbonensis literis redditis copiose edocet: quem cum Princeps audiret, Gervvicum illum esse, nobilem virum de Wolmundstein, veteri necessitudine sibi conjunctum, gaudio plenus equo desiliit, ac Gervvicum amanter complexus vulneris ab eo olim sibi inflicti cicatricem ostendit, bonoq; animo esse jubet, & consilium ejus de construenda domo Dei approbans statim renovandæ veteris amicitiæ studio ad cœnobii exædificationem tantum silvæ liberaliter donat, quantum Gervvicus posset integri diei spacio circumire. Idcirco socii Gervvici

Kolergrun.

Egra.

vvici illico sese hilares futuro operi accingunt, silvas extirpant, saxa undiquaq; convehunt, ligna aptari curant, dumq; silvæ vicina loca omnia studiose inspiciunt, amœnissimũ ac maxime piscolentum fluviolum Wundrebum inveniunt, ad cujus ripam unanimi consensu inchoata ædificiola transferunt, ac totum cœnobium construunt, &, quia Eremi ac solitudinis studiosi illis consedissent, ab hoc ipso quasi fatali suo consessu nomen novo monasterio imposuerunt, ut Germanica lingua **Waldsassen**/quasi Eremum & nemora amantium, aut (quod Germanismum melius exprimit) ad nemora sedentium locus diceretur.

Erat ea tempestate adhuc in vivis Divus Bernhardus, Cisterciensis instituti primus author, qui tum præpotenti Burgundionum terræ monasterio Claræ vallis Abbas imperabat. Hunc Gervvicus propere accedens, monachos petit ad novum suum cœnobium instruendum excolendumq;, quos cum nec Divus Bernhardus, nec alii Abbates in tota ea peregrinatione rogati dare potuissent, ad Wolckenrodensem Abbatiam impigre contendit, ubi cum tres suæ professionis monachos consecutus esset, mox Waldsassium rediit, ac inchoatas habitationes feliciter absolvit, accedentibus undiquaq; piorum hominum donationibus ac eleemosynis liberalissimis. Elegit autem Wigandum quendam in cœnobitarum collectorum Priorem, qui cœlesti oraculo per quietem oblato admonitus, D. Virgini matri ac B. Joanni Evangelistæ locum hunc sacrandum ac dedicandum censuit, tanquam centesimam ovem, quod locus iste centesimus esset in tota Christianitate Cistercienſi recens inchoato ordini nuncupatus. Dumque Waldsassense cœnobium ita feliciter surgit, accedit ad novum hoc Nariscorum terræ ornamentum alia insuper felicitas neutiquam hic prætermittenda aut silentio prætereunda.

Clara Vallis.

Volckenrode Cœnobium.

Hæc illa erat: Habebat Princeps Theobaldus ex prima uxore sua Domina Adelhaide, Poloniæ Ducissa, filiam Adelheidin, insigni forma ac singulari virtute prudentiaq; præstantem puellam, quam cum potentissimus Imperator Fridericus Barbarossa matrimonii legibus sibi conjungi petiisset, nuptiæ anno Christi 1179. regio apparatu in urbe Egrana præsentibus multis Germaniæ

Fridericus Barbarossa, ducta Vo-

heburgensis Marchionis filia, nuptias celebrat in Egra Civitate.

niæ cum ecclesiasticis tum secularibus Principibus celebratæ & peractæ sunt. Dos Regiæ puellæ erat civitas Egrana cum adjacente ditione omni, recensq; constructa ac nuper adeo quatuor præclaris pagis à Marchione Theobaldo donata Abbatia. Peractis nuptiis, prodiit Imperator cum magno Principum ac Episcoporum comitatu in novam Abbatiam, quam se præsente à Chunone II. Episcopo Ratisbonensi consecrari fecit. Ab eo tempore ad hæc nostra usq; cœnobium prædictum semper Imperatoriæ ditionis fuit. Tutores vero habet Principes Palatinos Rheni ab anno 1411. Sunt in ejus templo principaliore præcla-

Landgravii Leuchtenburgenses.

ra Mausolea provincialium Comitum de Leuchtenberg, Gebhardi videlicet ac Friderici cujusdam, qui patre etiam Friderico & matre Elisabeta, Comitissa de Ortenberg, natus, Abbas Lanckeimensis ac Eboracensis cœnobiorum, tandem Aistetensis etiam Ecclesiæ Episcopus factus, ex hac mortali vita anno 1346. ad salutis æternæ patriam emigravit. Est in sinistra chori parte tumulus Friderici ac Gebhardi, Comitum de Sultzbach, & propè ædiculam corporis Dominici egregium monumentum Joannis, Episcopi Ebronensis, in Waldsassensi olim cœnobio professi, qui mortuus esse legitur anno 1404. secunda Kalendarum Maij. Sunt in eodem templo sepulturæ etiam nobilium regulorum de Wirsberg, Sparrenhecke, Schirnting, Nothafftorum, item de Weissenstein & quorundam aliorum cum in Narisco rum, tum Prætoriana terra habitantium. Catalogus hujus loci Abbatum talis à me ex variis cœnobii monumentis & annotationibus monasticis non sine multo, sed tamen ob vicinæ patriæ amorem longe suavissimo labore congestus est.

Abbatum Catalogus.

1. *Henricus* primus Abbas eligitur anno 1134. Sedit ad clavum per unius saltem anni spacium.

2. *Ulricus* successit Henrico & præfuit per annum similiter unum tantum.

3. *A Deo datus*, tertius Abbas Eremitarum domus constituitur, & præsidet itidem per unum duntaxat annum.

4. *Gerlacus* eligitur Abbas quartus anno 1138. quod privilegia accepisse legitur Moguntiæ à Rege Conrado Suevo primo anno

anno regni ejus. Teſtes introducuntur Ruffinus Epiſcopus, Cardinalis Apoſtolicæ ſedis legatus, Adelbertus Archiepiſcopus Moguntinenſis, Adalbero Treverenſis, Embrico Epiſcopus Herbipolenſis, Bucco Wormacienſis, Wernherus Monaſterienſis, Gebhardus Comes de Sultzbach, & alii plures celebri loco nati proceres. Eidem Gerlaco dedit etiam privilegia anno 1147. idem Conradus, Imp. effectus. Præfuit iſte laudabiliter 25. annis, quibus monaſterium ſuum primus ab exactionibus & advocatiis liberavit. Sub ejus gubernatione Zedlicenſe cœnobium in Bohemia octo milliaribus à Praga, regni metropoli, Moraviam verſus ſitum, fundatum eſt, monachis aliquibus ex Waldſaſſio ad novam terram excolendam evocatis. Sub hoc Abbate Thurſonis novales, vulgo Thurſenreuttum, hodie egregium oppidum ac propter adjacentes ampliſſimos lacus natura loci munitiſſimum, tum vero pagus tantum Sigefridi Epiſcopi Spirenſis ac Godefridi, fratrum ac Comitum de Leiningen erat, qui dederunt Abbatiæ Waldſaſſenſi pagum Hoſteich, antiquitus Niderteichum dictum. Poſtea Thurſenreuttum in manus Dominorum de Hartenberg, & tandem Rabothonis ac Henrici, Comitum de Ortenberg, pervenit, à quibus permutationis jure acceſſit monaſterio.

Zedlicium Cœnobium.

Thurſenreutt oppidum.

5. *Daniel* conſtituitur Abbas anno 1163. Præfuit & profuit cœnobio ſuo annis 33. Legitur conſcripſiſſe Papiam, ſed quale id opus ſit, ego hactenus ignoro. Fuit Friderico Barbaroſſæ laudatiſſimo Imperatori familiariſſimus, quem in Siciliam, Apuliam & Longobardiam iter facientem ſecutus plurima ab eo impetravit, ſecumq; aliquot auri marcas cum plurimis clinodiis ac reliquiis domum attulit. Conſtruxit ambitum templi ac hoſpitum advenientium domum nunc plane vaſtatam. Accepit privilegia à Pont. Max. Alexandro III. & anno 1184. egregium diploma à Lucio III. P. M. Veronæ datum, per manus Alberti Cardinalis. Conſecutus eſt inſigne privilegium Herbipoli etiam ab Imp. Henrico VI. in Februario anni 1194. In eo teſtes nominantur Conradus, Archiepiſcopus Moguntinenſis, Adolphus Colonienſis electus, Henricus Dux Bohemiæ, Otho Epiſcopus Baben-

Papias liber.

Babenbergenſis, Hermannus Monaſterienſis, Eberhardus Merſenburgenſis, Bertramus Metenſis, Henricus Herbipolenſis, Theodericus Miſnenſis, Conradus Ratisbonenſis, Rudolphus Verdenſis, Wulffgerus Patavienſis, Conradus Palatinus Rheni, Leopoldus Auſtrius, Bertholdus Dux Meroniæ &c.

6. *Erckenbertus* ſucceſſit Danieli anno 1196. Præfuit 18. annis glorioſe. Conſecutus eſt privilegiorum ſuorum confirmationem in civitate Egrana à Rege Rom. Philippo. 9. Kal. Martii indictione ſexta. Sub ejus gubernatione abſolutum eſt cœnobium Woſſecenſe juxta Litomeritzium in Bohemia ſitum, quod prius ſub Daniele Abbate conſtrui cœptum erat. Ejus loci primos monachos dedit Abbas iſte è Waldſaſſenſi ſuo monaſterio. Donatus eſt idem Abbas à Bertholdo Marchione in Voburg decimis quibusdam anno 1202. Teſtes ſunt Rembodo & Thiemo, Marchiones de Voburg.

Woſſeckum Cœnobium.

7. *Hermannus* eligitur anno 1214. Laudabiliter præfuit & plurimum profuit cœnobio ſuo annis 8. Legitur fuiſſe vir magnæ devotionis & (adſcribam enim verba, quæ de ipſo reperiuntur ſcripta) plurimæ cum ſanctis Dei Angelis converſationis, de quibus tractatum compoſuiſſe ſcribitur, qui propter crebras cœnobii vaſtationes ad noſtram notitiam non pervenit. Accepit privilegium anno 1214. ab Imp. Friderico II. in Egrana civitate datum, per manum Conradi Metenſis & Spirenſis Epiſcopi & Imperialis aulæ ſupremi cancellari, in quo teſtes allegantur Albertus Archiepiſcopus Magdenburgenſis, Otho Epiſcopus Herbipolenſis, Engelhardus Naumburgenſis, Conradus quondam Halberſtatenſis, Hermañus Landgravius Thuringiæ, Theodericus Miſnenſis & Orientalis Marchio, Otho Dux de Meran, Adolphus Comes de Schaumburg, Albertus Comes de Eberſtein, Henricus Comes de Schwartzburg, Fridericus Comes de Bichelingen, Burchardus Comes de Mansfeldt, Erneſtus Comes de Vilſeck, & quidam miniſterialis de Egra. Accepit eodem anno ab eodem etiam Imperatore aliud privilegium Egræ datum 12. Kalend. Decembr. in quo teſtes citantur Otho dux de Meran, Gebhardus Dux Landgravius Leuchtenburgenſis. Tertium privilegium

legium ab eodem Cæsare consecutus est in eadem urbe datum ano Domini 1219. decima quarta Kalend. Decembr. Fecit primus piscinas & insignes lacus Thursenreuttenses. Pagum enim eum pro prædio Seewarn permutatum anno 1217. à Rabadone, Comite Palatino, ipsiusq; fratre Henrico, Comitibus de Ortenberge, plene consequutus est Imperante Friderico II. Moritur anno Domini 1222. ipso die Angelorum, non domi, sed in Cistertio, Burgundionum terræ potentissimo monasterio, ubi in ambitu Ecclesiæ ante aram S. Trinitatis honorifica sepultura donatus est. *Cistertium.*

8. *Eberhardus* succesſit Hermanno. Præfuit 27. annis utilissime monasterio Waldsassensi, quod variis structuris & ædificiis plurimum auxit & ampliavit. Huic privilegium dedit Imperator Fridericus II. Capuæ in Italia anno Domini 1223. mense Februario. Henricus vero Friderici Imperatoris filius aliud dedit Herbipoli in Martio anni 1227. in quo testes nominantur Eberhardus Archiepiscopus Salisburgensis, Hermannus Episcopus Herbipolensis, Henricus Aistetensis, Ludovicus Bavarus, Leopoldus Austrius, Ludovicus Charintiæ Dux, Hermannus Magister domus Teutonicorum Hierosolymitanus, Conradus Burggravius Noribergensis, Fridericus de Truhendingen, Gerlacus de Butingen, Eberardus Dapifer de Walburg, Conradus & Eberhardus pincernæ de Wilterstetен &c. Eidem Eberhardo Abbati privilegium dedit Rex idem Henricus, Friderici II. filius, in Novembri anni Christianorum 1223. in civitate Egrana, in quo testes enunciantur Conradus Episcopus Spirensis, Eckenbertus Bambergensis, Hermannus Marchio Badensis, Theobaldus Marchio de Hohenburg, Gebhardus Landgravius de Leuthenburg, & frater hujus Theobaldus, Conradus Dapifer de Waldburg, Dietho de Ravensburg, Albertus de VVonsidele, Henricus de Kinsberg, Arnoldus & Rudigerus de Sparrenhecke, & alii plurimi. Et iterum consecutus est Abbas iste privilegium ab eodem Rege Henrico, in patrem seditioso, in Egrana civitate datum anno 1232. mense Julio: Et iterum aliud in eadem urbe anno 1234. mense Julio, in quo testis est Eggenbertus Bambergensis Episcopus. Abbas iste Eberhardus senio confectus & gu-

bernationis pertæsus resignavit Abbatiam anno 1249. Paulo post evocatus est ex hac vita, & in domo capitulari sepultura donatus se digna.

9. *Joannes*, à resignante Eberhardo Abbatiæ clavum cum consensu totius conventus accipiens, præfuit 21. annis utilissime, Regibus & Principibus charus & acceptus. Resignavit gubernationem propter afflictam valetudinem anno 1290. Huic Abbati dederunt anno 1263. Fridericus & Gebhardus fratres, Landgravii de Leuckenburg vel Leuthenburg, castellum VValtershofense cum pagis VVolframsreut & Maierhofe, quæ bona omniae merat Abbas à patre eorum principe Friderico ejusq; conjuge Domina Isentrude.

10. *Gisilbertus*, ex VVossecensi Abbatia desumtus, VValdsassensi præficitur eodem año, quo Egrana civitas calamitosissimo incendio tota penè deleta est, videlicet 1270. Præfuit tribus annis, & aliquot etiam aliis Campinensi cœnobio; tandem senio confectus utriusq; magistratu ultro sese abdicavit.

Camp. Cœnob.

11. *Lambertus* successit Gisilberto, electus anno 1273. Præfuit utiliter tribus annis & sex mensibus. Fuit vir probus & simplex. Decessit anno Domini 1277.

12. *Joannes* II. eligitur anno Christi 1277. Præfuit pio corde & fideliter annis 12. Valedixit huic vitæ anno redemti orbis 1288. Accepit privilegium à Rudolpho Imperatore Viennæ anno Domini 1280. & aliud VVimpinæ anno 1287.

13. *Theodericus*, decimus tertius VValdsassensium Abbas, ex VVossecensi Bohemiæ cœnobio excitus, constituitur anno Christi 1288. Præfuit sapienter & utilissime annis 18. Fuit præcipuus consiliarius & compater Regis Bohemiæ, VVenceslai II. ejus videlicet, qui filius erat Ottocâri Regis, ab Imperatore Rodolpho Habspurgio apud Nidersbruggum cæsi, & ejusdem Rodolphi gener. Ab hoc Rege compatre suo donatus est anno Domini 1294. ecclesia in Radansfurtt diœcesis Pragensis cum omnibus juribus ac pertinentiis, ad dictam ecclesiam spectantibus: quæ donatio à D. Tobia Pragensi Episcopo confirmata est anno Domini 1295. Idem Abbas crebris hortationibus author fuit Regi VVenceslao, ut Aulæ Regiæ monasterium Cistercien-sis ordi-

Radansfurtt.

Aula Regia Cœnobium.

ordinis amplissimum construeret supra Pragam ad sinistram Moldari ripam, in quod ipse monachos è Waldsassensi sua Abbatia misit, qui illic religionis studia profiteri inceperunt anno Domini 1305. Accepit privilegium à Rodolpho Imperatore Erfordiæ anno Domini 1290. Erat strenuus in acquirendis novis possessionibus & dilatandis Abbatiæ suæ terminis: emit enim Falckenbergum arcem, ac marcam ad Nabum Tursenreuttanum piscosum amnem sitam: arcesque Neohusum & Schwartzenschwal pro 300. marcis puri argenti anno Domini 1294. ab Ulrico, Landgravio Leuckenbergensi. Liebensteinium item arcem ac pagum non procul à Thursenreutto oppido situm anno Domini 1298. à Theodorico de Parsperg, judice in Waldegk. Sub ejusdem gubernatione legavit cœnobio Waldsassensi Domina Isentrudis, Friderici Landgravii Leuthenbergensis relicta vidua, 40. marcas argenti anno Domini 1289. Tandem tædio curarum & gubernationis molestiarum resignavit Abbatiam, retenta tamen honesta pensione annua. Mortuus in cœmiterium positus est, at à successore Othone postea in domum capitularem ad antecessores translatus.

Falckenburg. Neuhaus. Schwartzenschwall. Liebenstein.

14. *Otho* ex Priore Abbas factus esse legitur anno 1306. Fuit vir doctus, scripsit latine antecessorum suorum breves Annales. Præfuit duobus annis laudabiliter, & viam universæ carnis ambulavit anno gratiæ 1308.

15. *Heidenricus*, vir justus & pius, ex Zedlicensi monasterio Bohemico, in quo jam antea Canonicè in Abbatem electus diu feliciter præfuerat, ad gubernationem Waldsassensis etiam Abbatiæ evocatur anno 1308. Præfuit duobus mensibus, & quia imprimis charus esset tum populo, tum cœnobitis suis Zedlicensibus, quibus prudenti gubernatione sua jam tum etiam plurimum profuerat, rogatus, ut apud eos maneret nec alibi domicilium eligeret, missis ad Abbatem Volccenrodensem, visitatorem primarium VValdsassensem, duobus Abbatibus VVossecensibus, Theoderico, qui nuper ibi resignarat, & Gervvico, tum ad clavum cœnobii sedente, oblatam Abbatiam VValdsassensem cum multa gratitudinis significatione reddidit, ejusq; magistratu

in universum sese abdicavit, moxq; Zedlitium rediit, ubi 42. annis summa cum laude & gloria præfuisse legitur. VValdsassum postea VVallerbacensi Abbati gubernandum committitur, sed & ille sua sorte contentus VVallerbachi manere, quàm VValdsassum migrare maluit. Alius idcirco Abbas & gubernator quæsitus est, videlicet

Wallerbach.

Abbas sit cellæ vinariæ præfectus.

16. *Ulricus*, ex Conversorum in Aula Regia Magistro unanimi VValdsassensium monachorum consensu assumtus, qui præfuit annis pene sex, & anno Domini 1313. resignans, ad aulam Regiam in Bohemiam rediit, ubi cellæ vinariæ præfectus, reliquum vitæ in quiete potius, quàm istic in laboriosa tanti cœnobii gubernatione absolvere maluit. Accepit privilegium ab Imperatore Alberto Austriaco, datum anno Domini 1306. in castris Mittelweide, quo datur Thursenreuttanæ villæ hebdomadale forum, Martis die celebrandum, & anno Domini 1308. dedit idem Imperator Albertus eidem Ulrico Abbati jus patronatus parochialis Ecclesiæ in Rasche Aistetensis diœceseos. Hic Abbas Redowitzium etiam præclaram marcam hodie S. P. Q. Egrani, sed tunc temporis pagum saltem, & Seussenam prædium olim, nunc pagum, anno Domini 1310. acquisivit ab Harwardo ac Tutone patre & filio, nobilibus viris de Schonbrunne & Heertenberg, qui eadem loca ab Imperatore quodam, cui milites aliquandiu serviverant, pro 70. librarum denariorum debito acceperant: quæ ipsa loca postea idem Abbas monasterio in perpetuum possidenda ab Imperatore confirmari fecit.

Redwitz

Elnbogen.

17. *Joannes de Cubito*, vulgo Ellenbogen, oppido Boemico ad Egram fluvium sito, ex Priore VValdsassensi ejusdem loci Abbas constituitur anno Domini 1313. vir Deo & hominibus dilectus. In conspectu enim Regum ac Principum authoritate summa erat præditus, quod esset prudentia & consiliis maximus, erga omnium ordinum homines placidus ac mitis, in observatione vero instituti Cisterciensis & regulæ suæ cum zelo quodam strenuus & vigil, in prædicatione verbi Dei gratiosus, in operibus virtuosus. Is utilissime & summa cum prudentia præfuit annis 12. Habuit omnino clementem & propitium Imperatorem, Hen-

Henricum VII. Lutzelburgenſem Ducem, cujus epiſtola ad hunc Abbatem è Roma ſcripta talis extat, quam huic catalogo inſerui, quod coronationem Henrici VII. Romæ à Cardinalibus factam, Clemente V. Rom. Pontifice interim apud Avenionem in Galliis degente, pulchre deſcribat, ſimulq; animi omnino clementis erga hunc Abbatem minime fallax teſtimonium perhibeat.

Henricus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Venerabili Abbati VValdſaſſenſi Ciſtertienſis ordinis, devoto ſuo ac dilecto, gratiam ſuam & omne bonum. Magnus Dominus & laudabilis valde, in excelſo Divinitatis ſuæ ſolio reſidens, imperium ſuum (quod pro meritis ejus inter nationes diverſas quaſi cum gentibus à ſuo creatore degenerantibus vacillabat) tranſire voluit ad Romanos, ut illuc præiret Imperialis excellentiæ thronus, ubi erat ſacerdotalis ſedes & Apoſtolica affutura: ita quod in eodem loco ſummi Pontificis & Imperatoris authoritas reniteret. Noviſſimis quippe temporibus illo translato in Germanos, poſtq; plures principes ad ipſum vocatos imperium, quorum quidam ipſius imperii aſſumſere diadema, quidam non: divina cooperante clementia, per eos, ad quos ſpectat, in Romanorum Regem, futurum Imperatorem rite & concorditer electi propoſuimus ad urbem pro coronationis noſtræ ſuſcipiendis ſolenniis proficiſci. Ac ſanctiſſimum in Chriſto patrem, Dominum Clementem ſummum Pontificem requiſivimus, ut ad urbem accedens præfata ſolennia nobis ibidem tradere dignaretur. Qui cum ex certis cauſis juxta noſtrum immenſum deſiderium intereſſe nequiret, ne dicta coronatio ob ſui abſentiam impediri valeret, venerabilibus patribus, Dominis Arnoldo S. Sedis Apoſtolicæ Legato, Leonardo Albanenſi, & Nicolao Hoſtienſi, ac Velletrenſi Epiſcopis, ac Franciſco S. Luciæ, nec non Lucæ S. Mariæ, in via lata Diaconis Cardinalibus commiſit in hac parte plenarie vices ſuas, cum clauſula, ut ſi non omnes his exequendis intereſſe valerent, quatuor, tres, duo, vel unus eorum dictæ coronationis noſtræ negotium expediret. Verum dictis Leonhardo & Franciſco de hac luce ſubtractis, per dictos Dominos Cardinales ſuperſtites, die feſto B. Petri & Pauli Apoſto-

lorum (quem ad hoc, ut poteramus, virtute dictæ commissionis elegimus) in ecclesia S. Joannis Lateranensis, præsente Archiepiscoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum, ac Ecclesiasticorum ordinum urbis, Ducumq; , Comitum, Baronum, Nobilium Romani populi innumerosa caterva oleo sacro uncti fuimus nec non imperiali diademate coronati, ac aliis debitis ac consuetis solenniis insigniti. Hæc autem devotioni tuæ voluimus intimare, ut de nostris felicibus successibus valeas exultare. Datum Romæ quarto Kalendarum Julii, regni nostri anno quarto, imperii vero anno primo.

Idem ille Abbas causam cœnobii sui egit coram Ludovico, Romanorum Rege, adversus Burggravium Noribergensem, monasterii VValdsassensis admodum inclementem vastatorem, & tantum apud eundem Regem (qui aliquoties in cœnobio VValdsassensi fuit) effecit, ut pro illatis sibi à Burggravio damnis jus patronatus Ecclesiarum in Perngavv Aistetensis diœceseos & Horburg Augustanæ diœceseos consequeretur, & idem jus in Flos, Pernavv, Greisbach, & Hohentann per vim abalienatum recuperaret, quod & publicis diplomatibus Regum confirmari fecit. Huic ipsi Abbati dedit anno Domini 1319. Ludovicus Imp. liberam potestatem ex villa Schombach civitatem faciendi: & aliud privilegium, in quo tradit villæ Schombach forum hebdomadale, & omnia jura omnesq; libertates civiles, quibus Egrensis urbs gaudet & gaudere hactenus consuevit. Emit castrum Hardeck cum toto adjacente territorio pro 270. sexagenis grossorum Pragensium ab Ulrico Landgravio à Leuckenburg, compatre suo, anno Domini 1316. Resignavit Abbatiam anno 1325. & retenta annua pensione in arce Hardeck sedem suam habuit: tandem valetudinarius in monasterium profectus, prope sacellum S. Jacobi antefontanum, domunculam pro suo modo decenter ornatam inhabitavit, in qua mortuus, inde ad Capitularem locum delatus, ac prope alios Abbates antecessores suos humo honorifice mandatus, primæque omnium mortalium parenti redditus est sub Abbate successore.

Schombach.

Hardek.

18. *Joannes Gribelius*, patria Thuringus, puer adhuc à præceden-

cedentibus Abbatibus, quod ingeniosus & bene compositis esset moribus, amatus, & à Joanne Cubitone Lutetiam propter miram ingenii dexteritatem & corporis agilitatem studiorum ergò missus, cum inde rediisset, mox Wossecensi Abbatiæ, propè Litomeritium in Bohemia sitæ, Abbas præfectus est, ubi cum aliquandiu feliciter præfuisset, tandem à resignante Abbate Joanne Cubitone ita cœnobitis VValdsassensibus commendatus est, ut unanimibus omnium Capitularium suffragiis eidem Joanni in VValdsassensis Abbatiæ gubernatione subrogaretur, quod factum est anno Domini 1325. Invenit monasterium opulentissimum, idcirco multis præclaris ædificiis id illustravit, majoremque ejus partem muro inclusit ac præclare munivit. Hypocaustum hibernum cum alta turri in domo Abbatis, plurimasq; cœnobio suo utiles officinas fecit. Thursenreuttum oppidum, inter lacus situm, à Thursone olim quodam cum vetusto S. Petri sacello construi cœptum, mœnibus etiam ac vallo cinxit & inferiore turri munivit: castrumq; ibidem primus de novo exædificavit. Erat imprimis charus Dominæ Elisabetæ, Bohemorum Reginæ, Caroli IV. Imperatoris matri, quæ in ejus favorem ac gratiam monasterio multos insignes ornatus, sui nominis primordiali litera, E, insignitos dono dedit: in extremis etiam agens & jam jam animam Deo redditura, eidem Abbati aurea quædam clinodia legavit, sed quæ Carolus tum adhuc Moraviæ Marchio detinuit. Erat Abbas prodigus, idcirco sub ejus gubernatione inclinari cœpere res & opes monasterii alioqui ditissimi. Cumque 14. annis præfuisset & adversa valetudine laborare jam inciperet, reddita Abbatiæ administratione his, à quibus eandem prius acceperat, sibi domum supra coquinam adornans & reædificans, mediocri pensione, censuum videlicet Neoforensis Ecclesiæ contentus, ibi reliquum vitæ, manibus pedibusq; contractis, privatus traduxit. Mortuus tandem in capitulari domo decenter humatus est.

Thursenreuttum muro cingitur.

19. *Franciscus Kribel*, Egranus, cum in Parisiensi gymnasio aliquamdiu bonis literis ac Theologiæ studiis operam dedisset, inde ad VValdsassense cœnobium profectus, monasticen profiteri

teri cœpit : cumque doctrina & prudentia cæteris anteiret, dignitate Prioratus mox donatus & ornatus, tandem etiam resignante Abbatiam Gribelio, anno Domini 1339. eidem ab unanimiter consentientibus cœnobitis omnibus suffectus est. Præfuit vero undecim annis splendide quidem (erat enim liberalis & multi apparatus studiosissimus) sed non æque utiliter. Regibus siquidem Bohemorum Joanni & Carolo, Ducibus Luzelburgensibus, aliisq; vicinis Principibus, à crebris legationibus, quod esset eloquens & facundus, sæpe Romam aliasq; exteras ac procul dissitas urbes adiit, aliena negotia diligentius quàm sua expediens. Hinc factum est, ut crebris peregrinationibus ac variis illis ad exteras etiam gentes susceptis itineribus plurima absumserit, & idcirco etiam multa vendere coactus fuerit. Vendidit autem castrum Rudolffstein, & Albæ Ecclesiæ marcam (hodie VVeissenstatense oppidum) cum omni adjacente territorio: Schonenbachvvaldum item, cum triginta villis, Chodavv cum pertinentiis omnibus, Bernavv cum villis & dominio omni, jus patronatus Ecclesiarum, decimas, calices, ornatus, imo & pastoralem baculum. Habebat vero cognatos in civitate Egrana; hi quicquid poterant, ad se etiam rapiebant, monachosque misere insuper tractabant, ita ut res non solum aliquoties ad verbera & sanguinem, sed eo etiam deveniret, quod monachi in unum omnes confœderati (absente Abbate) relicto monasterio, & corrasis de tam negligenti gubernatione venditisq; reliquiis, discederent, novumq; inter se Abbatem, Nicolaum Heckhelium, eligerent. Quæ fama cum increbuisset, venit tandem quidam Dominus Morimundus, habens plenariam authoritatem sibi à generali capitulo concessam: is cœnobium reformans, Nicolao Abbate prorsus amoto, Franciscum etiam ob negligentiam exauthoravit, cui tamen exigua adhuc pensio annua data est, qua contentus, in multa patientia, 20. adhuc annis supervixit, sacris fideliter serviens & monasterium consilio fideliter adjuvans. Postremo apoplexia tactus vocem amisit, & quinto die post acceptum hoc malum naturæ debitum solvit. Ut tamen aliquam bonam etiam sui relinqueret memoriam, instauravit initio ferè

Rudolffstein, Weissenstadt.

guber-

gubernationis suæ arcem Thursenreutensem incendio collapsam: Liebensteinium exteriore muro cinxit, & Brasiatorium, hoc est, lapideam domum, cum Cistertiensi sacello, intra urbis Egranæ mœnia pulchre construxit. Obiit anno 1370. Sub ejus gubernatione admodum infesti fuerunt cœnobio huic Bohemici reguli de Guttenstein, insignes prædones, qui pagum & Ecclesiam Linnberg spoliarunt & campanas etiam inde secum avexerunt. *Liebenstein.* *Linnberg.*

20. *Henricus Rullius*, vir facundus & humanus, ex Zedlicensi monasterio accitus, constituitur Abbas Waldsassensis à Domino Morimundo anno Domini 1350. Præfuit Abbatiæ (quam in summa paupertate invenerat) annis octo fideliter & prudenter, satis item feliciter. Sub eo enim cœnobium sese aliquomodo erigere vicissim incipiebat. Arcem Falckenbergensem & alia quædam adjacentia loca oppignorans, pecunias contrahebat, quibus debitores pacaret & quasi porrecta offa sopiret. Tandem pertæsus gubernationis, curarum & molestiarum feracissimæ, Abbatiam aliquatenus restauratam conventui libere reddidit, seque iterum in Zedlicensis cœnobii pristinam habitationem recipiens, reliquum ibi vitæ privatus peregit & absolvit feliciter.

21. *Nicolaus Steinkeller*, Egranus, in Waldsassensi cœnobio à pueris ferè alitus, postea ad Zedlitium in Bohemiam missus, forte linguæ addiscendæ ergò [omnes enim ferè Waldsassenses monachi antiquitus trilingues erant, latinam videlicet, Bohemicam & Germanicam callentes] revocatus est ab Henrico Abbate ad VValdsassum, & unanimi consensu, cum resignantis Abbatis, tum capitularium fratrum Abbas designatus anno Domini 1358. Præfuit annis tantum tribus. Erat vir prudens, œconomus circumspectus longeq; fidelissimus. Is venditis initio statim gubernationis suæ Pendorffo ac Falckenburgo cum adjacente territorio, castrum Hardeck redemit, ut quod diutissime tenuissent antecessores sui & quod monasterio maxime videretur utile. Pistrinum sua ætate combustum reædificavit & fortissimo muro munivit. Anno tandem 1361. valetudinarius effectus, obiit in die Matthæi Apostoli. Corpus ejus in domum capitu- *Monachi Waldsassenses trilingues.*

capitularem delatum, ac ibi honorifice depositum terræq; parenti redditum est.

22. *Nicolaus* II. successit primo, ex Tachavio Bohemica civitate natus, vir prudentissimus & gubernator adeo felix, ut videretur restituere posse plane in integrum collapsas penè monasterii res ac fortunas, si diutius in hac mortali vita superesse datum ei fuisset. Præfuit annis tantum duobus, & anno Domini 1363. in gravi quodam negotio Pragam contendens, cum in insperatum morbum subito incidisset, ex hac calamitosa vita ad aliam ibi evocatus, & inde ad monasterium suum relatus honorificeq; in capitulari loco sepultus est.

23. *Joannes*, de nobili progenie Wirsbergensium natus, eligitur anno Domini 1363. Præfuit prudenter & utiliter annis novem, mediocriter satisfaciens omnibus creditoribus & multa redimens ab aliis partim vendita, partim impignorata. Valedixit huic seculo ætatis suæ 70. anno, Domini vero anno 1372. in in festo S. Martini. Sepelitur in capitulo. Habuit sub sua gubernatione monachum quendam egregie doctum, fratrem *Marquardum*, de Waldsassen, qui ad Othonem Herbipolensem Episcopum tract. 30. sermonum scripsit: & alium librum de doctrina Evangelica; tertium vero de vita contemplativa ad Eberhardum de Mosbach, Canonicum & plebanum majoris Ecclesiæ Herbipolensis. Is liber ab authore absolutus est anno 1360.

Marquardus Scriptor.

24. *Conradus* Abbas successit Joanni. Præfuit annis 22. Obiit anno Domini 1394.

25. *Joannes Goldius* sequutus est in gubernatione Waldsassensis Abbatiæ Conradum. Præfuit mensibus 15. & obiit anno 1395.

26. *Conradus* II. eligitur per controversiam, aliqua monachorum parte Joanni cuidam suffragante. Sed Conradus, absente Imperatore, Heidelbergam petens, Palatinum Joannem Electorem, Christophori Danorum Regis patrem, ut Imperatoriæ Majestatis locum tenentem, accessit, ibiq; ex Abbatia sese ejectum conquestus est, qui tamen in electione habuisset plura & potiora etiam vota. Respondet Palatinus, accepturum se eum in

in suam tuitionem ea tamen lege ac conditione, ut esset ista cœnobii Waldsassensis tuitio apud Palatinos hereditaria & perpetua. Cui petitioni cum à potiore monachorum parte assensum esset, pervenit cœnobium hoc in Palatinorum tuitionem, quod antea sub regni Bohemici defensione fuerat, post Egram regno Bohemico oppignoratam. Præfuit annis 24. Interfuit is Concilio Constantiensi. Obiit anno Domini 1419.

27. *Nicolaus Eppenreutterus*,, ex celebri Palatinatus oppido Saliceto natus, vir nobilis genere & virtute, consecutus est clavum monasticæ gubernationis in Waldsassio ano Domini 1419. Accepit antea etiam Conradi coadjutor privilegium à Sigismundo Imperatore Constantiæ datum anno Domini 1417. in quo suscipitur cœnobium cum omnibus bonis ac juribus in tuitionem ac salvam guardiam Imperialem : privilegium item Constantiæ à Martino Pontifice datum 8. Id. Aprilis primo anno pontificatus. Præfuit 14. annis laudabiliter, quibus monasterium strenue reformavit ac plurimum auxit. Sed felicitas hæc non admodum diuturna fuit. Cum enim ea ætate tumultuarentur seditiosi Bohemi undiquaq; propter damnatum & insuper exustum in Constantiensi concilio doctorem ac Prophetam suum, *M. Joannem Hussium* de Hussenitz, pago Bohemico, prope Rochizanense oppidum sito, (qui Germanis *ad anserem* dici potest) oriundum, venit ex improviso etiam anno Domini 1430. regulus quidam Bohemicus de Schwannberg, qui monasterium totum diripuit & spoliavit, magnamq; ejus partem inclementer vastavit: quæ calamitas Abbatem in summum mœrorem conjecit, ita ut post triennium ab hoc accepto malo, anno videlicet Domini 1433. ex hac ad aliam vitam emigraret, secunda Kalendarum Aprilium.

Saliceum Weiden.

Joannes Huss.

28. *Joannes Wendelinus Peisserus*, ex Weidena vel Saliceto superioris Palatinatus peramœno oppido natus, eligitur in defuncti Abbatis Nicolai locum anno Domini 1433. quo statim eum iniquissima sors misere excepit. Cum enim vix Abbatiam ingressus esset, venit alius prædo, regulus quidam Bohemicus, Jacubka dictus: is omnia monasterii aurea argenteaq; vasa, &

in promtis præterea pecuniis mille & quadringentos aureos abstulit, ædificiis tamen parcens. Hac hostis exercita tyrannide, & sua accepta clade permotus novus Abbas, mox cum consensu monachorum, castrum forte ac robustum cum præclaris munitionibus ac profundis fossis prope & intra ferè muros cœnobii construere cœpit, ut ingruente simili aliquando calamitate Abbas cum suis tutum aliquod ac firmum adversus hujusmodi vim receptaculum habere posset. Præfuit utilissime 28. annis, quibus primus infulam & alia pontificalia ornamenta cœnobio huic intulit. Fuit Sigismundo Imperatori charus, qui in publicis literis eum principem ac devotum suum appellat. Huic ipsi Abbati Fridericus Imperator anno Domini 1444. præposituram Hochensteinensem confirmavit emtam. Hæc in silva Bohemica non procul à Pago Meringen (quem Wenceslaus Bohemiæ Rex cœnobitis Waldsassensibus dedit) duobus pene milliaribus, ab oppido Pernaw sita & ab Hussitis vastata est. Obiit anno Domini 1461. Habuit germanos fratres tres, Wolffgangum Peisserum, medicinarum celebrem imprimis ac eximium Doctorem, Ingolstadianæ Academiæ professorem & Bavariæ Ducum archiatrum: Georgium Peisserum, cognomento hirsutum, peregrinatorem ad S. Jacobum: & Joannem Peisserum, civem Egranum, proavum meum, in quo adhuc puero, sed pingui ac obeso, cessavit nomen Peisseri. Nam is ab omnibus civibus *Bruschelius* quasi obesulus dictus est, quod postea toti familiæ meæ quasi proprium & avitum cognomen inolevit & inolitum ad hæc usque tempora, ut *Bruschii* appellaremur, mansit.

Castrum Waldsassense.

Hochstein.

Peisseri fratres.

Bruschius unde dictus.

29. *Nicolaus Peisserus*, Egranus, successit Joanni Wendelino. Is præfuit utilissime quoq; annis 18. Exemtus est rebus humanis anno Dominicæ incarnationis 1479. Reformavit monialium S. Claræ cœnobium, quod est in civitate Egrana, & alterum Franciscanorum eidem contiguum, ex commissione summi Pontificis, Pii II. anno 1463.

S. Claræ Cœnobium Egranum.

Franciscanorum Cœnobiũ.

30. *Udalricus Pirckherus*, Salicetanus, post Nicolaum electus, septem annis ad clavum sedit. Obiit anno 1486. in ambitu sepultus.

31. *Er-*

31. *Erhardus Jacobi* succeſſit Udalrico. Præfuit 7. annis & aliquot menſibus ad annum usq; 1493. Habentur in cœnobio literæ Imperatoris Friderici ad hunc Erhardum ſcriptæ anno Domini 1492. de injuriis Caroli & Ludovici, Galliæ Regum, quibus Maximilianus affectus eſt, dum detenta & rapta eſt ipſi concredita jam nupta Domina Britanniæ; petitq; Imperator, ut Abbas auxiliaribus copiis inſtructus coram Cæſare in urbe Mediomatricum compareat. Literæ Lintzii datæ ſunt.

32. *Erhardus Speet*, Egranus, tantum novem menſibus præfuit, & eodem, quo ad Eccleſiæ gubernationem anno venit, inter vivos eſſe deſiit, veneno ſublatus per pravam mulierem porrecto.

33. *Georgius*, cognomento *Angelus*, patria Egranus, ſucceſſit Erhardo Speet, concorditer electus anno Gratiæ per Chriſtum reſtitutæ 1493. Præfuit laudabiliter annis 19. Sub ejus gubernatione exarſit in Germaniis bellum civile Bavaricum, quod anno Domini 1504. Maximilianus Imperator pro Bavariæ Ducibus adverſus Palatinos, Philippum & Rupertum, patrem & filium geſſit: ibi, cum Fridericus, Marchio Brandenburgenſis, Cæſaris partes ſequutus adverſaretur Palatinis, raperentq; ad ſe & occuparent jam Dux Wirtenbergenſis & S. P. Q. Noribergenſis circumquaq; vicinas ſibi civitates Palatinorum, idq; juſſu Maximiliani: ibi in Waldſaſſenſe etiam cœnobium, eo quod Palatinorum tuitionis eſſet, in quam ſeſe commendarat ano Chriſti 1411. ſub Abbate Conrado II. à Marchionicis graviter & præter mediocritatem ſævitum eſt. Pridie enim Nonarum Auguſti, quæ dies Dominica erat, Alexander de Luchow, præfectus oppidi Wonſidelenſis, & alius quidam, Balthaſſarus Pibritzius, collecta multitudine trium ferè millium oppidanorum & comprovincialium, ante diluculum ad monaſterium venientes, vi effractis foribus partimq; conſcenſis muris irruunt, omnia monaſterii adyta & penetralia perluſtrant, omnes officinas expoliant, magnamq; frumentorum copiam cum utenſilibus omnibus, viliſſimis etiam, curribus (quorum plurimos ſecũ advexerant) impoſitam auferunt ac avehi jubent. Non templo, non ſacris veſtibus, neq; libris parcunt.

Bellum Bavaricum.

Alexander de Luchow.

Waldsassum diripitur & igne vastatur.

Cumq; illa, quæ se inventuros sperabant, in tutius receptaculum jam alio translata non invenissent, majoribus furiis incitati, accensis omnibus tam intra quam extra monasterii septa sitis domiciliis, ipsam etiam ecclesiam, cui turris astabat admodum alta & tota plumbo tecta aspectuq; peramœna, injectis ignibus exurunt ac devastant universam. Villas præterea ac curtes vicinas simili avaritia direptas prius, tandem etiam exusserunt. Dum vero onusti præda domum redire volunt Marchionici triumphantesq; quasi re bene & feliciter gesta, non recta, sed per ambages Palatinatus alia quædam loca minitabundi peragrant, inciderunt in eos, Dei nimirum voce admoniti ac animati Palatinorum Principum populi, viri numero mille & centum. Inter hos & sine certo ordine redeuntes à præda Marchionicos juxta pagum Ebenod (hodie Ebmut vocant, medio itinere inter Kemmatum Palatinorum & Wonsidelium, Marchionis oppidum) prælium commissum est, in quo Marchionici cæsi & amisso vexillo, quod hodie adhuc Kemmati in templo pendet & ab ejus oppidi Consule, Domino Erhardo Frauenholt, mihi ostensum est, succubuerunt. Abbas Georgius statim cœnobium reædificare cœpit & magnam ejus partem mediocriter rursus instauravit. Præfuit enim prudenter & utilissime. Ac etsi Alcumisticarum artium mire esset studiosus, quibus plerunq; plus absumi quàm colligi aut acquiri solet, tamen moriens successori suo 24. millia aureorum nummûm cum insigni frumentorum copia reliquit. Obiit anno 1512.

Palatinatus infestatur.

Pugna prope Ebmut.

Alchymia noxia.

34. *Andreas Metzelius*, Ostrofrancus, ex Heidingsfeldo natus, successit Georgio Abbati. Præfuit prudentissime ac utilissime annis 12. feliciter instaurans, absolvens & illustrans omnia, quæ ab antecessore erant inchoata: imprimis Bibliothecam, cui hoc distichon authore *Georgio Læto* inscribi jussit:

Seu te sacra capit, seu te juvat ethnica charta,
Hæc tibi cum lucro Bibliotheca dabit.

Construxit & in ambitu ampliss imo longe amœnissimum ornatissimumq; fontem saxeum trium alveorum & canalium 28. ducta aqua frigidissima & optima in cœnobium ex vicino altis-

simo

simo monte, Glasbergo, canalibus plumbeis. Hujus fontis inferiori coronæ per circumferentiam hi tres versus incisi leguntur:

Hoc opus Andreæ impensis stat pluribus Abbæ,
Qui gelidi liquidas fontis amavit aquas.
Ille quoq; has reparat consumtas ignibus ædes.
Anno Domini 1523.

Fecit idem consecrari templum à se restitutum & eleganter absolutum anno Domini 1517. ipso die Sanctorum quatuor Coronatorum, hoc est, 8. Novembrium, per Dominum Petrum, Hierapolensem Episcopum, Reverendissimi Principis ac Domini, Domini Joannis, Ratisbonensis Antistitis suffraganeum, summamq; ejus aram sanctæ & individuæ Trinitati & beatissimæ Dei genitrici Mariæ sanctoq; Joanni Evangelistæ dedicari, juxta versiculos choro inscriptos, qui tales sunt:

Annos quindecies centum tria lustra duosq;
Virginis à partu fidei numerabat amator,
Luce Novembris in octava: dum sacra quaternis
Festa Coronatis agerentur, dedita Christo
Hæc sunt templa Deo à venerando antistite Petro
Krafft, sacrata suis nec non sunt altera sanctis.
Sic primam Mariæ Comitiq; suo dedit aram.
Cætera stant tutelæ aliorum altaria Divum.

Decessit ab hac mortalium hominum consuetudine anno Domini 1524.

35. *Nicolaus Seberius*, Thuringus, eligitur in locum defuncti Andreæ, opt. œconomus, qui præfuit tribus annis, & primo regiminis sui anno vidit summa animi perturbatione iterum diripi ac vastari suum cœnobium à seditiosis agricolis, cujus instaurationem mox tamen rursus aggressus est, quam cum videret esse curis & molestiis plenissimam, resignavit Abbatiam anno Domini 1527. Ipse Volckenrodum concessit, &, cum ibi etiam tumultuum nullus esset finis, Erffordiam profectus, ibi abjecta monastices professione senex uxorem duxit. *Abbas uxorem ducit.*

36. *Va-*

36. *Valentinus*, cognomento *Piſcator*, patria Egranus, eligitur cum à reſignante Nicolao, tum à Capitularibus. Præfuit annis tribus, & iterum exautoratur. Sedet hoc adhuc currente Jubilæo Egræ in Braſiatorio, ut vocant, ſeu ſaxea domo Ciſtercienſi, mediocri penſione annua donatus.

37. *Georgius Schmuckherus* Valentino ſucceſſit anno Domini 1530. & 15. tantum menſibus præfuit, ocio ac voluptatibus totus deditus, obiitq; anno 1531.

38. *Georgius Agmannus*, Magiſter Lipſienſis, eligitur an. 1531. Is præfuit annis ſex, plurimis ædificiis cœnobium illuſtrans ac totum templum nigro lapide tectorio ſuperinducens, & egregium organum conſtruens. Tandem anno Domini 1537. juſſu Palatinorum Principum (eo quod contemta Palatinorum hereditaria prius facta tuitione D. Joannem Pflug, regni Bohemici Cancellarium, tutorem ſibi elegiſſet) captus Ambergam ducitur, ibiq; in turrim, quam *Fuchſenſteiner* vocant (eo quòd doctor quidam Juris & Palatinorum conſiliarius ejus nominis ſuperioribus annis eam etiam imbuerit) conjectus à vigilia Paſchæ ad diem usque S. Catharinæ ibi detinetur, quo dimiſſus ad Wallerbachium, Ciſtercienſis inſtituti aliud in Palatinatu ſitum cœnobium, venit, ubi magno applauſu & honore Abbas deſignatus, cum aliquandiu feliciter præfuiſſet, tandem anno 1547. peſte ibi abſumtus ac terræ primæ mortalium parenti reſtitutus eſt.

Ambergenſis turris.

Wallerbach.

39. *Joannes à Weze*, ex Ducatu Clivenſi natus, vere heroica corporis proceritate præditus, Archiepiſcopus Lundenſis in regno Daniæ & Epiſcopus Conſtantienſis in Germaniis, vir eloquens multarumq; linguarum cognitione illuſtris, & idcirco Divi Imperatoris Caroli V. orator ac inter Conſiliarios præcipuus unus, conſequitur Abbatiam Waldſaſſenſem, pro obitis plurimis ad exteras gentes Cæſareæ Majeſtatis nomine legationibus, mercedem quaſi ac remunerationem anno Domini 1537. Præfuit annis 11. ac ita utiliter, ut etiam multum profuerit, raro quidem in cœnobio, ſed ſemper ferè in Conſtantienſi Epiſcopatu, cui divitis Augiæ præpotens monaſterium ipſe primus etiam incorporavit. Cœpit Thurſenreutti è fundamentis conſtruere novam

novam arcem veteri contiguam, quam morte præventus non absolvit tamen. Obiit apoplexia in Comitiis Augustanis an. 1548. decima quarta Junii, ætatis suæ anno 59. Vehitur ex Augusta Vindelicorum honorifica pompa funebri ad Augiæ divitis in Acronio lacu sitæ cœnobium amplissimum, ubi cùm digno virtutum suarum elogio terræ omnium mortalium parenti redditus est.

40. *Henricus Rudolphus à Weze*, & ipse Sicamber, ex Ducatu Clivensi natus, Archiepiscopi Joannis è sorore nepos, utriusq; Juris Doctor, & quod paucis Jurisconsultis contingit, latine cum puritate & elegantia doctus, musicus supra mediocritatem eximius, qui & expedite & suaviter canit, corporis vero procera statura avunculo non inferior, postulatur in coadjutorem à cœnobitis anno 1545. tandem avunculo rebus humanis exemto, constituitur etiam administrator VValdsassensis cœnobii anno gratiæ per Christum revocatæ 1548. Reædificavit anno Domini 1549. pistrinum & braxatoriam, ut vulgo appellant, domum, in qua cerevisia coqui solet, molendina item, quibus frumenta frangi & ligna in asseres discindi solent, quæ omnia eodem anno incendio perierant. Construit nunc novam Cancellariam, contiguam castro cœnobii. Lacum vero Thursenreuttanum navigiis primus instruxit, quibus animi interdum causa operam dare solet. Præsidet illic hoc adhuc currente Jubilæo, ubi memor primæ monasteriorum omnium originis, colligendæ scholæ in usum totius circumjacentis provinciæ imprimis est studiosus, habita sic honesta primum juventutis ratione, vicinis omnibus beneficus, omnibusque merito charus est. Faxit misericors & æternus Deus, ut vivat felix, præsitque pari felicitate commissæ sibi terræ Narisorum parti haud mediocri quam diutissime! *Abbas JCtus, seu Musicus.*

At tu docte vir, & Mæcenas maxime Musis,
Quas dedit ætherea Phœbus ab arce mihi.
Parce, quod exorsus tantum carbonibus atris
Non vivo laudes pingo colore tuas.
Sunt afflicta hodie, sunt tempora nubila nobis,
Conveniens illis sit color ergo meus. *Apostrophe.*

Mox anni venient felices, ibit & aurum
In priscum hæc ætas vindice læta Deo.
Omnia tunc etiam nobis felicius ibunt,
Pulchrius &, quàm nunc forsitan ire solent:
Tunc etiam incedes tu, non carbone notatus,
Ut nunc, sed niveo in marmore sculptus eris.
Pauperis interea fortunæ conditionem,
Ut facis, hanc humilem consule quæso boni.

Wolffg. a Schirnting.

Sub ejus gubernatione humatus est in ejus loci templo strenuus ac nobilis heros, D. Wolffgangus à Schirnting, regulorum & equestris ordinis hominum non postremus in Prætoriana terra, qui apud Schlabathenhofium in arce ad Reslavum amnem sita habitavit & ex hac mortali vita decessit hoc anno 1550. cui charissimo parenti optimus filius, Dominus Fridericus Pfittacus de Schirnting, me authore & instigatore tale posuit gratitudinis ac sempiternæ memoriæ ergò monumentum:

Wolffgangum à Schirnting Fridericus Pfittacus isto
Deposuit patrem flensq; dolensq; loco,
In thalamum sponsam cum vix duxisset & inter
Gaudia misceret se gravis iste dolor.
Christus ab æthereo spectans mortalia templo
Transferat in cœli regna beata senem.

Est vero & aliud ibi de ejusdem defuncti conjuge additum distichon elegiacum me authore natum, quod tale est:

Ursula de Kotzaw, Wolffgangi nobilis uxor,
Sub saxi ejusdem fornice læta cubat.

HEREMITARUM in Helvetiis pervetustum olim Idolion, nunc cœnobium ordinis Divi Benedicti celeberrimum & opulentissimum, Germanica lingua zum Einsidlen dictum, in quod antiquitus Principes tantum, Comites ac Barones summo loco nati accipi solebant, non procul à Tiguro in Silii fluvioli vicinia situm, anno Christi 860. cœpit, temporibus Ludovici II. Rom. Imp. ædificante sibi illic sacellum & cellulam S. Meginradus, Bertholdi, illustris Comitis à Sulgow ad Danubium habitantis

S. Meginradus.

tantis imprimis religioso filio, qui monachus antea & monachorum pædagogus ampliſſimi cœnobii divitis Augiæ, relicto monaſterio, in hujus loci tenebroſiſſimam Eremum religionis ergò conceſſit, ubi mundi delitiis omnibus contemtis Deo jejuniis ac orationibus tamdiu ſerviebat, donec anno 863. à viatoribus duobus (qui Tiguri poſtea rotæ & igni adjudicati ſunt) trucidaretur, eo ipſe tempore, quo Salomon primus Epiſcopatui Conſtantienſi præeſſet: unde vetus adhuc extat verſiculus:

Sub Salomone primo Menradus vixit & ante.

Meginradus ad Augiam divitem revectus & ibi honorifice eſt ſepultus. Cella ipſius vacabat poſt ejus mortem annis penè ſexaginta. Tum Decanus quidam ſummi collegii Argentinenſis, *Eberhardus* nomine, annum Chriſti circiter 923. eremiticæ vitæ ſtudio, relictis rebus ſuis omnibus, in hanc ipſam eremum egreſſus eſt, & collapſam S. Menradi cellulam reparavit & mediocre delubrum ibi conſtruxit, in quo Deo precibus & jejunio ſervire ipſe quoq; ſolebat. Ad hunc Eberhardum venit, elapſis aliquot annis, Gregorius quidam, Eduardi Regis Angliæ filius, Dominæ Edithæ Imperatricis (quæ Othonis Magni Imperatoris prima conjunx fuit) germanus frater, vir per omnia religioſiſſimus. Acceſſit tandem tertius etiam, Benno vel Benedictus, Canonicus quidam Argentinenſis, Epiſcopus tandem Metenſis factus. Primum ejus loci templum, accedentibus, ut ſcribitur, Dei Opt. Max. ſuffragiis cœlitus demiſſis, dedicatum eſt anno Chriſti 943. à S. Conrado, Conſtantienſi Epiſcopo, Comite Altorffenſi. Accidit autem, ut poſt Edithæ Imperatricis mortem Imperator Otho Magnus ab Agapito II. Pont. Max. exoratus in Italiam proficiſceretur anno Domini 947. reprimendæ Saracenorum irruptionis & tyrannidis ergò. Rebus vero ibi feliciter geſtis, cum ducta ibi ſecunda conjuge, Domina Adelheide, Burgundionum Regis Rudolphi filia, Lotharii vero Italorum Regis relicta vidua, in Germanias rediret, & in eo itinere multa audiret de S. Menradi cella, & Edithæ conjugis ſuæ primæ germano fratre & affine ſuo Gregorio, fecit ipſe, à conjuge ſua Domina Adelheide quoq; admonitus, ex Eremitarum exiguo & humili

Eberhardus.

domicilio magnificam D. Benedicti Abbatiam Einsidelensem, quam amplissimis proventibus annuis dotavit, ac datis totis provinciolis opulentissimam effecit, pauperumq; Principum, Comitum & Baronum hospitale perpetuum esse jussit. Hinc postea multorum Principum liberi in eo vixerunt, Chuno videlicet & Henricus, Geroldi Saxonum Ducis filii, Ulricus item & Dietlandus, Sueviæ Duces: Joannes, Burgundionum Dux, & alii plurimi. Primum ejus loci Abbatem instituit Imperator Otho affinem suum, Gregorium, qui præfuit ad annum usq; Christi 996. & valedixit humanæ inter mortales conversationi ac vitæ. *Chronicon Einsidelense* Eberhardum pro primo Abbate habet, Georgium pro secundo, quibus postea annumerantur Abbates sequentes, à Sueviæ Principibus amplissime donati, ita ut Abbatia hæc mox ad summas opes pervenerit.

Abbatum series.

3. *Wirandus*, Comes à Wandelburg & Dominus in Rapperswil, tertius Abbas, præfuit 30. annis.

4. *Embricus*, Baro de Abensperg, Bavarus, Canonicus Freisingensis, eligitur in quartum Abbatem anno Domini 1026. Præfuit annis 26. Obiit anno Domini 1052. cùm paucis annis ante suam mortem totum penè cœnobium incendio vastatum esset, quod ipse anno 1051. pulchre pristinæ formæ ac dignitati restituerat.

Winterthur.

5. *Hermannus*, Comes à Winterthur, vel, ut alii volunt, de Kiburg (quæ arx civitati Winterthur in Helvetiis sitæ confinis est) successit Embrico. Prfæuit annis 14. Illustravit pulchre iterum cœnobium suum. Habuit fratres, Adelbertum & Luitfridum, maximos benefactores Einsidelensis monasterii. Valedixit mortali huic vitæ anno Domini 1065.

6. *Henricus*, sextus Abbas, præfuit annis quinq; & obiit anno Domini 1070.

7. *Selingerus*, Baro à VVolhusen, relicta vita conjugali, eo quòd in lacu, arci suæ vicino, liberos omnes amiserat, monachus factus anno Domini 1070. Abbatiæ Einsidelensi præficitur. Uxor ejus Hedowigis, Abbatissa in Dominarum monasterio Tigurino designata est. Fuit Abbas iste duci Suevorum Rudolpho

pho imprimis charus. Resignavit gubernationem anno 1090. Obiit anno 1094.

8. *Rudolphus* octavus Abbas eligitur anno 1090. Præfuit annis 11. Obiit anno 1101.

9. *Gero* eligitur anno 1101. Præfuit annis 21. Condidit maximis sumtibus saxeum pontem, quo Silii amnis utraq; ripa connexa est, quem *Diaboli pontem* vulgo vocant, & aliqui à Diabolo conditum esse fabulantur, eo quòd architecto fortassis nomen fuerit Diaboli. Obiit Abbas iste anno 1122. *Diaboli Pons.*

10. *Wernherus*, Baro de Altpuren, eligitur ano Domini 1122. Præfuit 20. annis sub Imperatore Henrico V. Obiit anno Salutis 1142.

11. *Rudolphus* II. eligitur anno 1142. Obiit anno 1171. cum præfuisset annis 29.

12. *Wernherus* secundus, Comes à Dockenburg, eligitur anno 1171. à conventu.

13. *Warinus*, Sangallensis monachus & Comes à Rapperswil, eligitur in Abbatem Einsidelensem eodem anno 1171. ab Advocatiæ præfecto, Rudolpho, fratre suo, Comite de Rapperswil. Hi duo contenderunt de dignitate per biennium, donec anno Domini 1173. Seckingum veniret Imperator Fridericus Barbarossa, qui cum consilio & consensu Principum utrumque Abbatem exauthorans, in duorum locum unum designavit

14. *Wernherum* tertium, qui cum annis 19. præfuisset, abdicavit se magistratu volens anno Domini 1192. Fuit magnus ampliator & illustrator cœnobii Einsidelensis, quod sub eo 200. marcis opulentius factum esse legitur. Successit huic VVernhero unanimi omnium consensu electus

15. *Ulricus*, Comes de Rapperswil, anno 1192. Præfuit non admodum utiliter annis 14. & exauthoratur ac dejicitur ex Abbatiæ gubernatione anno 1206.

16. *Bertholdus* à VValdsee, Baro vetusti sanguinis de sancto Monte, eligitur anno 1206. Præfuit 8. annis, reparator eorum, quæ dilapidarat antecessor. Resignavit Abbatiæ gubernationem senio confectus.

17. Con-

17. *Conradus*, Comes à Thun, eligitur anno Domini 1214. Fuit germanus frater Henrici, Episcopi Basilienſis. Præfuit annis 20. Anno 1226. periit incendio cœnobii templum, quod ſequentibus annis pulchre eſt ab hoc Abbate Conrado inſtauratum. Percuſſus cæcitate, occulto Dei judicio, reſignavit Abbatiam anno nati Servatoris noſtri 1234. Anshelmo.

18. *Anshelmus*, Baro à Schwanden, ex Glareana provincia natus, eligitur in Abbatem Einſidelenſem anno Domini 1234. Præfuit 33. annis utiliſſime. Condidit caſtrum Pfefficonenſe ex imis fundamentis, & magnificam domum intra muros Tigurinos. Donatur infula & aliis ornamentis Epiſcopalibus ab Innocentio IV. Roman. Pontific. Confirmatur Imperii Princeps à Friderico II. Roman. Imper. Valedixit mortali vitæ anno Domini 1267.

Pfefficonenſe caſtrum.

19. *Ulricus*, Baro Winidenſis, antea Præpoſitus Trajecti ad Limagum, eligitur in Abbatem anno ſalutis 1267. Præfuit 10. annis. Obiit Comi in Longobardis anno Domini 1277.

20. *Petrus*, Baro à Schwanden, Anshelmi Abbatis ex fratre nepos, ſucceſſit Ulrico. Præfuit tribus annis. Obiit anno Domini 1280. in ſacello quodam Tugenſi fulmine tactus.

21. *Henricus*, Baro à Guttingen, præfuit 18. annis. Obdormivit in arce Pfefficonenſi anno Gratiæ 1298. Revehitur in eremum ſuam.

22. *Joannes*, Baro à Schwanden, eligitur anno 1298. Quamdiu is præfuerit, non invenitur in faſtos relatum. Reſignavit tandem ſucceſſori.

23. *Joannes* ab Haſenburg ſucceſſit Joanni à Schwanden, ex cellæ magiſtro Abbas factus; ſed aliud de eo reperitur nihil.

24. *Conradus* à Goskon, ex Argovia natus, de quo nihil habemus amplius.

25. *Henricus*, Baro à Brandis, ex matre Comitiſſa Nellenburgenſi natus, prudenter & utiliter præfuit cœnobio, ex quo tandem anno Domini 1356. ad gubernationem Epiſcopatus Conſtantienſis evocatus à Cardinalibus auro corruptis. Præfuit quidem 26. annis; ſed & urbi inviſus & ſuis Canonicis ingratus non

non admodum profuit. De quo plura in Episcopatibus nostris. Habuit sororem Agnetem, Abbatissam Seckhingensem.

26. *Marquardus*, Baro à Grunenberg, successit Henrico anno 1356. Præfuit annis 20. Acquisivit Richenburgum cum adjacente territorio. Obiit anno 1376.

27. *Nicolaus*, Baro à Guntenberg, Hercynius, eligitur anno Domini 1376. evocatus ex Augia divite, de quo nihil amplius in annales relatum legitur.

28. *Petrus*, Baro à Waldhusen, ob vitæ bonitatem *Pater Patrum* vulgo cognominatus, successit Nicolao, sed quo tempore, aut quamdiu præfuerit, ignoratur. Habuit sororem Wandelburgin, Abbatissam Tigurinam. De hujus Abbatis Petri in gubernatione Einsidelensis monasterii successoribus nihil amplius certi invenio ad annum usq; Christi 1509. quo totum monasterium calamitosissimo incendio periit sub Abbate Conrado, nobili viro de Rechburg, decrepito sene, cui additus est quasi coadjutor & vicetenens, Dominus *Theobaldus à Geroltzegko*, qui annum Christi circiter 1524. compositiones quærens cum Cinglianis, factus idcirco suis invisus cessit. Post obitum vero Abbatis Conradi designatus est in ejus locum *Ludovicus Blaurerus*, Constantiensis, conventualis Sangallensis, qui obiit anno Domini 1544.

Tantum de Einsidelensi cœnobio. Plura enim consequi hactenus nequii.

HORREUM Treverense, ex Dagoberti Galliarum Regis palatio seu horreo potius, in quo à trituratoribus regiæ aulæ frumenta excuti solebant, unde loco nomen contigit, monasterium factum olim Canonissarum, hoc est, liberarum & ab omni voto immunium Dominarum amplissimum collegium, hodie vero sororum instituti Benedictini præpotens monasterium, (quod S. Matthiæ Treverensi Abbati subest) in honorem B. Virginis matris temporibus Modowaldi, Trevirorum Archiepiscopi, fundatum est anno Domini 606. locupletatum vero anno Domini 645. à Dagoberti Galliarum Regis ex Mathilde filia, Domi-

D. Irmina. Domina Irmina, Deo dilecta, Hermanno Comiti cuidam Gallicano desponsata, qui citius è vivis excessisse legitur, quàm conjuges coissent, vel ante diem nuptiis & maritali conjunctioni destinatum. Ejus loci Abbatissarum ac gubernatricum talis extat Treveri catalogus.

Abbatissarum Catalogus.

1. S. *Irmina*, Dagoberti filia, fundatrix & gubernatrix prima cœnobii sui centumq; monialium laudabilis Abbatissa, in Wissemburgensi templo (cujus fundator fuit Dagobertus pater) obiit, & regio Mausoleo ibi deposita & terræ parenti reddita est: sed quo anno, id incertum est.

2. S. *Modesta*, S. Willibrordi Archiepiscopi Ultrajectini soror, & S. Modowaldi, Trevirorum Episcopi, è sorore neptis, alumna prius Montis Romarici monialium antiquissimi cœnobii, B. Gertrudis familiaris socia, successit ad aliam patriam evocatæ ex hac lachrymarum valle Dominæ Irminæ: sed quamdiu præfuerit, non invenio. Sequuntur aliarum Abbatissarum tantum nuda nomina. Amplius enim quicquam de ipsis nihil in fastos relatum invenitur.

Mons Romaricus.

3. S. *Julia.*
4. S. *Helya.*
5. S. *Anastasia.*
6. S. *Basilissa.*
7. S. *Lucia.*
8. S. *Rothildis.*
9. S. *Severa.*
10. *Deda.*
11. *Ida.*
12. *Beda.*
13. *Maria* Magistra.
14. *Imysa.*
15. *Helowisa.*
16. *Hadewidis.*
17. *Imysa* secunda.
18. *Hedewidis.*
19. *Helwigis.*
20. *Gertrudis.*
21. *Hadelwigis*, Magistra dicta, eò quod aliquoties, relicta regula Benedictina, Canonissæ regulares factæ fuissent hujus loci moniales.
22. *Walderadis.*
23. *Waltrada.*
24. *Margareta.*
25. *Adelheidis* Magistra.
26. *Pia.*
27. *Geisa.*
28. *Hedowigis.*
29. *Leutschwindis* Magistra.
30. *Irmentrudis.*

31. *Offi-*

31. *Offimia* vel Euphemia Magistra.
32. *Dideradis.*
33. *Luitgardis.*
34. *Adelheidis* Magistra.
35. *Irmentrudis.*
36. *Margareta* Magistra.
37. *Sæva.*
38. *Richarda.*
39. *Sophia* Magistra.
40. *Adelheidis.*
41. *Randolpha.*
42. *Agnes* Magistra.
43. *Sophia* secunda.
44. *Adelheidis.*
45. *Elisabeta* de Heifels Magistra.

46. *Irmengardis* de Gimnich Magistra, obiit anno Domini 1402.

47. *Irmengardis* de Kerpena Magistra præfuit 30. annis & obiit anno Domini 1432.

48. *Irmengardis* de Kerpena, & ipsa Magistra, præfuit 4. annis & obiit anno 1436.

49. *Catharina*, generosa Rheni Comitissa, magistra valde devota, præfuit annis 38. Obiit anno 1474.

50 *Joanna*, nobilis Domina de Bassa Petra, vulgo Bettstein, successit Dominæ Catharinæ. Præfuit annis 35. Decessit ex hac mortali ad immortalem vitam 13. Aprilis anno Christi 1509. Reformationis juxta D. Benedicti regulam subsidiis Joannis, Archiepiscopi Treverensis, prima reductrix 17. Novembrium anni à nato Christo 1495. & Abbatissa laudabilis.

51. *Anna*, *de Helmstadt*, Dominæ Joannæ succedens, præfuit annis octo & aliquot mensibus. Obiit in vigilia nativitatis Mariæ anno Gratiæ 1517. in choro cum aliis Abbatissis honorifice sepulta.

52. *Domina Franciſca Waldeckerina* eligitur año Christi 1517. Præsidet monialibus suis numero quadraginta hoc currente adhuc Jubilæo, humanissima Domina nobilissimisque moribus prædita.

Isna.

ISNENSE MONASTERIUM, quod intra muros Isnæ, Imperialis apud Suevos oppidi, ad ejusdem nominis fluviolum situm est, ordinis D. Benedicti, fundatum legitur in honorem Sanctorum Jacobi ac Georgii anno Domini 1096. sub Imperatore Henrico V. à Mangoldo patre, Walthero & Wolfrado filiis, Comitibus Veringensibus, quorum hanc ibi invenio brevem genealogiam:

Comites Veringenses.

Ex Comite Veringensi quodam nati sunt

Wolfradus. Is obiit anno 1069. Habuit uxorem Hiltrudin Comitissam, quæ obiit anno 1052. Enixa est filios

Mangoldus, Comes Veringensis, verus fundator cum suis filiis. Is obiit anno Christi 1104. Uxor ejus erat Leuthildis. Hæc obiit anno 1106. Iste fundator habuit filios subscriptos duos

Irmingardis genuit filium *Mangoldum.* Postea in viduitate liberalis semper extitit cœnobii à fratre suo constructi benefactrix.

Luitboldum. Is obiit infans anno 1040.

Hermannum Contractum, monachum Sangallensem, egregium Chronographum, de quo vide *Trithemium.*

Wolfradum. Obiit anno Christi 1065. VI. Idus Aprilis.

Waltherum, qui concidit & obiit anno 1109. in bello ad Idungsheimium gesto.

Wolfradum.

Isna Civitas Imperialis.

Habitabant Comites isti in alpibus Sueviæ & ad Danubium supra Riedlingum, quibus sine virili successione ex hoc seculo sublatis omnibus, non solum oppidum & cœnobium istud Isnense, sed tota penè eorum ditio ad Dapiferos Scherenses vel Waldburgenses, præpotentes Algoviæ Barones, devoluta est. Isna tamen civitas Dapiferorum dominio excidit & imperiale oppidum factum est sub Joanne Dapifero, post cæsum ab Helvetiis Othonem anno Domini 1386. Causam lege in Cosmographico opere *Munsteri.* Monasterii Advocatia salva mansit Dapiferis in hunc usque diem. Confirmata est Veringensium Comitum fundatio à Pontific. Max. Paschali II. anno Domini 1106. Dedicata prius Ecclesia in villa Isna ab Eberhardo, Episcopo Con-

Constantiensi, anno 1042. octava Calendarum Januarii ad instantiam & preces Wolfradi Comitis & Hiltrudis uxoris ejus. Donarunt & auxerunt collationibus suis hoc cœnobium Dominus Welpho, Dux Altorffensis, Henrici Ducis & Wulfhildis filius, qui cum anno Christi 1192. ex mortalium hominum conversatione decederet, interiit unà cum ipso tota stirps Welphonum: Fridericus Barbarossa Rom. Imp. filius Friderici, Suevorum Ducis, ex Domina Judintha, quæ soror extitit supradicti VVelphonis. (Is Fridericus, laudatissimus Imperator, dicitur fuisse plenus frater congregationis Isnensis) Rudolphus item, Palatinus Tubingensis, & uxor ejus Domina Mathildis anno Domini 1187. Catalogus ejus loci Abbatum talis extat: *Welphonum stirpis finis.* *Abbatum series.*

1. *Mangoldus* eligitur in Abbatem anno 1096. Præfuit annis 4. & trucidatur à diacono suo anno Domini 1100. *Diaconus Abbatis homicida.*
2. *Wernherus* successit.
3. *Marquardus.* Is bellum gessit contra Campidonensem Abbatem, Fridelocum, & cœnobium S. Hildegardis in ditionem ac potestatem redegit, sed non admodum diuturnam; post sex enim horas (cum Campidonensis Abbas collegisset exercitum) Isnensis magna ignominia iterum ejectus est. Idem Abbas Henrico, Marchioni de Rumsperg, è suo cœnobio VVernherum dedit monachum, primum gubernatorem Ursinensis cœnobii anno Domini 1184. *Ursinense cœnob.*
4. *Burcardus.*
5. *Albertus.*
6. *Bertholdus.*
7. *Conradus.*
8. *Bertholdus* II.
9. *Conradus* II.
10. *Henricus de Brunaw.* Sub ejus gubernatione oppidum Isnense una cum cœnobio anno Domini 1284. exustum est. Cœnobium vero Abbas iste egregie reædificavit, & anno Christi 1288. à Chunone, Episcopo Tullensi, denuo consecrari fecit.
11. *Hermannus.*
12. *Bertholdus* III.

Abbas moritur cum toto conventu una die.

13. *Henricus* II. Is cum toto conventu suo legitur uno die mortuus anno Domini 1350. incuria coci, qui ollam, cui bufo aut aliud quoddam venenosum insectum irrepserat, nec inspectam prius nec purgatam cum injectis carnibus foco apposuerat: quas carnes quicunq; voraſſent, veneno extincti sunt.

14. *Conradus* III. sublatis è medio omnibus Isnensibus cœnobitis, à Dapifero Othone ex Isnensi parocho Abbas designatus & monastica veste indutus est anno Domini 1350. Quam diu præfuerit, nusquam invenio.

15. *Joannes.*

16. *Georgius Textor.*

17. *Georgius Stiedlin*, Luitchirachianus, ex vicino Imperiali etiam oppido natus.

18. *Philippus* de Lapide, vir nobilis, diu præfuit: tandem contractus & cæcus factus est, Abbas bonus, munificus, hospitalis & liberalis: strenuus cœnobitarum suorum reformator, qui antea libere egrediebantur, insalutatis Abbatibus, quoties & quorsum volebant: monasterii item gubernator fideliſſimus.

19. *Ambrosius Horn*, patria Phullendorffianus, homo tenax & pumice siccior, præfuit annis 7. Obiit anno 1540.

20. *Helias Frey*, patria Isnensis, præfuit 8. annis. Obiit decrepitus senex anno Domini 1548. in fine Januarii.

21. *Ulricus*, cognomento *Mors*, ex majore Cellæ præfecto Abbas constituitur an. 1549. Præest adhuc currente hoc Jubilæo.

❁ ❁ ❁

Nunnenberg zu Salzburg.

JUVAVIENSE monialium cœnobium, extra muros Salisburgensis civitatis, in vicino colle situm & Nonnarum montis vocabulo cognominatum, cœpit annum Domini circiter 585. Sanctus enim Rupertus, primus Salisburgensium Antistes, ex Regum Galliæ Ducumq; Scotiæ stemmate oriundus, pro germana sorore sua S. Ehrentrude oratorium ibi initio construxit, ad quam piam virginem cum aliæ etiam accessissent, quæ virginitatis conservandæ studio solitariam vitam elegerant, mox præclarum cœnobium Vestalium puellarum factum est, cujus Abbatissarum talis mihi catalogus à Doctore *Marco Tacio*, Poëta, Juris-

risconsulto & Cameræ Imperialis assessore, Domino & amico meo veteri, communicatus est. *Abbatissarum descriptio.*

1. S. *Ebrentrudis* S. Ruperti, primi Salisburgensium Apostoli, soror.
2. *Biradis*, S. Masalii soror.
3. *Demutha* vel Diemudis.
4. *Elisabeta.*
5. *Maria*, & aliæ quædam, quarum nomina non pervenerunt ad hujus seculi notitiam. Sub quarum gubernatione accidit, ut cœnobium, Cella antiquitus dictum, ingruentibus bellicis tumultibus incendio ac rapinis vastaretur, sed quo anno, id etiam ignoratur. Reædificatum est vero & quasi postliminio constructum, ac de novo fundatum ab Imperatore Henrico II. absolutumq; anno Domini 1041. quo ara maxima cum aliis duabus in crypta sitis per Reverendissimum Dominum Balduvinum, Salisburgensem Archiepiscopum, consecrata & nova Abbatissa
6. *D. Elisabeta* electa ac cœnobio virginum præfecta est. Huic iterum successerunt Abbatissæ, quarum subsequuntur nomina.
7. *D. Juliana.*
8. *D. Wilwirgis.*
9. *D. Gertrudis de Lapide*, quæ præfuisse legitur anno Dominicæ Incarnationis 1242. & anno 1254.
10. *D. Diemodis*, Comitissa Solimontana, vulgo de Sunnenburg, præfuit anno Domini 1270.
11. *D. Diemodis à Gelbis* præfuit anno 1278.
12. *D. Hilca.*
13. *D. Elisabeta*, Comitissa à Sunnenberg, præfuit anno Domini 1307.
14. *D. Diemundis* præfuit anno Domini 1320. & an. 1330.
15. *D. Anna* præfuisse legitur anno salutis 1399.
16. *D. Diemundis à Wartenfeld* præfuit anno 1344.
17. *D. Anna Grazerin* præfuit anno gratiæ 1347.
18. *D. Anna à Weisneck* præsedit anno salutis 1360.

19. *D. Anna* de liliorum Monte præfuit anno 1363.
20. *D. Catharina* præfuit anno 1373.
21. *D. Anna à Weisneck* præsedit anno Domini 1384.
22. *D. Diemodis* præfuit anno gratiæ 1394.
23. *D. Margareta.* *D. Catharina.*
24. *D. Elkeba* præfuit anno Christi 1409.
25. *D. Margareta* tenuit Abbatiæ clavum anno 1414.
26. *D. Gertrudis* à Reuttenberg præfuit anno Domini 1423.
27. *D. Elkebeta* præsedit Abbatiæ anno 1432. electa.
28. *D. Gertrudis* anno 1436.
29. *D. Anna Geiganterina* anno 1439.
30. *D. Anna Panchnerina* anno 1446. *D. Juliana.*
31. *D. Catharina à Schernwerck.*
32. *D. Agatha* ab Haunsberg præfuisse legitur anno 1482.
33. *D. Daria Panchnerin* anno 1500.
34. *D. Regina Pfeffingerina* anno 1517.
35. *D. Ursula Traunerina* hoc ipso adhuc præsidet Jubilæo.

KITZINGENSE monialium celebri loco, ex Comitibus videlicet, Baronibus ac Nobilibus parentibus tantum natarum, potentissimum olim cœnobium, ordinis D. Benedicti, intra ejusdem nominis præclaræ apud Ostrofrancos urbis mœnia ad Mœnum amnem situm, fundatum est, non à S. Bonifacio seu VVunefrido primo Archiepiscopo Moguntino, sed ad ejus instantiam & preces anno Domini 745. à Domina Adelheide, vel (ut *Tritthemius* appellat) Adeloga, Pipini Francorum Regis filia, ejus videlicet, qui in spatio 32. annorum saxeum pontem construxit, per quem hodie adhuc firmissimum itur è Kitzingo ad Eppeshusium, suburbium è regione urbis in altera Mœni ripa situm. Est cœnobium id Herbipolensis diœcesεos subditum Eberhardo, ejus loci Episcopo, ab Imperatore Henrico Claudo anno Domini 1007. In eo diplomate regio dicitur cœnobium hoc, Abbatia Kitzingen dicta in pago Gotsfeld sita: quod argumento est, nullam etiam tunc temporis

Pons Kitzingensis.

Kitzingen Villa,

poris istic urbem fuisse, sed pagum tantum & villam, quàm à *Kitzio*, regio quodam pastore ita dictam esse, à civitatis incolis fide dignis accepimus, qui asserunt, piscatorum plateam initium fuisse civitatis vel villæ, ac monasterio etiam ipso vetustiorem, unde omnes ejus plateæ domunculæ monialibus loci vectigales & tributariæ semper fuerunt & in hunc diem usque sunt. Catalogus ejus cœnobii Abbatissarum à me collectus & ex variis cum libris tum chartis congestus, talis est: *unde ita dicatur.* *Abbatissarum series.*

1. *D. Adeloga* vel Adelheidis, Pipini Francorum Regis filia, fundatrix & Abbatissa prima sui cœnobii fuit, nata & educata in Cygnæo monte, præclara arce, Regis Pipini olim sede ac domicilio, quæ abest à Kitzingo unum tantum milliare. *Schwanberg.* *Mons Cygnæus.*

2. *D. Heilga.*
3. *D. Bertha.*
4. *D. Sophia.*
5. *D. Alberadis.*
6. *D. Riza.*
7. *D. Dietheburgis.*
8. *D. Gisela.*
9. *D. Utha.*
10. *D. Schweinhildis.*
11. *D. Wiliza.*
12. *D. Gisela* secunda.
13. *D. Anna.*
14. *D. Euphemia.*
15. *D. Mechtildis.*
16. *D. Beatrix.*
17. *D. Gertrudis.*
18. *D. Mechtildis* secunda.
19. *D. Bertha.*
20. *D. Margareta.*
21. *D. Agnes.*
22. *D. Elisabeta.*
23. *D. Mechtildis*, ducissa Meroniæ.

24. *D. Hedowigis*, ab Hoffwart, sepulta in sacello S. Nicolai.

25. *D. Christina* de Grumbach.

26. *D. Anna* de Bickenbach.

27. *D. Barbara*, Comitissa de Castel, quæ obiit anno 1304. Posthanc aliquæ Abbatissæ deesse videntur.

28. *D. Margareta*, Pincernarum gentis de Erbach, magnifica herois, Archiepiscopi Moguntini Theoderici germana soror, valde pomposa & admodum prodiga, & quæ sæpe mille aureos uno die luxu deperdere & dilapidare non erubuit. Obiit anno Domini 1465. *Abbatissa luxui dedita.*

29. *D. Mar-*

29. *D. Margareta de Hirsberg*, ex cantrice Abbatissa facta, Erbacensi Dominæ successit. Obiit anno 1477.

30. *D. Magdalena de Lehenrodt* successit Hirsbergensi, legitime electa. Præfuit 15. annis. Obiit anno 1492. Sub ejus gubernatione incendio domestico totum ferè cœnobium in cineres collapsum est.

31. *D. Margareta*, ex nobili Dapiferorum de Baldersheim gente & familia nata, præfuit anno 1518. Obiit anno 1520. An illa statim Leehenrodinæ successerit, incertum est.

32. *D. Elisabeta à Finsterlœhe* obiit anno 1522.

33. *D. Catharina à Fronhofen* præfuit annis septem. Obiit anno 1529.

34. *D. Emilia Forstmeisterina* 12. annis præfuit, & valedixit vitæ & dignitati in vigilia Matthiæ Apostoli anno Christi 1541.

35. *D. Veronica*, ex Canum nobili apud Ostrofrancos gente prognata, successit Emiliæ, ultima hujus cœnobii gubernatrix. Obiit anno 1544. Postea à Brandenburgensibus Marchionibus occupatur totum monasterium curaeq; præfectorum traditur, qui erant (quo hæc scripsi tempore) honesti ac prudentes viri, Nicolaus Muserus, Alberti Marchionis, & Joannes Strelin, Senator Kitzingensis, Georgii Friderici Brandenburgensis Marchionis nomine, hospites mihi (cum Franciam Orientalem perambularem) benignissimi.

Marchiones Brandenburgenses Kitzingensis monasterii facti Domini.

LANCKHENHEIMIUM vel Lanegkheimium, Cistertiensis instituti cœnobium, in Sudetis montibus terræ Narisorum vicinis, non procul à Mœno tribus à Culmbachio milliaribus versus Babenbergam situm, omnium, quæ vidi, non solum magnificentissimum, sed & munificentissimum. Nam omnibus ibi prætereuntibus viatoribus tam equitibus quàm peditibus gratuitum patet idemq; longe humanissimum hospitium Babenbergensis diœceseos & visitationis Ebracensis: id, inquam, fundatum est anno Domini 1132. sub Lothario Saxone, Romanorum Imperatore, Innocentio II. Pont.

Pont. Max. & Othone IIX. Babenbergensi Episcopo, vero fundi Domino & fundum ad construendum cœnobium liberaliter conferente: absolutum vero post 20. annos sub Eberhardo, Episcopo Bambergensi decimo, inclyto Bavarorum Duce: imò etiam munificentissime donatum ab Othone, Comite de Orlemund, principe Meroniæ, ejusque uxore Domina Beatrice, & utriusq; filio, Domino Othone, qui Mistelfeldi in proximo pago (cujus templum arx fuit Meroniæ ducum) sedisse ac in Nisdena arce prope Weismannum, Episcopale oppidum sita anno Domini 1250. crudeliter interfectus dicitur, de quare extant adhuc in cantione quadam querulæ voces. *Mistelfeld.*

Ach lieber Hager laß mich leben/
Ich will dir Nordegk und Nisden geben.
Plassenburg das neue/
Das soll dich nicht gereue.

A Comitibus item Truhendingensibus, quorum nomina ex brevi genealogia ista & sequenti carmine lector cognoscat.

Germani fratres.

Otho, Truhendingensis Comes, qui ex Domina Margareta conthorali nullam prolem excepit. Sepelitur in Lanckenheimēsi cœnobio, cui omnia sua legavit.

Conradus, Comes Truhendingensis, ex Domina Sophia conjuge excepit unicam filiam, *Agnetem*, quæ legitur facta parens alterius filii *Martini*. Is Martinus ducta coniuge genuit filium *Fridericum*, magnum cœnobii benefactorem. De his fundatoribus ac benefactoribus amplissimi hujus cœnobii tale extat superioribus annis in gratiam optimi Abbatis Conradi Lagi à me lusum Idyllion:

Prodiit undecimum post Christi tempora seclum,
Inq; suo cursu tricesimus atq; secundus
Annus erat: mediæ æstatis cum tempora florent,
In quibus Augustus celebratur Cæsar, honestus
Imperii rector, felixq; & ad æthera notus.
Quando est incœptum nostrum Lanckheimion istud,
Religione domus veteri, pietate, fideq;,

Moribus atq; bonis hinc usq; ad Olympica nota
Imperia. At fundum dedit inclytus & pius Otho,
Qui Comes Andecensis erat, clarissimus heros,
Octavus Babenbergensis Episcopus Urbis,
Et Pomeranorum venerandus apostolus oræ.
Sed viginti annis extructa est atq; duobus
Tota domus, sacrata Eberardo à præsule tandem:
Idq; est sub primo Friderico Cæsare factum,
Et sub Pontifice, innocua qui de pietate Innocentio.
Nomen habebat, eratq; omni virtute decorus.
Nomina fundatorum antiquis edita chartis
Ista recensentur, Dux illustrissimus Otho
Meroniæ princeps, hinc usq; ad sidera notus,
Cum consorte Beatrice, illustriq; piaq;
Imprimis Domina, pietatis fulmine motus.
Huic etiam accessit percharus filius Otho,
Martyrium quondam Nisdena passus in arce,
Et crudeliter interfectus ab hoste cruento.
Præterea Comes ipse Truhendingensis, avito
Nomine Conradus dictus, cum conjuge chara,
Nobili & eximia illustri pietate Sophia,
Cum natag; Agnete pia. Deus arbiter orbis
Æternam det eis per Christi vulnera vitam.
Tandem accesserunt Martinus, filius hujus
Agnetis, patris & Martini filius acer,
Pacis amans, digno hinc Fridericus nomine dictus.
Sed quoq; multa dedit Conradi frater honestus
Ottho, Dei studiosus amansq;, superstite fratre.
Ejus erat conjunx pulcherrima Margaris, absq;
Quæ natis natabus & hoc secessit ab orbe.
Arulemundensem sed & huc numerabis Othonem,
Ipsius & Cattam, & percharum filium Othonem,
Quorum sunt nostra tumulata hac corpora in æde.
Quos tumulos cum devastasset rustica turba,
In Dominos quando illa suos mala sumeret arma,

Resti-

Restituit pulchre hos Abbatis cura verendi,
Qui Faber & placido dictus fuit ore Joannes,
Conspicuus vir relligione & corpore magnus,
In sophia præstans doctusq; piusq; Magister,
Qui nunc cum superis tenet inclyta regna Deorum,
Cum sanctisq; pio laudat certamine Christum.

Habuit hoc cœnobium munificentissimos benefactores, Odegosum Comitem, & Richizam, filiam Comitis Reginobotonis: sed cujus stemmatis aut familiæ isti fuerint, incertum est. Catalogus Abbatum hujus monasterii talis ibi à me inventus & exscriptus est, quem mihi ejus loci Cœnobita ac Prior, M. Joachimus Martinus Cronacensis, communicavit.

1. *Adamus* primus Abbas & fortassis is, qui etiam Ebracensi monasterio primus præfuit, & cui me authore tale positum est hoc currente Jubilæo epitaphion: *Catalog. Abbatum.*

Abbas cœnobii primusq; ac optimus hujus
Hic cubat eximiæ vir pietatis Adam.

2. *Rabatho*, secundus Abbas, cujus tumulus itidem, ut primi Abbatis, tali meo districho notatus est:

Hic Rabatho in requie Christi cubat optimus Abbas,
Qui Patriarcha domus istius alter erat.

3. *Henricus* Primus.
4. *Henricus* Secundus.
5. *Henricus* Tertius.
6. *Henricus* Quartus.
7. *Ludovicus.*
8. *Hartmannus.*
9. *Petrus de Lautern*, ex Coburgo non procul dissita Ostrofrancorum civitate natus.
10. *Henricus à Streitberg*, sepelitur prope sacristiam sine inscriptione. Ita enim præfuit, ut multis encomiis celebrari non meruerit.
11. *Joannes à Wirsberg*, vir nobilis, ex Ebraco assumtus, qui primus intulit huic monasterio Infulam & alia ornamenta pontificalia,

ficalia concessa sibi à Pont. Max. Sixto IV. Legitur obiisse 16. Kalendarum Novembrium anni à nato Christo 1379. Sepelitur in loco Capitulari.

12. *Nicolaus Losengraberus* obiit anno Domini 1407. Sepelitur in Capitulo.

13. *Nicolaus Heidenricus* interfuit Concilio Constantiensi. Obiit anno Domini 1428.

14. *Fridericus Heuglinus*, Aurifaber dictus, decessit ex hac vita anno Domini 1449. & ipse Abbas Infulatus, qui Theuschitzense oppidum hodie Episcopatus Bambergensis duobus milliaribus supra Cronochianam civitatem medio ferè itinere inter Grefentalium & Cronachium situm decoxit. Sub ejus gubernatione cœpit anno Domini 1445. celebre Idolion 14. Auxiliatorum in monte Staffelsteino prope Franckhentalense Abbatis Lanckheimensis prædium, quod privilegiatum ac indulgentiis donatum est à Pontifice Max. Nicolao V.

Quatuordecim Auxiliatorum Idolion.

15. *Joannes à Densslleben*, matre natus nobili, Domina de Guttemberg, constructit præposituram Danbacensem & prædium Hochstad. Obiit anno Domini 1472. in die S. Mariæ Magdalenæ, cum laudabiliter præfuisset annis 23. Sepelitur in Choro.

16. *Joannes Schad*, vir doctus, ex Wallendorffo, pago Pinimontano, natus obiit anno 1494. in die S. Catharinæ. Sepelitur ante aram, quæ vicina est suggestui.

17. *Emeranus Theuchlerus* consequutus est à Senatu Cardinalium Romanorum Indulgentias anno Domini 1497. pro his, qui sacellum 14. Auxiliatorum prope Francicæ vallis prædium, in monte Staffelsteino situm, religionis ergò visitant. Obiit anno 1510. Sepelitur ante suggestum.

18. *Joannes Fabri*, Coburgensis, laudabiliter præfuit annis 28. Præclare namq; iterum instaurare cœpit eversum à seditiosis agricolis anno 1525. cœnobium, cujus merito secundus dicitur fundator. Decessit ex hac lachrymarum valle anno Domini 1538. Sepelitur in Choro, cum egregio monumento orichalcino, cui imago ipsius artificiosè infusa est.

19. Con-

19. *Conradus Lagus*, ex Ebern præclaro Episcopatus Herbipolensis oppido natus, eligitur anno Domini 1538. Præsidet hoc adhuc currente Jubilæo. Is omnes ab antecessore suo inchoatas structuras præclare ac feliciter absolvit, & præter alia plurima ornamenta, quæ pulcherrimo isti monasterio adjecit, memorabilem etiam ac copiosissimam Bibliothecam ex omnis generis optimis ac utilissimis libris coëmit & de novo adornavit. Nam omnis eruditionis vir amans est & omnium eruditorum fautor benignissimus. *Ebern.*

❁ ❁ ❁

LINDAVIENSE Canonissarum, nobili stemmate natarum, ab omni voto immunium nullaq; prorsus veste monastica indutarum, nec nullo cœlibatus juramento ab honestis nuptiis exemtarum Dominarum amplissimum collegium in lacu Acronio & ejusdem nominis insulari civitate situm, antiquitus Lendaugiense, ob maximam ad locum natura portuosum appellendi è lacu commoditatem dictum, cœpit annum Christi circiter 810. ex pia liberalitate ac munificenta Adalberti cujusdam Comitis de Rorbach, qui patre Leotobico natus, Caroli Magni consanguineus, sacriq; Palatii Magister & Provinciarum Rheticarum præfectus, cum aliquando procellosis Acronii lacus fluctibus penè obrutus de vita desperasset & precabundus vovisset, eo sese loco in Beatæ ac Deiparæ Virginis Mariæ honorem gratitudinis ergô constructurum templum & cœnobium, ubi salvus & incolumis littori appulisset, casu in hanc insulam ventorum vi delatus, eam purgari & à fratre Mangoldo Comite à Rorbach adiutus cœnobium ibi construi fecit, cui nomen ab eventu & felici appulsu suo indidit, ut Lendoa vel Lendaugia (quæ vox hodie adhuc accolis in ore frequentior ferè est, quàm Lindaugia) nuncuparetur. Idem vero ille Adalbertus Xenodochii etiam Lindavienſis opulentissimi fundator fuisse dicitur, qui tandem anno Domini 841. decima die Maji occisus legitur à copiis Ludovici, Regis Germaniæ & Bavariæ, non procul à Lacu Brigantino, dum is à Cæsa-

Adelbertus Comes.

Lendoa, vocatur Lindavia.

Adalbertus, Lindavienſis Xenodochii fundator, occiditur.

Cæsare Lothario præsidii loco in Rhætia positus esset, ut prohiberet, ne Caroli Calvi exercitus è Burgundionibus adveniens cum Ludovici fratris agmine jungeretur. Postea anno Domini 866. ab Imperatore Ludovico II. Cæsaris Lotharii filio, datis privilegiis ac asylo insuper in fontium refugium concesso, confirmatur Adalberti Comitis, Lothario Cæsari tam fidelis præfecti & ministerialis, nova ista fundatio: addita præterea ista etiam dignitate ac prærogativa singulari, ut Abbatissa ejus loci cum aliis Sacri Rom. Imp. ecclesiasticis Prælatis Princeps esset Sacri Rom. Imp. cui in publicis pompis liber deberet præferri, quemadmodum Buchaugiensi etiam Abbatissæ in celebrioribus pompis liber & nudus gladius antiquitus anteferri est solitus. Templum ipsius cœnobii est augustum & magnificum, cujus pilæ seu testudinem fulcientes columnæ singulæ è singulis saxis integris coagulatæ sunt, nec pluribus lapidum juncturis constant: earum uni per longum hoc modo antiquissimis literis inciſi sunt hi duo versus:

Abbatissa Lindavisi præfertur publice liber.

VIR-

VIRGOMARIAPIASTATVAMPROMVNEREN
ETVITAENOBISACHRISTOPRAEMIAP
OSCE.

NOBIS PROPICIA SIS HAC PRO DOTE MARIA.

DATBINASSTATVASHEINRICVSNAVTAMARIÆ.

Alteri cuidam pilæ incisi sunt alii hi duo Leonini versus, quos Doctor *Achilles P. Gassarus*, Medicus ac Physicus Augustanæ Reip. clarissimus, dum anno 1584. studiosus per Maria num hoc templum ambulat, invenit: mihiq; qui (ut huic antiquitatum ecclesiasticarum farragini inserer entur) benigniter communicavit. Prior ex transverso statuæ inscriptus est: posterior per longum columnæ exaratus.

Paro-

Parochiale templum Lindaviense.

Parochia S. Stephani è regione Marianæ basilicæ sita cœpit anno Christi 1180. cum jam ex undiquaq; confluentibus mechanicarum artium opificibus, ex commigrantibus item ad D. Virginem sub tilias vicinis Eschacensibus villicis natum esset mediocre oppidum. Catalogum Abbatissarum integrum consequi non potui, sed hunc mancum, Doctoris *Achillis Gassari* auxiliis congestum, studioso antiquitatum lectori non subtrahendum duxi: fortassis aliquando illa etiam, quæ adhuc cum huic, tum aliis cœnobiis desunt, copiose & ubere mensura accedent, quod fieri posset facile, si quilibet Abbas & quælibet Abbatissa chartas, literas, mortilogia, Reversalia, Plenaria, Diplomata & totum chartaceum gazophylacium suum penitus inspicerent & majore studio (quàm hactenus factum est) evoluerent: quod ut faciant, ex animo ego eos & per amorem & honorem communis patriæ oro ac obtestor.

Abbatiss. series.

1. D. *Juota*, vidua pia ac religiosa, præficitur Canonissarum collegiis Lindaugiensi & Buchaugiensi jam plane à veteri ac prima pie moderateq; vivendi ratione recessis, nova gubernatrix & quasi meliorem in viam (à qua paulo licentiosius aberratum sub antecedentibus Abbatissis fuerat) reductrix, anno Domini 1043. ab Imperatore Heinrico III. Quam vero illa diu præfuerit, aut quæ Abbatissa eam antecesserit, aut etiam recte ipsam sequuta sit, id omne in oblivionem venit.

Congregatio Lindaviensis

2. D. *Sigena à Schellenberg* præfuit anno Domini 1270. quo anno ejus consensu monialium cœnobium ad Congregationem dictum, hodie privati civis amœnissimum domicilium, & aliud Franciscani instituti fororum (quas *Beghinas vel Beguttas* vocant) conventiculum, quod civitatis incolæ S. Petri Navicu-

S. Petri Navicula.

lam nominare solent, constructum est intra oppidi mœnia. Aliud etiam de hac Domina reperitur nihil.

3. D. *Gutta à Trisen*, altera & secundaria cœnobii fundatrix. Hæc anno quidem Domini 1286. præfuit, sed quamdiu, id incertum est.

4. D. *Clara* præfuit anno Domini 1347.

5. D. *Ca-*

5. *D. Catharina*, prudentissima herois, legitur sedisse ad clavum aliquot annis ante & post annum Domini 1360.

6. *D. Agnes à Wolfurt* eligitur in Abbatissam Lindaviensem anno Domini 1364. Præfuit 26. annis. Obiit anno 1390.

7. *D. Clara à Wolfurt*, germana soror Domini Burcardi, Abbatis Fabariensis, constituitur Abbatissa anno Domini 1392. Decessit ex hac lachrymarum valle anno Domini 1410. cum laudabiliter præfuisset annis 18.

8. *D. Ursula à Sigberg* successit D. Claræ. Præfuit adhuc anno Christi 1460. Hanc Sigismundus Imperator in reformatione sua non admodum de meliore nota commendat.

9. *D. Ursula à Brasberg*, dicta Præfecta de Summerau, obiit anno 1491.

10. *D. Emilia de Rischach*, magnifica & prudentissima herois, successit Brasbergensi anno 1491. Præfuit sapienter annis 40. Obiit 14. Januarii anno Domini 1531. ætatis suæ 84. Sub ejus gubernatione frequens fuit Lindavii Divus Imperator Maximilianus, cui in hoc ipso cœnobio, ut loco omnium totius oppidi amœnissimo, peculiare constructum est conclave, quod hodie adhuc incolæ Cæsaris conclave vocant. *Maximilianus Lindavii habuit peculiare conclave.*

11. *D. Catharina de Bodmen*, adulescentula 18. annorum, successit Dominæ Emiliæ ex hac vita evocatæ, electa anno Domini 1532. septima Martii. Successisset Domina Catharina à Ramschwag & corporis & animi bonis præclara herois, ex antiquissima nobilissimaq; apud Rhœtos familia nata, nisi illa, vivente adhuc D. Emilia, monasticæ vitæ & religioni in universum valedixisset, contemtoq; Canonissarum statu concionatorum Lindaviensum primati, *Thomæ Gasnero*, Pludentino, gravi & eloquenti viro nupsisset. Consecrata est Domina Bodmensis prima Maji in cœnobio Comitum Montis fortis Langnoviensi. Postea 17. Maji furem, morti devotum & scalis Vitellianis adjudicatum, intercessione sua è vinculis & à morte liberat. Præsidet hoc adhuc anno 1551. Lindavii, quæ in bello Germanico, metu tumultuantis illic plebis, Bregantum secesserat. *Cath. à Ramschwag.* *Langnov. Cœnobiū.*

MARIÆ ad Martyres, Benedictini instituti magnificum cœnobium infra Treverim ad dextram descendentis Mosellæ situm, à Thebæorum & Trevirorum trucidatis ibi per Rictiovarum anno 291. propter Christi confessionem sanctis martyribus sic dictum, quod postea alio etiam nomine S. Mariæ ad monachos nominari consueverat, & antiquitus Imperatoriorum præfectorum Capitolium ac postea Regum Galliæ Palatium fuerat: id inquam in Dei Ecclesiam Virgini dedicatum, conversum & inchoatum est annum Christi circiter 380. à XXXII. Trevirensium Episcopo, nomine & re Felice, sub Damaso Pont. Max. postea vero in monasticæ congregationis domicilium, virtutisq; ac literarum scholam ab ipso sancto Trajectensis Ecclesiæ primoq; Archiepiscopo, Domino Wilibrordo, totius Galliæ Belgicæ apostolo, commutatum temporibus Sergii Papæ annum Christi circiter 694. auxiliis Pipini senioris, ejus videlicet, qui Pipini pusilli avus fuisse legitur. Est in eo cœnobio portatilis ara S. Willibrordi, quam sanctus Dei vir secum ferre solitus est, dum Christum gentibus concionans per Seelandiam, Hollandiam ac Frisiam ambulat: in ea ara portatili ejus loci cœnobitæ tunicam Virginis sese habere jactant, quæ anno Domini 1512. ab Archiepiscopo Moguntino Uriele, & Episcopo Argentinensi Gulielmo, aram aperientibus, inventa & visa est, cum eodem anno Treveri ab Imperatore Divo Maximiliano celebria haberentur comitia. Vastatum est cœnobium hoc à Nordmannis annum Christi circiter 960. sed restauratum à Theoderico, Archiepiscopo Treverensi, à cujus successore Archiepiscopo Egberto præclare etiam auctum & dotatum legitur. Catalogus ejus loci gubernatorum & Abbatum talis mihi Treverica monasteria inspicienti ac perlustranti oblatus est.

S. Wilibrordus Archiepiscopus primus Trajectensis.

Tunica B. Virginis.

Catalog. Abbatum.

1. *A Deo datus.*
2. *Hildeboldus.*
3. *Warnerus.*
4. *Ropertus.*
5. *Uroldus.*
6. *Everwinus.*
7. *Adal-*

7. *Adalberdus.*
8. *Petrus.*
9. *Udo.*
10. *Hageno.*
11. *Hermannus.*
12. *Barno* vel *Berno.*
13. *Folcuinus.*
14. *Petrus* II.
15. *Ludovicus.*
16. *Reinboldus.*
17. *Hermannus.*
18. *Theodoricus.*
19. *Richardus.*
20. *Theodericus* II.
21. *Robertus.*
22. *Hermanus.*
23. *Egidius.*
24. *Petrus* III.
25. *Jacobus.*
26. *Walramus.* Obiit anno Domini 1324.

27. *Petrus* IV. obiit anno Salutis noſtræ 1328. cum præfuiſſet 4. annis.

28. *Gerardus* obiit anno Gratiæ 1370. cum ſediſſet ad Abbatiæ clavum 42. annis.

29. *Theodericus de Leſendorff*, ſuccedens Gerardo, præfuit 21. annis. Obiit anno 1391.

30. *Tilmannus.*

31. *Matthias* Stumfius obiit anno 1428.

32. *Henricus Wolfius* ſucceſſit Matthiæ anno præſcripto. Præfuit annis 19. & qui anno Domini 1443. ab Abbatiam S. Matthiæ Treverenſem etiam gubernandam accitus & eò transferri ſe paſſus eſt, retento tamen hujus etiam cænobii clavo per quadriennium adhuc: tandem una S. Matthiæ Abbatia contentus hanc D. Mariæ reſignavit anno Domini 1448. Obiit poſtea anno Domini 1450. Sepelitur in S. Matthiæ templo ad aram S. Stephani cum tetraſticho, quod in catalogo Abbatum S. Matthiæ require.

33. *Henricus de Blench* ſucceſſit Wolfio reſignanti anno 1447. Præfuit 30. annis. Obiit anno 1477.

34. *Joannes de Breda* præfuit 15. annis. Obiit anno 1492.

35. *Joannes de Treueri* 16. annis ad gubernaculum Abbatiæ ſedit & aliquot menſibus. Obiit anno Gratiæ 1509.

36. *Caſpar de Breda* eligitur anno Domini 1509. penultima Octobrium. Obiit anno 1526. cum ſediſſet annis 17.

37. *Joannes de Cellis*, oppidulo Treuerico natus, eligitur anno Domini 1526. Valedixit mortalium consuetudini anno 1544. cum 18. annis monasticam hanc gubernationem tenuisset

38. *Petrus Alffius* designatur Abbas anno 1544. Præfuit annis tribus & mensibus sex. Obiit anno 1547. ipsa die Valerii.

39. *Joannes à Kobern* eligitur in die S. Agathæ anni Christianorum 1547. Præest adhuc currente hoc Jubilæo.

❁ ❁ ❁

MARIÆ monasterium Wormaciense, quod vulgo Nonnarum monasterium appellari solet & in suburbio Wormaciensi situm est, ordinis olim D. Benedicti, hodie vero Cisterciensis instituti, fundatum legitur pro puellis perpetuæ virginitati dicatis anno Christi 840. sub Samuele, Episcopo Wormaciensi, ab optimo Imperatore Ludovico Pio, Caroli Magni filio, ut testatur distichon illud templi foribus incisum.

Claustri fundator Ludovicus Induperator,
Princeps egregius: cui det Deus arce poli Jus.

Wallenberg. Inchoatum erat primum in Wallenbergo, Vangionum urbi vicino monte, ex quo tandem urgentibus rebus in Vangionense suburbium translatum est. Abbatissas hujus loci veteres præter hanc subscriptam nullas reperi.

1. *D. Mathilda* vel *Mechtildis*, S. Burcardi Wormaciensis Antistitis germana soror ingeniosissima & laudatissima, Benedictini instituti professor, sedit ad clavum Abbatiæ ante & post annum Christi 1025. Post ejus obitum licentiosius & liberius vivere cœperunt moniales hujus loci, quæ abjecta omni pietatis cura, otio potius & epicurismo, quàm sacris vel Christianismo, studebant. Iccirco quæ Abbatissæ huic Dominæ successerint, in literas non est relatum usq; ad tempus introductæ reformationis, quæ authore Wormaciensi Episcopo, Landolfo, nobili heroe ab Hohennegk, in choro hujus cœnobii decenter humato, cœpit anno Domini 1240. Ab eo tempore præfuerunt Abbatissæ ad hoc nostrum usq; seculum, quæ sequuntur.

2. *D. Agnes*, prima Cisterciensis in Nonnarum hoc monasterio Abbatissa constituitur anno Domini 1240. ab ipso Episco-

po

po Vangionum Domino, Landolfo. Præfuit 14. annis. Obiit Kalend. Aprilibus anni 1254.

3. *D. Jutta* succeſſit Agneti. Præfuit ſumma cum laude & pari etiam felicitate annis 43. Deceſſit ex lugubri hoc ſeculo in die S. Joannis Baptiſtæ anno Domini 1296. Humatur in medio virginum choro.

4. *D. Jutta*, ſecunda hujus nominis, ſucceſſit primæ. Sedit ad gubernaculum gynæcii hujus monaſtici annis 38. Obiit anno Chriſti 1334. Sepelitur in ambitu.

5. *D. Anna* ſucceſſit Juttæ ſecundæ. Gubernavit Abbatiam ſibi creditam per annos 12. Valedixit mortali vitæ ſeptima Id. Octobr. anni 1346. Humatur honorifice in ambitu vel teſtudinata Eccleſiæ porticu.

6. *D. Chriſtina*, nobilis virago de Wechenheim, Henrici militis & Adelheidis filia, eligitur in Abbatiſſam anno 1346. Præfuit annis 19. Obiit 13. Kalend. Maji, anno Chriſti 1365. Sepelitur honorifice in media Eccleſia.

7. *D. Margareta Kettenheimerin* præfuit poſt obitum Chriſtinæ 39. annis. Obiit anno Domini 1404. in die S. Martini. Sepelitur in ambitu.

8. *D. Barbara* ſucceſſit Dominæ Margaridi. Præfuit annis 12. Obiit anno 1416.

9. *D. Liba Guldenringin*, ab aureo annulo cognominata, Wormacienſis civis cujusdam præpotentis honeſta & laudabilis filia, accepit clavum virginei cœtus anno 1416. Præfuit ſumma cum laude annis 38. Fecit ſua ætate claudi cœnobium & ab omni virorum congreſſu muniri. Obiit anno 1454. Sepelitur decenter in choro inferioris Eccleſiæ ante aram maximam.

10. *D. Eliſabeta*, nobilis herois de Lindenfels, ſequitur Dominam Libam. Præfuit annis 28. prudenter & utiliter. Obiit anno Domini 1482. tertia Kal. Martii. Sepelitur in choro Eccleſiæ.

11. *D. Catharina* Moguntina præfuit annis 18. Obiit anno 1500. decima Kalendarum Julii.

12. *D. Margareta Creutzbergerin*, è Francofurto Mœni nata, præſedit cœtui puellari huic annis 6. & exceſſit è vivis anno 1506.

Umstad. 13. *D. Apollonia Lupoldina*, ex Umbstado, oppido Aschemburgensi civitati vicino nata, successit Dominæ Margaretæ, præfuit annis 25. Obiit in vigilia Pentecostes anno Domini 1531. in superioris Rhetiæ thermis Amasiacis, ad quas ægrota, recuperandæ valetudinis ergô, concesserat. Vehitur inde ad *Erbach, Cœnob.* Erbachianum cœnobium in Ringoviam, ibiq; honorifice sepelitur. Ejus enim loci Abbas supremus visitator est monialium hujus congregationis.

14. *D. Margareta Halbquertina*, Wormaciensis, constituitur in locum D. Apolloniæ defunctæ. Præfuit annis 12. Obiit anno Christi 1543.

15. *D. Elisabeta Heerdina*, ex Francofurto Mœni honestis parentibus nata, eligitur statim eodem anno, quo prædicta decessit. Hæc isto adhuc currente Jubilæo feliciter & laudabiliter præest, humanissima & optima Domina. Sunt in hujus cœnobii vicinia duo sacella, non procul à se invicem dissita, quorum unum S. Meinardo, alterum D. Cæciliæ dicatum est. In medio horum sacellorum & interiacente spatio humatus dicitur *Corneus Sifridus*, Vangionum urbis Gigas stupendæ altitudinis & roboris admirandi, de quo extat hodie adhuc poëma quoddam Germanicum der hörnin Seyfrid inscriptum. Tumulus duobus è terra prominentibus saxis notatus, ter à me dimensus, habet in longitutitine pedes quadraginta quinque. Lancea hujus Gigantis ostenditur in summo templo urbis Vangionum. Maximilianus Imperator, antiquitatum omnium studiosissimus Princeps, cum anno 1495. comitia Wormaciæ celebraret, aperiri & effodi tumulum jussit, sed præter aquas nihil in eo invenit.

Corneus Sifridus, hörnen Seyfrid.

MARTALENSE COENOBIVM ordinis Præmonstratensis ad dextram Danubii, è Suevia descendentis, inter Riedlingum & Ehingum, præclara Austriacæ domus oppida, in firmissima rupe situm ac magnificis ædificiis conspicuum, ex Canonicorum collegio in monasterium conversum, & quasi de novo fundatum & dotatum est in honore principum Apostolorum Petri ac Pauli anno Domini 1171. ab Hugone III. Palatino

tino Comite Tubingensi ejusq; conjuge Elisabeta, Rudolphi Brigantini Comitis filia. In eo celebris est sepultura nobilium regulorum de Lapide, ut insignia eorum triginta sex tabulis appicta attestantur. Est & peculiare sacellum, in quo Nobiles viri de Hoheneck suum habent reconditorium. Habuit hoc cœnobium initio gubernatores præpositos, qui postea ad Abbatum dignitatem à summis Pontificibus evecti sunt: horum talis habetur catalogus.

1. *Eberhardus* primus præpositus sedit annis septem. Obiit 15. Kalendarum Aprilis anno 1178. sub cujus imagine talis est inscriptio: *Iste plantavit.*

2. *Ulricus* secundus præfuit annis 7. Obiit 4. Kalendarum Maii anno Christi 1185. *Iste rigavit.*

3. *Gerlochus* successit Ulrico. Sedit annis 2. Cessit voluntarie quietis ergô anno 1187. Tandem paralyticus factus. Unde hoc psalmodico symbolo usus libenter fertur: *Gloriabor in infirmitatibus meis.*

4. *Manegoldus* sedit annis 14. *Per hunc Deus incrementum dedit.* Iccirco hoc ipsius imagini symbolum antiquitus adscriptum erat: *Bonum certamen certavi, quia plus omnibus laboravi.* Obiit anno Domini 1201.

5. *Menhardus* sedit annis 4. & cessit de loci & ecclesiæ gubernatione anno Domini 1205.

6. *Henricus* sedit per unius tantum anni spatium, & resignans in peregrinas insulas profectus est, ubi multa perpessus dicitur.

7. *Waltherus* constituitur septimus præpositus anno Domini 1206. Sedit annis 6. & deturbatus est à gubernaculo anno 1213.

8. *Rudigerus* sedit duobus ferè annis, & cum negligenter præesset, exauthoratus est.

9. *Rodolphus* sedit annis 13. & lepra infectus cessit anno 1228. Erat gubernator alioqui fidelis & prudens.

10. *Waltherus* Rudolpho successit. Sedit annis 14. & anno Domini 1243. 4. Kalend. Febr. obiit. Is præclaris ædificiis illustravit monasterium.

11. *The-*

11. *Theodoricus* ſedit annis 9. Obiit 8. Kalend. Junii anno Domini 1252. Iſte prudenti œconomiæ adminiſtratione tantum effecit, ut cœnobium à debitis ſexcentum librarum liberaretur.

Lauriſſa cœnob.

12. *Fridericus* ſucceſſit Theodorico. Sedit per unum annum, & reſignato gubernaculo Lauriſſam cœnobium non procul à Wormacia ad Rhenum ſitum adiens ibi obiit.

13. *Henricus* ſedit annis 14. & 7. Kalend. Decemb. obiit anno 1268.

Altenburg, caſtrum.

14. *Conradus* ſedit annis ſex, & in Aprili anni 1274. obiit. Sub ejus gubernatione expugnatum eſt anno 1269. caſtrum Altenburg, cujus è regione monaſterii ſiti ſuperſunt quædam adhuc veſtigia cum multis ſubterraneis cavernis. Sub eodem abrogatum eſt bono & pio omnium fratrum conſilio monaſterium ſororum ſub Prioriſſa viventium, quod eidem Martalenſi monaſterio conjunctum erat, idque factum legitur anno Domini 1273. juxta hujus epiſtolæ tenorem, in qua facti hujus ratio redditur.

Muliebris ſexus pernitioſus ſæpe.

Anno Verbi incarnati M. CC. LXXIII. Dominica, qua cantatur, Judica me Deus, Nos Conradus, præpoſitus de Martello, cum univerſo conventu Canonicorum noſtrorum attendentes, quod mulierum nequitia ſuperet omnes nequitias, quæ ſunt in mundo, & quod non eſt ira ſuper iram mulieris, quodq; venena aſpidum & draconum ſanabiliora ſint homini & mitiora, quàm familiaritas mulierum, decrevimus pari conſenſu & communi conſilio, ſaluti tam animarum quàm corporum, & etiam rerum, inpoſterum providere volentes, ut aliquas de cœtero ſorores ad augmentum noſtræ perditionis nullatenus recipiamus, ſed eas quaſi venenata animalia recipere devitemus. Ut autem hæc firmitatis robur obtineant inconvulſum, ego Conradus prædictæ Eccleſiæ prælatus tradidi fidem meam ſanioribus & ſenioribus, nomine juramenti, ut infra ſpatium 50. annorum

Canonicis conſuetudo fœminarum interdicta.

nullam ſororum recipiam vel recipi patiar. Cæterorum vero Canonicorum juramenta recepi, ut nullus ipſorum aliquam ſororem recipiat infra terminum 50. annorum vel recipi patiatur: poſt hunc terminum elapſum quid ſucceſſoribus noſtris complaceat,

placeat, arbitrio eorum relinquimus. Consulimus autem, ut & ipsi prædecessorum vestigia ob commodum & salutem suam in his imitentur. Vtinam fiat!

15. *Wernherus* sedit annis 8. Obiit in Februario anni 1283.

16. *Engelherus* sedit 10. tantum mensibus, & viam universæ carnis ingressus ad aliam patriam ambulavit.

17. *Bertholdus*, assumtus de Rotensi cœnobio, eligitur anno Domini 1284. Sedit annis 10. & septimanis 10. Decessit ex hac lachrymarum valle anno 1295.

18. *Henricus* successit Bertholdo, seditq; annis tredecim, & tactus paralysi cessit anno Domini 1308.

19. *Burcardus* sedit annis quatuor, & obiit in pace anno Christi 1312.

20. *Sifridus* præfuit annis quinque, & obiit anno 1317.

21. *Wernherus* sedit annis sex, & obiit anno salutis 1323.

22. *Conradus*, cognomento *Wolck*, sedit annis quatuor: exuit hominem anno 1328.

23. *Bertholdus Steinerus* sedit annis 9. & obiit anno Christi 1337.

24. *Conradus Gagirus*, assumtus ex Rotensi cœnobio, præfuit annis septem. Sub eo Abbate anno 1344. nobilis Comes Eberhardus de Wirtemberg villam Marchtall & omnes monasterii curtes incendio vastavit in vigilia S. Catharinæ. Cujus rei gratia prædictus præpositus, luctu & mærore percussus, secessit ex monasterio præ nimia paupertate, ita ut Abbatia per biennium vacaret, & præpositus ipse postea à nemine amplius sit vel visus vel auditus, adeo, ut quorsum pervenerit, omnino nesciatur. Marchtall.

25. *Hermannus Huter* sedit annis tribus & decessit año 1347.

26. *Henricus Walch* sedit annis 8. & obiit in bona pace anno Christi 1355.

27. *Eberhardus Gryphius* sedit annis 6. & obiit feliciter anno gratiæ 1361.

28. *Ludovicus Leo* rexit annis 22. vir grandis staturæ. Obiit anno Domini 1383. Sepelitur in media Ecclesia.

29. *Stephanus Fœnerator* præfuit annis duobus cum dimidio.

30. *Jacobus Kupferschmid*, Bibracensis, successit Stephano anno Domini 1385. Sedit annis 8. Obiit anno Domini 1393.

31. *Jacobus Klinger*, ex Riedlinga natus, sedit annis 15. bonus & utilis gubernator. Obiit anno Christi 1408.

32. *Henricus Meersteter*, Ehingensis, eligitur anno Domini 1408. Fuit ultimus hujus loci monastici præpositus, & allata nova dignitate ex Concilio Constantiensi primus ejusdem Abbas præfuit annis 25. Construxit primo statim regiminis sui anno molendinum, ad aquas mirabili modo sese amittentes & in subterraneas cavernas procidentes. Perpessus est plurima adversa & dura sub Comitibus Wirtembergensibus & Liningensibus. Obiit anno 1434.

33. *Albertus Arator*, Tubingensis, præfuit annis 27. Obiit anno 1461.

34. *Jodocus Planck*, Ehingensis, eligitur anno Domini 1461. Sedit annis 21. in magna prosperitate. Emit Allesshusium ad lacum Buchoviensem, ubi *Hermanni Contracti* mater cubat. Multa perpessus à Wirtembergensibus, quia anno 1470. Eberhardus Comes ex Wirtemberg missis satellitibus Abbatem cepit in sua habitatione, nudum & captum cum omnibus clinodiis ex monasterio abduxit: qui pro redemtione & pace mille aureos Rhenenses numerare coactus fuit. Obiit anno 1482. Sepelitur in media Ecclesia cum tali epitaphio:

Alleshaus.

C. quater, & semel M, duo des ad octuaginta
Vicesima sexta Maji quoq; corruit ille.
Jodocus Abbas jacet hîc in pace sepultus.

35. *Simon Gotz*, Ehingensis, eligitur anno Domini 1482. in die Erasmi, egregius illustrator monasterii, qui omnem Ecclesiasticum cultum studiose adauxit. Obiit anno Christi 1514. in die M. Magdalenæ. Sedit annis 32. & aliquot mensibus. Fecit fornices templi concameratos.

36. *Joannes Haberkhalt*, Uberlingensis, vir græce & latine non trivialiter doctus, sedit annis 4. Eligitur in die Hermanni Episcopi anno 1514. Obiit anno 1518. congestor & collector dicti-

dictionarii Græci, quod morte præventus non absoluit. Extat ejus tale hexastichon in barbaros quosdam superioris seculi scriptores lusum:

Catholicon dudum Gallus sum vectus in orbem
Doctus Alexander cum Huguicione quog;.
Ingenium potuit juvenum confundere molle
Nullus, sed nobis gloria tanta tribus.
Gloria magna foret, si concremaremur ubiq;.
Suavia nam nostrum commoda nullus habet.

37. *Henricus Stoltzlin*, vir crassus, eligitur anno Domini 1518. Præfuit laudabiliter 20. annis, & pulcherrimis ædificiis elegantissime exornavit monasterium suum. Obiit anno 1538. Ejus hoc est epitaphion, versibus marmoreæ ejus statuæ subscriptis contextum authore *H. Bebelio:*

Et vetus & verum est verbum, quo fertur, Olympi
Regnatorem alti semper amare bonos.
Martalio Henricum ut vidit regnare potenti
Egregiis factis consiliisq; bonis,
Mox mundo immundo eripuit, patriæq; beatæ
Sedibus induxit, jussit & esse suum.

38. *Joannes Gudinus*, ex Uthonis villa natus, eligitur anno 1528. Præest laudabiter & utiliter hoc adhuc currente Jubilæo. Ædificavit denuo ex fundamentis pistrinum & infirmitorium turrimq;, quæ campanarum est receptaculum.

Uthonis Villa, cœnobium.

Est medio itinere inter Martalense hoc monasterium & collegium Canonissarum Buchaugiense, cœnobium quoddam Eremitarum S. Augustini, Uthonis Villa dictum, in ejusdem nominis pago infra montem Suevum, quem vulgo corrupta & abbreviata voce hodie *Bussium* vocant, in quo præclara est ejusdem nominis arx Baronum Waldburgensium. Id cœnobium fundatum est anno Domini 1450. à Bertholdo, Conrado & Joanne, nobilibus viris de Lapide, Equitibus auratis. Fundator Bertholdus in ipso templi choro splendide sepultus obiit anno Domini 1473. Gubernatorem hujus cœnobii Priorem vocant.

Buss.

Is erat, quo hæc scripsi tempore belua verius aut saginatus porcus quam homo, nec visu facilis nec dictu affabilis ulli.

Unlingenium cœnobiolum.

Est & monialium Franciscanarum elegans cœnobiolum in eodem ferè tractu paululum supra Bussium montem & arcem, Unlingenium dictum, in ejusdem nominis pago situm. Id anno Christi 1420. à Domino Walthero ab Ellerbach, Equite aurato, in choatum est, cui postea benefecerunt Dominus Andreas, Comes Solimontanus, qui obiit anno 1511. sororemq; habuit ejus monialium congregationis gubernatricem Magdalenam, quæ anno Christi 1513. cum alia quadam Solimontana, Margareta, Domini Eberhardi Comitis illegitima filia, peste decessit: & Dominus Wilhelmus, Dapifer Waldburgius, Reverendissimi Episcopi & Cardinalis Augustani Domini Othonis pater, quem ejus loci sorores alterum fundatorem cœnobioli sui appellare non dubitant. Præsidet ibi hoc adhuc Jubilæo honesta Domina Otilia Vogelmajerina, Memmingensis, electa anno 1527.

❁ ❁ ❁

Maursmünster/ oppidum & cœnobium.

MAVRI MONASTERIUM, antiquitus Cella Leobardi, cœnobium Benedictini instituti vetustissimum ac amplissimum, in ejusdem nominis oppido quatuor milliaribus ab Argentina, versus montana Vosagi, dimidio vero milliari à Tabernis Alsaticis in nobili solo situm, à Beato & Sancto viro Leobardo, oratorium & auditorium illic sibi ac discipulis suis primum construente, in honorem Principum Apostolorum Petri ac Pauli, sanctiq; Episcopi Martini incœptum ac inauguratum est anno Domini 583. sub illustrissimo Francorum in Austrasia Rege Childeberto, Clodovæi primi Gallorum Regis ad Christum conversi filio, qui totam Marchiam Aquilejensem liberalissimus fundator ac dotator, fratribus Deo hoc ipso loco sub præscripto & regula D. Benedicti vera pietate servituris, perpetuis temporibus possidendam tradidit, quæ donatio postea ab omnibus Christianissimis Regibus Francorum, datis pulcherrimis diplomatibus, ratificata & confirmata est. Abbatum hujus amplissimi cœnobii catalogus, etsi mancus, talis tamen à me ex veteribus scri-

scriptis ac diplomatibus consutus est, adjuvante me in hoc labore loci Abbate, viro docto & bono.

1. *Beatus* Leobardus, Eremita, discipulus D. Benedicti Abbatis in Cassino, Campaniæ monasterio, primus ferè in Alsatia discipulis collectis studia pietatis prælegens, cellæ suæ Leobardinæ primus Abbas fuisse legitur, sed quàm diu præfuerit, aut quis ei in scholæ hujus gubernatione successerit, ignoratur. *Cassinum.*

2. *Maurus* vero, Abbas, S. Pirminii, Meldensis Episcopi in Senonensi provincia discipulus (à quo hoc cœnobium postea Mauri monasterium appellatum est) scholæ huic & monasticæ congregationi præfuit anno Domini 724. temporibus Theoderici Francorum Regis, à quo ipse confirmationem omnium bonorum, à felicis memoriæ Childeberto, glorioso Francorum Rege ac primo cellæ Leopardinæ fundatore traditorum impetravit anno 5. regni Theodorici, quam hoc loco de verbo ad verbum adjicere volui.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Theodericus divina favente clementia Rex Francorum viro illustri Luthfrido, Alemannorum duci. Si petitionibus Deo servientium (quæ ad eorum quietem & tranquillitatem pertinent) libenter præstamus atque ad effectum perducimus, regiam consuetudinem exercemus, & ad mercedem vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Ideo notum esse volumus tam futuris quàm præsentibus, qualiter Venerabilis Maurus, Abbas de monasterio Domini LEOBARDI, quondam Abbatis, in honore sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & sancti Martini, peculiaris patroni nostri, constructo, clementiæ regni nostri suggessit, quid antecessori suo Domino LEOBARDO, quondam Abbati, qui ipsum monasterium suo opere à novo fundamento ædificasse noscitur, inclytæ memoriæ parens noster Childebertus, quondam Rex, opportunitatem ipsius monasterii, terram illam quam de deserto ipse ad excolendum vel commanendum præoccupaverat, per loca prænominata de ponticulo ad Fuenheim usque ad publicam stratam Tabernensem, ac deinde ad stratam pagi vel oppiduli Marlejenensem, hinc terminum de *Reges decet esse nutritores Ecclesiæ & Reginas nutrices, Propheta te.* *Fuenheim.*

fonte cisternato cum adiacentibus suis usq; ad Gunsium rivum: indeq; ad montem Cubernum per fraxinetum, ad locum, qui vocatur Aschowa, & sic per fluvium Sornam usq; ad Crucem Petrinam, tum demum ad Mauri rivum, pro futura mercede eisdem concessisset, ut nullus ibidem campos facere nec porcos saginare nec materiam succidere nec ipsius fines penitus irrumpere præsumeret, sed hoc ipsi monasterio omni tempore concessum esse deberet, & quicquid intra vel extra præscriptos terminos in quacunq; provincia vel pago ipse vel aliquis Regum prædecessorum ejus tradidisset, seu successorum quilibet potens vel vilis persona memorato loco Abbati ejusq; successoribus pro animæ suæ salute tradidisset, nullo contradicente aut resistente libere atq; licenter possidere liceret. Unde ipsam præceptionem memorati Principis seu divæ recordationis Theodoberti, Clotharii, Dagoberti, Sigeberti, itemq; Dagoberti, quondam Regum, nobis ad confirmationem ostendit in præsenti relegendam, sed pro firmitatis studio nostrum sibi expetiit ex hoc ipso in eodem monasterio, vel circa ejus terminos, omniaq; adid pertinentia confirmare præceptum. Cujus petitionem pro Dei intuitu vel mercedis nostræ augmento benigne suscipientes, ita nos confirmasse & in omnibus præstitisse regia consuetudine cognoscite. Præcipimus enim, ut, quicquid per inspectas supradictorum Regum præceptiones ad ipsum monasterium longe vel prope noscitur concessum fuisse, per hanc authoritatem nostram ipsi monasterio vel memorato MAVRO Abbati suisq; successoribus omni tempore in Dei nomine, & ipsum privilegium nostris & futuris temporibus stabile, Deo auxiliante, omnimodis conservetur. Similiter petiit, ut eum cum omni familia rebusq; monasterii sui longe vel prope constitutis sub nostro mundiburdio & defensione reciperemus: quod nos pro mercedis nostræ augmentis ita & præstitisse, cognovisse & confirmasse. Quapropter per præsens decernimus ac jubemus præceptum, ut neque vos neq; juniores vestri seu successores, nullaq; omnino, cujuscunque sit potentiæ, persona ipsum Abbatem neque monachum neque certe homines suos injuriari nec condemnare nec

Ratio liberalitatis collocatæ in monachos.

Mundiburdium, molem gubernationis & provinciarum tuitionis vocat.

nec ei intra vel extra monasterium rem irrationalem facere penitus, neque de rebus ad se pertinentibus quippiam aufferre præsumat, sed liceat ei suisq; omnibus sub immunitatis titulo & nostro mundiburdio vel defensione cum omnibus rebus suis & monasterii sui secundum normam patrum Domini Benedicti & Domini Columbani quietos residere atque securos, quo potius ipsam congregationem sanctam melius delectet pro stabilitate regni nostri misericordiam Domini die noctuq; crebrius exorare. Data Metis in cœnobio S. Arnolphi, ejusdem loci Episcopi, quod est constitutum in suburbio, sub die Kalend. Maji anno Dominicæ Incarnationis DCC. XXIIII. indict. III. anno vero regni Domini Theodorici V. *Officium monachorum.*

Ego Grimaldus Cancellarius recognovi.

Post Abbatem Maurum desiderantur aliqui Abbates, quorum nomina interciderunt.

3. *Celsus* vero Abbas præfuit anno 828. Is post primam & miserabilem sui cœnobii exustionem, chartarum & librorum reparator extitit curiosus & providus: aliud enim de eo extat nihil. Sub ejus gubernatione Ludovicus Imperator, cognomento Pius, conventum Principum & comitia Argentinæ celebrans, Drogoni fratri suo, Archiepiscopo Metensi, dono dedit plenam jurisdictionem hujus cœnobii, quod ille honorare & novis ornamentis illustrare volens, ex urbe Mediomatricum duo ejus loci Episcoporum, Sanctorum Cœlestis & Auctoris, corpora solenni pompa eô avehi & afferri curavit, quæ miraculis illic claruisse leguntur. Post Celsum hunc Abbatem iterum ingens hiatus est. Abbatum enim (qui ei successerunt) per 150. annos nomina acres ex omni memoria hominum in oblivionem venerunt. *S. Cœlestis & Auctor.*

4. *Landelochus* vixit & præfuit anno 982. quo Volmarus quidam cum Bertha uxore insignia quædam bona Abbati & monasticæ congregationi S. Martini in Mauri monasterio legavit. Facta est hæc donatio in oppido vicino, Saroensi pago dicto, veteri Comitiorum loco, Sarborch nuncupato, imperante Othone II. Sarbrugk.

5. *Godi-*

5. *Godinus* succeſſit Landelocho : ſed nihil de eo amplius in faſtos relatum invenitur.

6. *Richwinus* præfuit anno Domini 1073. regnante Henrico IV. Imp. & anno 1115. quo Richwinus quidam Præpoſitus monialium vicinum cœnobium, montis Sindenſis appellatione notum, fundavit.

Montis Sindenſis Cœnob.

6. *Adelo* anno 1123. ad Abbatiæ clavum ſediſſe legitur.

8. *Meinhardus* præfuit anno 1137. Vixit adhuc anno 1143. Innocentio II. pontificante, Conrado vero III. imperante. Hunc reperio triceſimum fuiſſe hujus cœnobii Abbatem.

9. *Anshelmus* præſedit anno Domini 1146.

10. *Conradus* præfuit anno 1163. tempore Friderici Barbaroſſæ.

11. *Wernherus* præfuit anno 1170. item anno 1169. His enim annis ſigillata ab eo diplomata habentur.

12. *Garnerius* Wernhero ſucceſſit, ſed quo anno incertum. Impetravit privilegium ab Alexandro III. Papa anno 1179.

13. *Otto* Abbas præfuit anno Domini 1224. Extant enim epiſtolæ Conradi Epiſcopi Metenſis & Spirenſis eo anno ad eum ſcriptæ.

14. *Rudolphus* præfuiſſe invenitur anno 1249. quo fecit permutationem bonorum quorundam cum ſanctimonialibus in Sindonis monte, vulgo Sindelſperg.

Sindelsberg.

15. *Godefridus* ſucceſſit Rudolpho. Obiit 8. Nonarum Auguſti anno 1153.

16. *Joannes* ſucceſſit Godefrido. Præfuit annis 35. ad annum usque 1288. quo obiit quarto Nonarum Martii.

17. *Conradus* ſucceſſit Joanni, ſed quamdiu ad gubernaculum ſederit, in literas non eſt relatum.

18. *Bernardus* præſedit monaſterio annis Domini 1301. item 1323.

19. *Joannes* præfuit annis Domini 1330. & 1348.

20. *Walravus*, Baro & Dominus de *Geroldſegk* (quæ familia ad Voſagum habitans, ſepulcra & reconditoria ſua habet in hoc cœnobio) præſedit annis Domini 1363. item 1376.

21. *Oſwal-*

21. *Oswaldus* de *Winterthur*, patria Argentinensis, præfuit annis Christianæ salutis 1382. & 1392. quo obiit.

22. *Arnoldus* Oswaldo succedens præfuit anno 1395. ut ex literarum Datis colligitur.

23. *Joannes de Thanstadt* præsedit annis Domini 1408. & sequente, ut ex literis colligi potest.

24. *Conradus de Steinbach* præsedit annis Domini 1415. & 1431.

25. *Gaspar Stollhofer* præfuit annis Domini 1437. & 1457.

26. *Adamus Speckmoser* præfuit sub anno Domini 1459.

27. *Reinhardus Knoblochius*, Argentinensis, vir nobilis majorumq; imaginibus conspicuus, præfuit sub annis Christi 1464. & 1478.

28. *Theodoricus de Kurneck*, nobilis Hercinius, eligitur in Abbatem anno Christianæ salutis 1486. Præfuit annis 31. Obiit anno 1517. Legitur fuisse LIII. Abbas in Mauri monasterio.

29. *Henricus de Witten*, Trevir, ex monasterio S. Mariæ ad Martyres, extra muros Treverenses sito, accitus, eligitur anno gratiæ 1517. Præfuit per biennium tantum.

30. *Franciscus de Læsura*, ex monasterio Treverensi Mariæ ad Martyres accersitus, & ex gubernatore S. Quirini Præposituræ eligitur in Abbatem anno Domini 1519. Præfuit quinque annis. Obiit anno 1524. in die S. Marci.

31. *Gaspar Riegkherus* vel *Rudigerus*, ut *Paulus Voltzius* eum appellat, ex oppido Villingensi natus, postulatur ex Etho- Villingen.
nis monasterio (ubi cellæ antea præfectus fuerat) in Abbatem Mauri monasterii anno 1524. Vidit sequente anno concremari à seditiosis rusticis cœnobium suum misere, quod ipse pulchre iterum instauravit diligenti œconomiæ inspectione & gubernatione. Præsidet adhuc hoc anno 1550. vir doctus & annalium sui monasterii in agricolarum hoc civili bello amissorum diligens reparator: qui & hæc de suo & alia multa alibi sequutura de vicinis quibusdam monasteriis mihi benigniter communicavit. In cujus gratiam tale lusi de hujus monasterii origine elegidion:

Mauri hæc ſacra domus, Leobardi Abbatis in iſto
Temporibus priſcis Cella vocata loco,
Regibus à claris Gallorum eſt condita, Petri
Quando Gregorius in ſede ſedebat ovans.
Qui magni vulgo nomen laudesq; meretur:
Hoc nos ſic equidem pagina priſca docet.
Si quæris, quæ ſint iſtorum nomina regum,
Adverte, & vere id me recitante ſcies.
Theodobertus erat primus, Clotharius alter,
At Dagonbertus tertius ille fuit.
Qui variis poſuit donaria plurima templis,
Præcipueq; fuit religionis amans.
Quartus erat Mediomatricum ad priſca ſepultus
Mœnia Sigbertus ſub pede, Quinte, tuo.
Quintus Theodericus amans pietatis, avito
Huic dedit & ſacro plurima dona lari.
Iſtorum meritis pietatis ſacra vigebant
Hic ſtudia, & quicquid tota ſophia docet,
Sub doctis Abbatibus & rectoribus, iſto
Quorum corpora ſunt condita ſacra loco.
Indigno donec fato gens ruſtica nuper
In Dominos movit bella cruenta ſuos.
Tum Gaſpare Rudigero me hæc regna tenente,
Vaſtata eſt iris triſtibus iſta domus.
Pulſus ego externas procul hinc crudeliter oras
Evaſi furias vix, mala turba, tuas.
At fractis illis, iterum ad mea tecta cucurri,
Atq; inſtauravi numine cuncta novo.
Tu pater alme, Deus, cœli qui templa gubernas,
A ſimili poſthac protege clade tuos.

Mons S. Quinti prope Metin, ad cujus pedem eſt Cœnobiũ S. Martini, fundatum à Sigeberto Auſtraſiæ Rege illic ſepulto.

MICHAELIS CAMPVS, Germanice Michelsfeld/ clariſſimum Benedictinorum generis nobilitate conſpicuorum cœnobium, circa Pegneſum amnem prope Awerbachium Palatinorum in Nariſcis oppidum ſitum, quod uno eodem conſtantiſſimo

tissimo muro, amplissimisque duabus fossis & turribus decem instar oppidi egregie communitum, & in concursu duorum pisculentissimorum fluviorum, Steinwasseri & Specciii infra cœnobium concurrentium & in Pegnesum decidentium, amœnissimo loco constructum est, fundatum legitur in honorem S. Joannis Apostoli & Evangelistæ pro Nobilibus viris pietatis ac literarum desiderio flagrantibus annum Christi circiter 1119. ab Othone, generoso Comite de Andechs, Bertholdi Comitis filio, Henrici V. Rom. regis sacellano, octavo Episcopo Bambergensi: qui Pomeranorum Apostolus appellatus est, quod ipse primus Pomeranos in fide Catholica & Christiana imbuerit ac Episcopatum ibi Julinensem instituerit: & ab alio quodam terræ Nariscorum regulo, Beringero vel Beringario, Comite de Sultzbach, qui juxta sequentis privilegii tenorem plurimos pagos ad monasticæ hujus congregationis sustentationem contulit.

Otho, Pomeranorum Apostolus & Episcopatus Julinensis illic fundator.

In nomine S. & individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia octavus sanctæ Bambergensis Ecclesiæ Episcopus. Noverit Christi fidelium universitas tam præsentis ævi, quàm etiam futuri, monasterium S. Joannis Evangelistæ in loco quidem Michesfeld nostro opere nostroque studio esse constructum. Recognoscant etiam tam præsentes quàm futuri, quibus bonis ipsum locum cumulaverimus, de quibus possessionibus fratribus illic in servitio Dei excubantibus subsidia temporalis vitæ procuravimus, ut, dum hujus veritatis testimonium multos assertores, multos testes habuerit, quæ à nostra humilitate statuta sunt, jugiter inconvulsa permaneant. Sciant etiam omnes, quod ipse locus, in quo monasterium constructum est, cum esset mansus ad jus nemoris pertinens, alio manso in Riseha, Episcopatui restitutus est. Per ambitum quidem monasterii lata spacia agrorum, pratorum, sed & nemoris partem usque ad viam meridianam, quæ in transversu silvæ porrecta est & in occidentali ponte apud Seepergk terminatur, ad ipsum monasterium tradidimus & in hoc quieti monachorum consulentes. Prævidimus enim inevitabile, ut vicinorum querulosis litibus non gravarentur, si eorum possessiones alienis possessionibus artarentur. Præ-

Seepergk.

terea de jure nemoris, vel ad Episcopatum pertinentis, volente & rogante Comite Beringero, cum conniventia primatus cleri & populi Babenbergensis Ecclesiæ, in usus monasterii & monachorum tanquam privilegio beneficii hæc transtulimus: in præterfluente fluvio, qui dicitur Begentz ab ejusdem nominis villa, usque ad rupem, quæ dicitur Gotzenstein, piscationem propriam monasterio largiti sumus. Pascua animalium infra semitam, quæ à villa Begentz directa viam contingit ducentem in Velden à supradicto ponte, concessione nostra libere ceduntur ligna ad ædificiorum cellæ usum, sparsim tamen & ubi custodes nemoris monuerint. Ad focum vero ligna, quæ fabrilibus operibus apta non sunt, ubicunque potuerint inveniri, nisi in locis condensioribus & latibulis ferarum, faciendis quoque alveolis apum ubique in nemore largam licentiam dedimus. Villæ autem, quas ipsi monasterio contulimus, istæ sunt: ipsa villa Michelsfeld, Heroltsreut, Nusehe, Ruchendorff, Widelunpach, Willeberg: item, Churbendorff ex parte, Buchenbach cum parochia, Witenloch, Reikersperg, Birche ex parte, Schonevelt, Bucha ex parte, Penhenreut cum Risahæ Huvenstein, qui & Gernotenstein dicitur, Sigehartisreut, Urbach, Weluch, Pilenstein, Lutzenbuche, Ebersperg, Friderichsreut, Bernhartsreut, Sumerhauen, Hamegast, Hophenalte ex parte, Franckenalte, Curchendorff ex parte: item, aliud Kirchendorff ex parte, Artolfelbrunnen, Hagenach, Godesendorff, Steinegewasser ex parte, Rachenberg, Czimerberg, Igelsreut, Plech, Toberin, Punreut, Gotzemarsberg, Pernbach, Grune, prædium Henfenveld, & parochiam cum fundo & omnibus pertinentibus suis, Schwaigoltesreut ex parte, Ortenberg, Snelhartesdorff, Welmesgesehes. Delegavit autem eas super altare sancti Joannis vir illustrissimus, Comes Berengerus, quem ejusdem loci advocatum constituera-mus. Affuerunt autem testes horum omnium Burco de Culmen, Meinhart de Parchstein, Wigandus Uderscalch, Wiento de Wolfringen, Wigandus de Wolffespach & fratres ejus Rapoto & Bruno, Merpoto & Eppo de Ebermannesdorff, Rupertus de Bibra, Engelmar de Vogelspach, & Adelbero frater ejus, Poppo

Begentz. Velden.

Reut, Riet & Rode dicuntur Germanis plerumq; illa loca, quæ prius silvestria postea in agros conversa sunt quorum magna est in Germania olim plane silvestri multitudo.

Poppo de Schonevelt, Baldewin de Keſtelbach, Erckenbertus de Tennelberg & fratres ejus Poppo & Reinoldus, Volcholdus de Gelhendorff, Hertvinck de Bernreuth, Rupertus de Stein, Marquart de Guntzendorff, Roho frater Ruperti, &c. Vero hæc & alia, quæ ipſi monaſterio vel per nos collata ſunt, vel poſtmodum à fidelibus Chriſti conferenda erunt, authoritate tam Apoſtolica quàm Regia, cum privilegio per noſtram ſolertiam dato rata ſint, ita, ut ſi quis eorum injuſta uſurpatione quicquam Eccleſiæ ſurripuerit, vel privilegia immutaverit, æterno anathemate percutiatur & majeſtatis reus habeatur: ſigilli noſtri impreſſione hanc chartam de his omnibus conſcriptam ſignamus, ut in ævum ſtatuta noſtra Domino favente corroboremus. Anno Dominicæ Incarnationis M C XIX. Indict. xij. ij. Nonarum Maij actum feliciter, Amen. Catalogus ejusdem loci Abbatum talis à me in hoc cœnobio collectus eſt. *Catalogus Abbatum.*

1. *Imbricus* eligitur anno 1119. Præfuit duobus annis & obiit anno Chriſti 1121.

2. *Hartungus* præfuit annis 13. Obiit anno 1134.

3. *Adelbertus* ſucceſſit Hartungo. Præfuit annis undecim. Iſtorum quietis cauſa tranſtulit in Urbach, & ibi expenſis ſuis & fratrum extruxit ligneum templum. Obiit anno Domini 1145. *Awerbachium oppid.*

4. *Gosbertus* obiit anno 1159. cum ſediſſet annis 14.

5. *Arnoldus* ſedit annis octo. Obiit anno 1167.

6. *Francho* præfuit annis ſex. Obiit anno 1173.

7. *Conradus* obiit anno 1186. cum præfuiſſet annis 13.

8. *Adalbertus* anno 1196. ex hac vita deceſſit, cum rerum potitus eſſet annis 10.

9. *Leopoldus* præfuit 13. annis & obiit anno 1209.

10. *Volnandus* ſedit ad clavum annis 21. Ambulavit viam univerſæ carnis anno 1230.

11. *Conradus* præfuit 14. annis. Obiit anno 1244.

12. *Henricus* 21. annis præfuit & profuit. Deceſſit año 1265.

13. *Hermannus* præfuit 15. annis. Obiit 1280.

14. *Bertholdus* ſucceſſit Hermanno. Exuit hominem anno 1293. cum 13. annis præſuiſſet.

15. *Rabanus* præfuit 23. annis. Obiit anno 1316.

16. *Henricus de Mech* præfuit 16. annis. Obiit anno 1332.

17. *Marquardus* præfuit annis 16. Obiit anno 1348.

18. *Nicolaus* obiit anno 1366. cum præfuiſſet annis 18.

19. *Theodericus Zuudenreuter*, vir nobilis, 24. annis laudabiliter præfuit. Obiit anno 1390.

20. *Henricus à Druppach* obiit anno 1411. cum ſediſſet ad clavum commiſſæ ſibi Abbatiæ annis 21. Sub ejus gubernatione vaſtatum ac direptum eſt ab Huſſitis cœnobium anno Dominicæ Incarnationis 1420.

21. *Hartungus Pfersfelder* laudabiliter præfuit añis 39. Et anno 1450. Bambergam ad gubernationem Montis monachorum evocatur.

22. *Petrus à Thondorff* eligitur anno 1452. poſt reſignationem Pfersfelderi. Præfuit undecim annis & obiit anno 1463.

23. *Wernherus Lochner* ſucceſſit Petro anno 1463. Præfuit 31. annis. Sub hoc abbate confirmata ſunt omnia privilegia monaſterii Michelfeldenſis à Divo Friderico Imp. Rom. anno Chriſti 1464. Neoſtadii. Et poſtea etiam à Divo Maximiliano Imp. Deceſſit anno 1494.

24. *Fridericus Trauttenberger* conſtituitur anno 1494. Præfuit 16. annis. Obiit anno 1510.

25. *Bartholomæus Sturmer* ſucceſſit Friderico. Præfuit 19. annis. Obiit anno 1529. in vigilia D. Gregorii apud Schnaitachium, marcam tribus lapidibus à Noriberga ſub Rubei montis ampliſſima confœderatorum Germaniæ Nobilium arce ſitam.

Schnaitach hodie Schnattach.

26. *Quirinus à Gich*, die Martis poſt D. Gregorii feſtum electus eſt. Fuerat antea adminiſtrator apud Endisdorffum, cœnobium Benedictinorum ad Vilſum amnem ſitum. Obiit anno Domini 1546. cum præfuiſſet laudabiliter 16. annis & menſibus decem. Hujus tumulum à germano ejus fratre Sebaſtiano exoratus tali ego honoravi epitaphio elegiaco:

Endesdorffum Cœnobium.

Hic jaceo, cuboq; loci hujus rector & Abbas,
Non vana ornatus laude Quirinus ego.

Endes-

Endes dorffensis quoq; cœnobii Pater olim,
Gloria Gichanæ non moritura domus.
Gratia Christe tibi, quod me tui in agnitionem
Duxeris & dederis cælica regna mihi.

27. *Fridericus ab Auffses* eligitur anno 1546. Præest adhuc currente hoc Jubilæo, vir literis & pietate conspicuus. Habuit germanum fratrem, Gasparem de Auffses, in Rubei collis exigua arce ad Wismadum amnem supra Ebermanstadium, Episcopi Bambergensis oppidum habitantem, virum eximie doctum & pium, qui Romæ & in aliis Italiæ urbibus studiorum ergò diu versatus, omnes Italiæ Bibliothecas summo studio perlustravit, & quæ propria manu ex ipsis transcripsit, mihi multoties ostendit. Huic pro suis officiis, pro sua incredibili erga me benevolentia, ego gratitudinis ergò tale posui epitaphion in Silvarum mearum libro XVIII. *Casp. de Auffses.*

Nobilis & genere & doctrina Gaspar ab Auffses,
Germanæ eximius nobilitatis honos,
Qui Romæ quondam studuit vixitq; latinæ
Ac didicit linguæ divitis omne decus,
In patriamq; reversus, ibi populosq; patresq;
Babenberga, pio rexit amore tuos.
In propriam ægrotus donec concederet arcem,
Volvit ubi varios nocte dieq; libros.
Ex quibus & Christum didicit cognoscere vere,
Quicquid & eximii tota sophia tenet.
Ejus in hoc tumulo corpus requiescit honestum,
Quem fieri dudum fecerat ipse sibi.
Mens generosa, Deiq; timens atq; omnium amatrix
Virtutum, patris vivit in arce Dei.
Fama viri docti nullis delebitur annis,
Quæ toti huic genti conferet omne decus.

Extra Michelsfeldensis cœnobii muros est trans Steinwasserium rivum colliculus cum vetusto fano S. Nicolai, in quo antiquitus & à prima cœnobii fundatione moniales Benedictinæ professionis vicitarunt. Hæ postea reformatæ Babenbergam in S. Theo-

S. Theodoræ cœnobium translatæ sunt. In ea ipsa vicinia est moledinarii saxi egregius scopulus, in quo mirabiles & amplæ visuntur cavernæ, è quarum regione sunt etiam alia similia saxa S. Theodorici & S. Wolfgangi mirabilibus cavernis plena.

❁ ❁ ❁

MONS MONACHORUM, Münchsberg/ amplissima ac moenissimaq; extra muros Bambergensis civitatis sita Abbatia, monachorum Benedictinæ sectæ seu professionis, fundatur annum Christi circiter 1008. in honorem S. Michaelis Archangeli, unà cum ipso fere Episcopatu Bambergensi à S. Henrico Imperatore Claudo, ejusque conthorali Sancta Chunigunde Palatinissa & Imperatrice. Is Henricus Imperator, hujus nominis secundus, ac primus, qui ab Officialibus seu Electoribus Imperii in Regem Romanorum electus est, in Norico natus legitur patre Henrico, inclyto Bavarorum ac Norici Duce, qui, diminuta voce per tapinosin quandam *Hezelinus* dictus, anno Domini 1001. inter mortales esse desiit, Ratisbonæ ad S. Emeranum cum tali epitaphio sepultus.

Heinrici II. Pater.

Henricus Regis Pater, est defensio legis,
Bavariæ cultus, pius est dux ille sepultus.

Ratio vero fundati hujus cœnobii hæc Imperatori Henrico fuisse perhibetur. Ajunt illi in secretiori quodam sacello devotius aliquando oranti apparuisse Michaelem Archangelum, qui femur Regis tangens (unde claudus factus esse legitur, qui rectus prius incesserat) Evangelicumq; codicem osculandum ei porrigens, in hæc verba eum consolatus sit: *Ne timeas, electe Dei, velociter surge atq; hoc signum pacis divinitus tibi transmissum suscipe, Deiq; cultum strenue propagare perge.* Postea ex Apulia in Germaniam (feliciter ibi confecto bello) redeunti & apud Cassinense monasterium gravius ex calculo decumbenti Deoq; precibus iterum vehementer instanti S. Benedictus per quietem oblatus dicitur, qui, exciso sine doloribus calculo vulnerisque hiatu pulchre sanato, optimæ valetudini Regem feliciter restituit. His miraculis Regem motum, cum Bambergam rediisset, in memoriam

Claudus unde factus sit Henricus II.

Calculi cura mirabilis.

riam harum salutarium sibi ac adeo prædulcium apparitionum sempiternam, in honoremq; S. Michaelis Archangeli Divique Benedicti Abbatis cœnobium hoc Montis monachorum construxisse, idemq; munificentissime dotasse ajunt. Visitur hodie adhuc ante fores templi, quod est in Monte monachorum præcipuum, imago quædam Henrici hujus fundatoris, ubi in testimonium quassati femoris & claudicationis lapillus sinistro ejus pedi à pictore studiose subjectus est. Alia de hoc Imperatore Henrico multa leges, cum in aliis monasteriis ab eo erectis ac liberalissime donatis, tum in opere, quod brevi (Deo volente ac favente) de omnibus totius Germaniæ Episcopatibus publicaturi sumus.

Imago Henrici II. in monte monachorum.

Cum vero cœnobium hoc, postea successu temporum aliquid calamitatis ac infortunii perpessum, ruinam ab omni parte minitaretur, ejusq; tamen ob situs partim amœnitatem, partim vero primæ fundationis authoritatem miro teneretur studio S. Otho, Babenbergensis Ecclesiæ Episcopus octavus, renovatum ab eo non tantum, sed & auctum ac ditatum est anno Christi 1126. ac ita in deliciis habitum, ut ipse non solum habitationem etiam sibi certam ibi elegerit, sed & in ejus loci templo primario sepeliri voluerit: in cujus choro magnificum cernitur ejus Mausoleum cum hac chronologica inscriptione:

S. Otho Episcopus Bambergensis renovat monasterium Mönchberg.

Anno Domini 1102. tertia Id. Maij ordinatus est in Episcopum S. Otho. Anno 1140. secunda Kalend. Julii obiit S. Otho. Anno 1189. secunda Kalend. Octobrium translatus est S. ac Deo dignus Episcopus Bambergensis & Pomeranorum Apostolus.

Monumentum ejusdem.

Catalogum ejus Abbatiæ patrum ac gubernatorum omnium ex veteri quodam monasterii Chronico variisq; ejusdem chartis ac diplomatibus collegi talem, quo fruere lector & nostrum ornandæ patriæ studium bene interpretare.

Abbatum series.

1. *Ratto*, ab aliis *Rapatho* dictus, anno 1015. montem S. Michaelis inhabitare cœpit, cui præfectus est ab ipso rege Henrico secundo & ejus conjuge S. Cunigunde. Eodem anno fundamenta monasterii locata sunt: & anno secundo Domini Henrici secundi, Abbatis templum dedicatum. Præfuit sanctus ille

& venerabilis Pater annis quinq;. Obiit anno 1020. 17. Kalend. Febr. Ubi positus sit, ignoratur. Literæ fundationis ei traditæ hunc habent de verbo ad verbum tenorem:

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia secundus, Romanorum Imperator Augustus. Nosse volumus industriam Christi fidelium, tam futurorum quàm præsentium, quod imperiali sancimus edicto, ut in prædiis, quæ divinæ intuitu pietatis Ecclesiæ S. Michaelis Bambergensi, unà cum dilecta conjuge nostra Cunegunda, pro nostrarum eorumq; (quorum debitores sumus) remedio animarum imperiali contulimus munificentia, tredecim videlicet principalibus curtilibus, Ratelsdorff, Ezelkirchen, Rodeheim, Belbenhusen, Werde, Wofurte, Dorfflin, Ebelsfeld, Leitterbach, Elsendorff, & circa Wederebam Scherstein, Husen & Budensheim, cum omnibus villis attinentibus in prædiis etiam ubicunque conquisitis & conquirendis, dictæ procuratores Ecclesiæ locandi, instituendi, destituendi ac in melius commutandi: mansos, feuda, areas, prata, vineas, silvas, cæteraq; mobilia & immobilia, ad placitum sui Abbatis ac præceptoris liberam habeat potestatem: quibus etiam placationis offensarum, satisfactionum vel emendas excessuum vel injuriarum in omnibus causis civilibus, tam in tribus placitis Maij, Autumni & Februarii, quàm in omnibus plane negotiis, ab universis Ecclesiæ colonis volumus exhiberi. Cæterum si coloni in litibus causarum decidendis inter se dissentiunt, ad proximam curti Marchiam eos pro sententiis ferendis statuimus habere recursum. Si vero casus perplexus fuerit & difficilis, ad caput claustri, videlicet ad Abbatis præsentiam recurrant. Sicque Abbas, majoribus & melioribus suæ familiæ convocatis, ipsorum consilio (quod justum est) ordinet ac disponat. Debita servitia aratrorum tribus vicibus in anno, ovorum in Pascha, caseorum in Pentecosten, pullorum in carnisprivio, & hebdomadalia servitia dictæ nostræ Ecclesiæ ab omnibus, ut condecet, impendantur. Censum autem ultimum, per quem utique omissa vel neglecta supplentur servitia, jus videlicet capitale, à viris decedentibus optimum equum, vel si equo

si equo carent, optimum caput pecoris, & à fœminis induvias & exuvias transmitti ad Ecclesiam ordinamus, ut cum famulis Ecclesiæ in divinis servitiis communionem plenariam consequantur. Hujus instituti authoritas ut omni ævo stabilis inconvulsa permaneat & inviolabiliter ab omnibus observetur, hanc chartam inde conscriptam, sicut inferius apparet, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Data nonis Februariis, Indictione 12. anno Dominicæ Incarnationis 1015. anno Domini Henrici secundi regnantis decimo sexto, Imperii autem quarto. Actum Francofordiæ feliciter.

Eodem anno Imperator concambium fecit cum Poppone, Fuldensi Abbate, dans ei pro pagis Ratelsdorff & Etzelskirchen alios duos videlicet, Unaraham & Bereschich. Eodem anno concambium fecit etiam cum Abbate Hersfeldensi, Arnoldo super quibusdam locis. Actum Francofort. Ratolffesdorff.

Dedit huic Abbati idem S. Henricus prædium Gimmaschheim cum omnibus adjacentibus sibi anno Domini 1017. quod erat in Comitatu Zeisolphi Comitis, in pago Wormesfeld, quod dilectus ejus sacellanus Rothardus Cæsari contulit & donodedit. Actum Aquisgrani. Gimmaschheim. Wormsfeld.

Dedit & Lantheshovium, in Comitatu Ernfridi Comitis situm, anno Domini 1019. & proprietatem in loco, Schwindelingen dicto, anno 1017. Landeshoff.

2. *Henricus* præfuit feliciter 46. annis. Obiit anno 1066. septimo Iduum Octobris, vir miræ secundum Deum pietatis & scientiæ, secundum seculum magnæ nobilitatis & strenuitatis. Dedit cœnobio cruces argenteas duas. Hujus secundo anno dedicavit Episcopus Eberhardus templum cœnobii quarta Nonarum Novembrium. Huic consecrationi interfuerunt Erbo Archiepiscopus Moguntinus, & Pilegrinus Colonienſis, aliique plurimi.

3. *Adelhelmus* suscepit curam hujus loci pastoralem tertius anno Domini 1066. Præfuit annis quinq;. Obiit anno Domini 1071. pridie Idus Maij. Hic summo studio nunquam non psallentium choro interfuit, primus intrando & ultimus egrediendo. *Pietatis studiosus Abbas.*

Tantopere pietatis erat ſtudioſus amansq;.

Huic ipſi talem ſcripſit epiſtolam Pont. Max. Clemens II. antea Suidegerus dictus, Epiſcopus Bambergenſis:

Clemens Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Adelhelmo, Abbati monaſterii S. Michaelis Archangeli, Babenbergæ poſiti, perpetuam in Domino ſalutem. Omne ædificium, quo profundiore nititur fundamento, eo ampliore roboratur firmamento. Fundamentum autem aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus, Deus noſter, ſuper quod primus ædificatus eſt Petrus, cui ipſe dixit: tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Eccleſia vero cum ſit una, particulariter tamen diviſa, Eccleſias alias veluti filias nomen matris habentes habet. Generalis igitur Eccleſia in Petro, ſpeciales illæ conſtitutæ ſunt in multis pro labore difficultatis. Quicquid tamen eſt Eccleſiarum ubique terrarum, ſemper reſpicit ad Apoſtolicum firmamentum & fundamentum. Quapropter, fili chariſſime, Abba reverendiſſime, juſte & rationabiliter viſum eſt tuæ experientiæ, poſtulare à noſtra (ubi indigne ſedemus) Apoſtolica ſede ſcutum firmiſſimum, robur validiſſimum veſtro monaſterio pro bonis, quæ modo habet & in perpetuum habiturum eſt. Quod quidem voluntate promtiſſima concedimus & toto animo annuimus. Præſedimus enim ſanctiſſimæ Babenbergenſi Eccleſiæ quamvis indigna paſtoralitate, & ipſi veſtro monaſterio dilectionem non modicam exhibuimus, invitante & quodammodo compellente nos exemplo beatiſſimæ memoriæ Domini Henrici, Sereniſſimi Imperatoris, ejusdem Eccleſiæ conditoris. Et promovit nos divina dignatio absque ullo noſtro merito, & propterea noſtro repugnante animo in culmen Apoſtolicum, in faſtigium omnium Eccleſiarum, ubi eſt totius Chriſtianitatis fundamentum, quod tibi bene viſum eſt, & nobis bene eſſe videtur, ſcilicet ut omne bonum veſtri monaſterii præſens & futurum ſic noſtra Apoſtolica authoritate roboretur, ut à nemine mutiletur. Statuimus igitur Apoſtolica cenſura ſub Divini judicii obteſtatione, ut nulli unquam Duci, Marchioni, Comiti, Vicecomiti, Caſteldioni, nec præterea ipſius loci

loci in posterum Episcopo, extra Canonicam authoritatem, nullíq; personæ horum liceat aufferre de bonis, quæ ipsi monasterio sancti Archangeli Michaelis per prædictum sanctissimum Imperatorem Henricum collata sunt & ab alijs Christi fidelibus, & etiam quæ sunt in perpetuum conferenda, ut quicunque id tentaverit, sciat, se excommunicationis vinculo ligatum & etiam anathematis lancea perforatum nostræ Apostolicæ potestatis vigore, donec, quod injuste abstulit, juste restituat. Qui vero defensor & observator extiterit eorum bonorum, ille benedicatur ab eo, qui est benedictus in secula seculorum. Bene valete. Data XIII. Kalend. Maij per manus Petri Diaconi, Bibliothecarii & Cancellarii sanctæ Apostolicæ sedis anno Domini Clementis Papæ secundi primo, Indictione XV.

4. *Rubertus*, cognomento *Numularius*, ob insigne pecuniarum studium ac insatiabilem habendi cupiditatem, præficitur anno Domini 1071. Resignavit mox eodem anno & discessit alio. Habuit enim plures Abbatias suæ gubernationi commissas. De eo plura lege in Augia divite.

5. *Egilbertus*, alibi *Ecbertus*, præficitur anno 1071. post resignationem Ruberti, qui & ipse mox discessit, eo quod plures haberet Abbatias. Sepultus est in monasterio Schwarzach, ubi miraculis claruisse legitur.

6. *Vto* vel *Otho Levita* constituitur anno 1072. Sedit annis 10. Obijt anno 1092. pridie Id. Septembr.

7. *Willo*, subrogatus Uthoni, præfuit annis tribus. Discessit anno 1085. Nonis Julij.

8. *Thiemo*, ex Diacono fit Abbas. Præfuit 9. annis. Obiit anno 1094. Dedit monasterio prædium suum in villa Dornbach situm. *Dornbach.*

9. *Gumboldus*, è S. Emerani Ratisbonensi cœnobio assumtus, præfuit annis ferè 18. Conciderat sub hoc omnis penè disciplina, ab Othone tandem sancto Episcopo restituta & denuo instaurata. Dicitur condidisse & adornasse prædium Gumboldini fontis, quod est infra cœnobium, in amœnissimo loco situm, non procul à confluxu Mœni & Pegnesi fluviorum. Resignavit *Gumpertinus fons.*

anno 1112. senio gravatus, retenta pensione, in vitam reliquam sufficiente.

10. *Wolframus*, vir nobilis, natione Bavarus, ex Hirsaugiensi monasterio, cum quinq; alijs eximie doctis & vitæ integritate maxime conspicuis monachis accitus, successit Gumboldo, concorditer post Episcopi commendationem electus; ab ipso Episcopo Sancto Othone, cœnobii reformatore & renovatore, solenniter ordinatur 18. Kalendarum Aprilis. Sub hoc Abbate novus & religione plenus ordo Hirsaugiensis introductus est, abolito prius omnino remisso & dissoluto more Amorbacensium. Sub eodem item ita auctum est cœnobium à S. Othone Episcopo, ut 70. monachi simul & eodem tempore in eo alerentur: de qua re talis extat S. Othonis epistola ad Abbates sibi subjectos.

Multi Abbates.

Otho Dei gratia, Babenbergensis Ecclesiæ minister humilis, Venerabili fratri Wolframo Abbati S. Michaelis, Wigando Thariensi, Baldewino Bancensi, Eggehardo Vraugiensi, Imbriconi Michelfeldensi, Balduino de Endesdorff, Erboni de Pruveningen, Friderico de Gengenbach, Eberhardo Schutturensi, Othoni Steinensi, Luitgero de Regenstorff, Ingrammo de Arnoldstein, præposito de Klunickhe, præposito de Hosterhoven, & omnibus sub ipsis pie conversantibus, salutem & perseverantem in Dei voluntate famulatum. Cum primum pastoralis curæ regimen quamvis indigni suscepimus, monasteria Ecclesiæ nostræ subdita, qualiter in monachica religione disposita essent, diligenter attendimus: sed omnia à disciplinæ suæ rigore nimis resoluta invenimus, quod molestè ferentes, ac dispositioni nostræ incautum existimantes diu multumq; laboravimus, fusis ad Deum precibus, ut per divinam providentiam, quæ in sui dispositione non fallitur, commutaretur in melius. Tandem Deus virtutum (cuius est totum, quod est optimum) vota respiciens humilium, in omnibus monasteriis nostris religionis præstitit augmentum. Quia vos gregi suo pastores idoneos elegit, ac fratrum vestrorum numerum in sancta conversatione multiplicavit, quod in vicino S. Michaelis monte ostenditur. Quia dum non plus quàm viginti fratres, & eosdem sub tenui disciplina invenimus,

nimus, jam, Deo gratia, plusquam septuaginta ibi cernimus, absque his, qui honeste conversantur extrinsecus. Unde nos non mediocriter lætificati, omnes vos prælatos ac subditos in charitate sancta appellamus, omnium vestrum pedibus humiliati, in Deo & per Deum obsecrantes, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, & religionis vestræ ac regularis disciplinæ vigorem alii succedentes aliis hæreditario jure in longitudinem dierum conservetis. In memoriam ergo tam salubris exhortationis addimus decretum nostræ Episcopalis confirmationis dirigendum, transcribendum, relegendum singulis monasteriis, monasticæ religionis spiritualem militiam, Deo placitam, hominibus acceptam, celebrem Angelis, terribilem hostibus, ut jam per omnia cœnobia nostra sub authoritate Spiritus sancti renovavimus & instituimus, sic deinceps integram illibatamq; servare sancimus atque decernimus. Commendantes eam sub testimonio Christi & Ecclesiæ, vobis electis rectoribus ac dilectis fratribus, per vos nihilominus commendandam omnibus vestris successoribus. De cetero in nomine Domini vobis benedicimus: testis enim mihi est Deus, quoniam cupiam omnes vos in visceribus Christi, Amen.

Wolframus iste Abbas, studiosissimus congerendæ Bibliothecæ fuit, qui habuit sub se monachos Frutolphum, Thimonem & Heroldum, strenuos librorum scriptores, per quos Bibliotheca egregie crevit & aucta est. Præfuit Abbas iste annis undecim. Obiit anno 1123. undecima Kalend. Novembrium. Sepelitur in sacristia vel adytis templi ante aram S. Martini. Huic dono dedit S. Otho secundus hujus loci fundator prædium in villa, Gestingshausen dicta, emtum à Gerwico de Wiltperg ejusque fratre Conrado centum & octoginta talentis. Dedit item prædium Altenholffeldt, quod prius fuerat Adeloldi Walpotonis: decimas item Ecclesiæ in Gertenrode: Bertholdus vero, Comes de Wertheim, dedit allodia sua apud Richebach & Tragesholdesdorff & Tanckenhoffe. Domina Adelheidis de Wartbrech, nobilis conjunx Conradi, Comitis de Bertholfundennenburch, donodedit S. Michaeli pagos Weltersdorff, Grube, Masbach, Wichstein, Gruntanne, Drogenesreut, quæ antea fuerant

Gestingshausen. Altenholfeld.

Henrici

Henrici de Bibera. Testis inter ceteros multos Bertholdus, Comes de Plassenberge. Factum id sub Egilberto, humilimo Episcopo Babenbergensi, anno 1146.

11. *Hermannus* eligitur anno 1123. Præfuit annis 24. summa cum laude & utilitate. Obiit anno 1147. quarto Kalend. Decemb. Sepelitur ante aram S. Petri. Sub eo constructa est ab ipso S. Othone Episcopo cella S. Fidis, quam prædiis multis dotatam donavit monasterio, ut ibidem jugiter septem fratres & duo conversi divinis laudibus insistant: factum id anno 1136. Auxit Abbas hic Bibliothecam innumeris voluminibus. Condidit sacellum supra portam majorem & dedicavit id anno 1141. Sanctæ Trinitati. Emit 150. marcis prædia parentum suorum apud Urdorffum & Sulztall, à tribus fratribus suis, Henrico, Meginhardo, Gotfrido, & sorore Juditha, & obtulit per manus fratrum suorum super aram S. Michaelis. Factum id anno 1136. regnante Lothario. Testes sunt Bertholdus Comes de Plassenberg. Ratboto Comes de Lutenbach, Poppo de Goswinstein, Petro de Wesentau, & filius Heerdegenius. Megengosus, Eckhenhardus & Constantinus de Aufffaze, Meginhardus Pragensis Episcopus dedit Chunigsfeld. Sub hoc Abbate mirifice crevit & ditatum est cœnobium Montis monachorum. Arnoldus de Chunstat pro filia sua Bertrada dedit prædium Fullebacense.

Cella S. Fidis.

Urdorff. Sulzthal.

Fullebach.

12. *Helmericus* subrogatur anno 1147. Præfuit 13. annis. Cessit anno 1160. quo etiam decessit quarta Iduum Decembris. Donatur à Chuniberto de Thurstat prædiis aliquot anno 1157. Consequutus est privilegium summæ immunitatis, ad instar Canonicorum summæ Basilicæ ab Episcopo Eberhardo secundo. Donatur à Bertholdo, Comite Schwartzenburgio, abituro in expeditionem Hierosolymitanam, bonis quibusdam in Doberse & Lesen.

Doberſee. Leſen.

13. *Irmbertus*, ab aliis Imbricus dictus, de monasterio S. Blasii Admontensi assumtus, præficitur anno 1160. Præfuit annis duodecim fere. Obiit anno 1172. duodecima KL. Januarii. Sub eo dedicatum est S. Triadi & beatæ Mariæ & S. Georgio summa ara.

14. *Wol-*

14. *Wolframus* secundus successit Irmberto anno 1172. Præfuit annis 29. Collectus est ad patres suos anno 1201. Consequutus est à Papa Clemente III. usum annuli, pontificatus ejus anno secundo. Impetravit & usum mitræ à Papa Alexandro III. Viterbii. Usum vero Infulæ & sibi & successoribus suis à Papa Lucio III. Primus itaque hujus loci Abbas infulatus. Donatur ab Heidenrico de Liechtenfels, ministeriali Ducis de Meran, prædio in Lutendorff sito. Beringerus vero, civis quidam Bambergensis, dedit ei parochialem Ecclesiam S. Jacobi in Stettin, quam ipse ex concessione Sigefridi Caminensis Episcopi, & Ducis Pomeranorum Boguslai, ædificarat: factum id est anno Domini 1187. imperante Friderico. Sub eodem Abbate dedit Boguslaus Dux Stettinensis, Pomeranorum & Sclavorum, gratitudinis ergò pro conversa ad Christum Pomerania ad tumbam S. Othonis singulis annis, ex omnibus tabernis terræ Pomeranorum, singulos lapides (certum id est pondus 26. librarum) ceræ, ut est in hoc scripto: *S. Jacobus Stettin.*

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Boguslaus, Dei gratia Pomeranorum & Sclavorum Dux: Notum esse cupimus sanctæ universitati fidelium tam præsentium, quam & futurorum, quoniam ex petitione & instinctu patris nostri, venerandi Pomeranorum Episcopi, Domini Conradi, simulq; ex petitione fratrum monachorum cœnobii S. Michaelis in Babenberga, decrevimus donandum annuatim de cera pondus, quod vulgo lapis certe dicitur, ex singulis terræ nostræ tabernis, de majoribus quidem integrum, de minoribus vero dimidium, in usum ejusdem Ecclesiæ S. Michaelis ad sepulchrum beatæ memoriæ Othonis Episcopi, gentis nostræ Apostoli, ob remedium animæ nostræ fratrisq; nostri Casimari, simulq; uxoris ac filiorum omniumq; successorum nostrorum, obtentu orationis ac fraternitatis fratrum ejusdem loci nunc & in perpetuum. Et, ut hæc traditio nostra stabilis & inconvulsa futuris temporibus permaneat, eam sigilli nostri pariterq; præfati Domini Conradi Episcopi sigilli impressione, ejusdemq; terribilis Banni interminatione muniri fecimus. Et quod hanc donationem contulimus præ-

dictæ Ecclesiæ & sepulchro præfati Domini Othonis Episcopi lumen continuum, hanc minuentes vel temere infringentes careant æternæ vitæ lumine nunc & per omnia secula seculorum. Actum Domini anno 1182. Hanc ipsam donationem Sigewinus, Episcopus Caminensis, confirmavit.

15. *Ulricus* subrogatur Wolframo anno 1201. Sedit annis 12. Resignavit & abiit ad alium locum. Dedit monasterio Waldsassensi aream unam in oppido Heidingsfelde. Huic dono dedit Otho, Dux Meroniæ & Comes Palatinus Burgundiæ, Windeschenhaugiam & Eringenreut villam cum attinentiis omnibus, pro se & Beatrice uxore & filiabus suis anno Domini 1223. Testes sunt Henricus de Schawenberg, Fridericus Judex de Blassenberg, Eberhardus de Kindesperg, Rudegerus de Hirsberg.

Heidingsfeld.

Eringenreut.

16. *Heroldus* creatur Abbas anno Domini 1212. Sedit annis pene 10. & resignans anno Domini 1221. discessit alio: cui successit illico

17. *Hartungus*, qui præfuit annis 17. Hunc Gregorius IX. P. M. suscepit in protectionem S. Petri anno 1235. Huic ipsi Domina quoq; Anastasia, Pomeranorum Ducissa, confirmavit donationem factam per Boguslaum filium ejus misere decumbentem & morientem in Prioratu S. Jacobi Stettinensi anno Domini 1220.

18. *Utho* Hartungo, ad patres suos translato, successit. Præfuit vix per unius saltem anni breve spacium, & cessit anno Domini 1238. Construxit mox templum parochiale in curia villæ superioris Heid, consensu Hermanni Episcopi Herbipolensis.

19. *Fridericus* instituitur Abbas anno Domini 1238. Præfuit annis pene 30. Resignat senio confectus anno Domini 1267. Sub hoc & antecessoribus aliquibus Abbatibus ad tantam pervenit egestatem monasterium, ut facultates non sufficerent ad reparationem saltem tectorum: unde Hermannus, Episcopus Herbipolensis, 30. dierum datis indulgentiis his, qui præstarent eleemosynas, mediocriter cœnobii vires iterum auxit anno Domini 1238. Hac nundinatione adjutus recuperavit plurima.

20. *Ulri-*

20. *Ulricus* succeſſit Friderico anno 1267. Sedit annis 28. Ambulavit viam univerſæ carnis anno Domini 1295. Habuit benefactorem Bertholdum, Epiſcopum Bambergenſem & Comitem Liningenſem, qui datis indulgentiis adjuvit cœnobium unà cum Epiſcopis, Friderico Salisburgenſi, Petro Patavienſi, Leone Ratisbonenſi, Theoderico Gurcenſi, Joanne Cumenſi, & Werenhero Secovienſi anno 1280. Habuit & Arnoldum Epiſcopum, Comitem de Solms beneficum, qui dedit indulgentias ad monaſterii collapſi inſtaurationem anno ſalutis 1295. quo & Abbas & Epiſcopus obierunt.

21. *Eberhardus* primus ſubrogatur Ulrico. Præfuit annis 10. Obiit anno 1305. Sepelitur poſt aram S. Catharinæ, in ſacello beatæ virginis Mariæ. Sub eo Otho, Dux Stetinenſis, Sclavorum & Caſſubiæ Dominus, reſignavit monaſterio jus patronatus ſuper Prioratu S. Jacobi in Stettin, & univerſaliter appropriavit anno 1300. Conſequutus eſt confirmationem omnium ſuorum privilegiorum à Papa Joanne 22.

22. *Volcoldus* præfuit annis ferè ſex. Obiit anno Domini 1311. Sepelitur in medio Capitolii, loco qui Abtſroren dicitur. Emit à Wolframo, Ludovico & Hermanno fratribus de Rotenhan ac Sophia matre eorum decimas in villa Viheriet, & curias quasdam & manſos quosdam. Dedit Dominæ Agneti, Abbatiſſæ monaſterii B. Mariæ virginis in Sunnenfeld Ordinis Ciſtertienſis villam Neuſes cum omnibus ſuis pertinentiis jure hereditario. Huic dedit Wulfingus Epiſcopus Eccleſiam parochialem S. Joannis Baptiſtæ in Utzingen anno 1311. confirmans ejusdem tandem Eccleſiæ incorporationem anno 1313. Vibreit. *Sunnenfeld Cœnobium.* Neuſes.

23. *Eberardus* ſecundus præfuit annis 13. Obiit anno 1324. Nona Kalend. Januarii. Sepelitur ante aram S. Nicolai confeſſoris in ſepultura fratrum. Acquiſivit multas vineas ab Henrico de Schweisdorff, parocho in Rodheim, anno 1321. domum item in Ochſenfurt, Boſphoro Francico, datam ab eodem parocho anno 1330. quo obiit parochus idem, ſepultus in Paradiſo Montis monachorum, in ipſo ingreſſu Eccleſiæ. Multa emit, præſertim hortos & vineas, ab Eberhardo Fuchs & Henrico de Libsberg.

24. *Hermannus* eligitur anno 1324. Præfuit annis quasi decem. Obiit anno 1334. quarta Id. Aprilis. Sepelitur in capitulo. Sub eo facta est anno Domini 1328. magna & preciosa crux Christi. Condidit idem aras Paradisi anno 1331.

25. *Waltherus*, nobilis vir de Stolzenrode, præfuit annis 16. Obiit anno 1350. Nona KL. Decembrium. Sepelitur ante aram decem millium Martyrum in Capitolio, quod ipse construxit. Habuit valde beneficum Barnimum, Pomeraniæ, Stettini, Sclavorum & Cassubiorum Ducem, anno 1346.

26. *Diedericus*, vir nobilis de Wisentaw, Ostrofrancus, insignitur pastorali infula anno 1350. Præfuit annis 15. Obiit in Calendis Aprilibus anni 1365. Sepelitur ante aram S. Dorotheæ. Multa emit utilia.

27. *Otho*, cognomento *Vulpes*, ex nobili Ostrofrancorum familia natus, præfuit annis 22. laudabiliter. Obiit in Idibus Novembris anni Dominici 1387. Sepelitur inter patrem & matrem, dulci nimirum & grato loco, ante aram S. Cathæ. Emit castrum Helfenrode à Domina Gertrude, Eberhardi à Gich uxore, pro 600. libris Hallensibus cum attinentiis. Sub eo vixit & obiit in Monte monachorum Waltherus, Episcopus Nicopolitanus, ante aram S. Stephani à se fundatam ac dotatam humatus. Fuit opt. œconomus & cœnobii locupletator studiosissimus.

28. *Wilhelmus de Wolfferstorff* adeptus est regimen Abbatiæ anno 1387. Præfuit annis ferè octodecim. Obiit anno 1405. sexto Iduum Aprilis. Sepelitur in medio Capitolii.

29. *Lambertus Zolner*, Titionum gentis, patria Bamberg, præfuit annis 26. Obiit anno 1431. in loco capitulari sepultus. Sub hoc Abbate dono dedit cœnobio aliquid pecuniarum Eringus, archiepiscopus Ecclesiæ Anaversensis, Antonii de Rotenhan Episcopi Bambergensis suffraganeus, monachus antea Ebracensis, sepultus in sacello S. Bartholomæi.

30. *Hermannus de Romrode* confirmatur ab Eugenio IV. Præfuit annis quatuor. Huic restituit Fridericus Episcopus insulam, vulgo Den Abtswerd dictam, & aquam Redwiz à ponte inferiori usque ad bellum fontem.

31. *Joan-*

31. *Joannes Fuchsius* eligitur 9. Maij, anno Domini 1435. Homo prodigus omnia absumsit, omnia impignoravit. Habuit infestum & adversantem Antonium de Rotenhan Episcopum, à quo aliquamdiu in carcere detentus esse legitur: tandem vero manumissus ad Prioratum Stetinensem relegatus est; demum Ratisbonæ apud Scotos ad S. Jacobum exulavit. Postremo Viennæ moritur anno Domini 1450.

Seditio Bambergensium civium.

Anno Domini 1435. in vigilia S. Joannis Baptistæ cives Bambergenses seditiosi in Episcopum Antonium & totum clerum, manu valida & armata portas hujus monasterii effregere & totum monachorum Montem hostiliter occupantes ducentos milites in cœnobium collocarunt. Die vero Sabbato post Joannis Baptistæ festum, direpto ac spoliato cœnobio, mox omnes etiam ejusdem munitiones fregerunt ac funditus deleverunt. Bibliothecam ac omnia cætera preciosiora avehi curarunt interq; sese distribuerunt. Capitanei ac duces furentium civium erant viri consulares, Nicolaus Haller, Conradus Ortlenius & Fridericus Schieckius. Die Dominica post festum Joannis Baptistæ misit Dominus Abbas nuncios ad consules civitatis, rogans, ut ascenderent aliqui de potioribus civitatis & viderent, quid ageretur in cœnobio à seditiosis ipsorum subditis. Venerunt itaque Eberhardus Klieber & Henricus Dockler, qui, cum apud seditiosum vulgus nec monendo nec hortando quidquam efficere possent, in urbem redierunt. Abbas secessit ex monasterio, quod ipsi cives jam omnibus rebus exuerant ac spoliarant, & in eo omnia penè vastarant, turribus etiam ac domibus confractis soloque æquatis. Fecit tunc temporis Abbatia Montis in mobilibus tantum rebus jacturam decem millium aureorum.

32. *Conradus Wanbacher* constituitur administrator cœnobii anno Domini 1450. qui eo ipso anno mox decessit ex hac mortali vita, in vigilia S. Catharinæ. Condidit chorum sacelli B. virginis Mariæ.

33. *Hartungus Pfersfelder*, ex Michelsfeldo assumtus, suscepit Abbatiæ curam anno Domini 1450. Is plurima impignorasse legitur.

34. *Joan-*

34. *Joannes*, Episcopus Acconensis & suffraganeus Ecclesiæ Babenbergensis, ordinis fratrum Augustinienſium, professus in conventu Noribergensi, postulatur ad gubernaculum Abbatiæ à fratribus inter sese de electione contendentibus singulariq; amaritudinis zelo ductis, statim post discessum Domini Hartungi, anno videlicet Domini 1453. Confirmatur à Nicolao V. Pont. Max. in perpetuum ejus administratorem. Præfuit annis fere 12. sed parum utiliter. Exauthoratur authoritate Pii II. Data est tamen ei pensio annua ducentorum florenorum per annos adhuc 11. quibus superstes mansit. Obiit anno 1475. in die S. Marci Euangelistæ. Sepelitur in sacello B. Virginis. Fecerat confirmari privilegia omnia ab imperatore Friderico III. Commutavit castrum Ebelspach pro Auracensi arce cum Episcopo Georgio à Schaumberg. Sub eo reformatum est cœnobium à Georgio eodem hoc Episcopo, ut mandaverat ei Pius II. Pontif. Max. in Bulla, quæ scripta est anno Domini 1461. Romæ, ubi facit ei potestatem reformandorum omnium suæ terræ & diœceseos monasteriorum, quæ reformavit ille per D. Guntherum, laudabilem Abbatem monasterii S. Petri in Erfordia.

Fugitivi & furaces Monachi.

Anno 1464. auffugerunt ex monasterio 4. monachi, auferentes unà secum Infulam & baculum pastoralem, aliaque preciosiora clinodia magni valoris: contra quos magnum misit processum Episcopus Georgius, authoritate Imperatoris Friderici fretus. Post executionem hujus processus, repertus fuit Henricus Fuchs in castro Walpurg tutor & defensor fugitivorum monachorum, quos sacrilegos ille non solum hospitio exceperat, sed clinodia etiam distrahere & vendere præsumserat: unde ab Episcopo Georgio authoritate Apostolica excommunicatus est. Sed ab Abbate ad Scotos Herbipolenses Thadæo absolutus, Romam citatur, ubi, cum non compareret, denuo est excommunicatus, aggravatus, & reaggravatus: sed omnia frustra. Fuchsius enim nec Episcopum nec Pontificem metuebat. Monachi vero fugitivi nusquam sunt inventi.

35. *Eberhardus de Vennlo*, ex monasterio S. Jacobi Moguntinensi translatus per Dominum Pium Papam, cooperante Episcopo

scopo Georgio Schaumburgio, Abbas Montis monachorum ordinatur anno Domini 1463. qui tanquam lux cœlitus demissa omnem caliginem tenebrosæ deformationis hujus loci in spiritualibus & temporalibus, Dei auxilio fretus, mirifice detersit, & omni morum honestate regularisq; observantiæ decore de novo illustravit: idq; revera non sine maximo labore ac periculo. Præfuit annis ferè 13. laudabiliter, feliciter & utiliter. Primus, qui assumsit ignobiles genere: modo nobiles essent virtute & literis, cætera non perinde curans. Sub eo cœpit reformatio, introducta à Georgio, Episcopo Babenbergensis Ecclesiæ laudatissimo. Solvit debita trium millium aureorum ab antecessoribus conflata. Construxit de novo domum hospitum mille & quingentis aureis, duas cellas seu promtuaria testudinata, utrumque dormitorium, tectum chori cum tabulis plumbeis in forma Crucis, idque trecentis aureis, duo refectoria, hibernum & æstivum, & alia plurima extra & intra cœnobium. Deposuit sarcinam corruptibilis vitæ anno 1475. Sepelitur in medio chori ante aram S. Benedicti.

36. *Udalricus*, cognomento *Haug*, successit Eberhardo Abbati in die S. Ulrici. Præfuit 9. annis, reformationis ab antecessore innovatæ studiosus ac strenuus defensor & executor. Obiit in die Purificationis Marianæ anno 1483. Sepelitur honorifice ad aram S. Ulrici. Construxit novam Abbatiam & alia præclara ædificia plurima: varias item aras. Auxit & Bibliothecam studiosa coemtione plurimorum voluminum, in hunc etiam diem præsentium.

37. *Andreas*, ex vicino oppido Staffelstein oriundus, liberaliter doctus, subrogatur Ulrico anno Domini 1483. ipsa die S. Dorotheæ, vir morum probitate, bonorum operum meritis clarus. Reparavit tectum Ecclesiæ, quod totum ex plumbo factum est, ad quod usurpati sunt mille & quingenti centenarii lapides plumbi. Condidit anno 1492. novum dormitorium & locum Capitularem ex imis fundamentis: corruerat enim pars veteris dormitorii decima nona Aprilis. Ambitum item testudine concameravit, multaq; alia ornamenta ecclesiastica adornari fecit.

Fodit

Rattelsdorff. Fodit multas piscinas, unam vero permagnam prope Ratelsdorffum. Auxit Bibliothecam. Organon vero novum construi fecit anno 1490. quod constitit 424. florenis. Conscripsit magnum opus Canonisatorum ex ordine D. Benedicti, Pontificum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum & Abbatissarum cum singulorum actis ac legendis: historiam item & vitam S. Othonis Episcopi quatuor libris ad illustrissimum Principem Pomeranorum, Boguslaum: tractatum item de conceptu Virginali, & alia plurima. Præfuit annis 20. summa cum laude, Abbatum omnium hujus loci merito præcipuus appellandus. Obiit anno Domini 1502. Kal. Novembris 10. Sepelitur ante chorum ad aram S. Wolffgangi à se conditam.

38. *Wolffgangus Precbtlin* eligitur anno 1502. Præfuit 3. tantum annis. Obiit in Martio anni Christianorum 1505. Fuit Abbas eximie doctus, artium Philosophiæ Magister Lipsiensis, vir eloquens, gravis, morum elegantia & omnium virtutum ornamentis, religionis vero summo studio coruscans. Sepelitur extra chorum ante imaginem Misericordiæ Domini.

39. *Joannes Helmius* de Heelb successit anno Domini 1505. Condidit sacellum ambitus & alteram partem ambitus absolvit, pistrinum item ex lapide cocto. Præfuit annis 17. Sub eo periit magna pars civitatis incendio anno 1506. de qua insigni calamitate extant hi sequentes versiculi.

Annus erat Christi sextus post mille remensus,
Et post quingentos, & nox infausta trahebat
Augusti septimam: Bambergæ surgere flammam
Incustoditam vigiles simul ore sonoro
Profundam in noctem clamant: sed dum pavor omnes
Occupat & redeunt animi, vorat altior ignis
Quinquaginta domos, quicquid circumjacet, ambos
Pontes, tam breviter res & fortuna virorum
Interit, & nuda pro paupertate moventur.
Causa mali famulus molæ, quæ pontibus ipsis
Adjacet. Is vino totus resolutus & errans,
Ædibus improvidus, tantos excusitat ignes.

Obiit

Obiit anno 1522. in die S. Chunigundis, iturus ad missam celebrandam, in ipsa cella Domini Prioris.

40. *Joannes Suttnerus*, alias *Graff* dictus, Babenbergensis patria, successit. Præfuit vero annis novem. Obiit anno Domini 1531. die 24. Maij, Theologicarum rerum & doctrinarum studiosissimus inquisitor. Ejicitur à seditiosis rusticis anno 1525. sed post duos menses restituitur à magistratibus ac Principibus Germanicis Suevici fœderis. Spoliatas & confractas cœnobii res mediocriter instauravit. Inventus est mortuus in Abbatis cubiculo anno ætatis suæ 43. sublatus nimirum apoplexia. Sepelitur prope Abbatem Wolffgangum. Multa construxit præclara.

41. *Martinus Seilichius*, cognomento *Francus*, eligitur à Conventu anno Domini 1531. Erat fabri cujusdam Bambergensis filius. Sedit annis octo satis utiliter. Obiit ætatis suæ anno 40. Sepelitur ante chorum prope aram S. Ulrici. Refecit de novo pontem Rattelsdorffensem 300. aureis supra Itheſin fluvium: construens alia etiam multa.

42. *Georgius Adamus*, tegularii cujusdam in Hallstatt vicino oppidulo ad Mœnum amnem sito filius, monachus doctus in sacris & prophanis literis, morum item honestate & integritate conspicuus, mathematum studiosus investigator, & solariorum omnisq; generis horologiorum compositor ingeniosissimus: bonus scriba, & qui eleganter literas pingere potuit. Pacis & concordiæ egregius interpres, & merito *Pacificator* appellandus, ita discordiarum sopitor diligens & solers. Invenit cœnobium undecim millium aureorum debitis obæratum, cujus conflati æris alieni maximam partem prudenti sua gubernatione exsolvit, totumq; monasterium tam ædificiis, quàm omnis generis ornamentis præclare illustravit. Præfuit 10. annis. Obiit 24. Aprilis anno Domini 1549. Sepelitur in ambitu ante aram S. Othonis Episcopi à se constructam.

43. *Wolffgangus Zenckius*, patria Babenbergensis, successit Georgio, electus anno ætatis suæ 32. Dominus humanitate & bonis moribus nemini anteceſſorum postponendus. Præsidet

hoc currente adhuc Jubilæo, vir procerus, affabilis, hospitalis & munificus, diligensq; rerum sibi commendatarum curator.

❁ ❁ ❁

MULBRUNNUM, Maulbrunn/monasterium Cistercienſis ordinis magnificum ac præpotens, in Ducatu Wirtenbergenſi, pene medio itinere inter Phorzenheimium Marchionum Badenſium & Brettam Palatinorũ civitates in maxime fertili ſolo ſitum, & à proximo fonte ſic nominatũ, fundatum eſt 18. Kalend. Aprilis, anno Chriſti 1138. à Reverendiſſimo in Chriſto patre ac Domino, Domino Gunthero, Comite Liningenſi & Epiſcopo Spirenſi. Contulit vero ad ejusdem cœnobii exædificationem & fundationem nonnihil etiam nobilis vir, Dominus Waltherus de Lammersheim, prædium videlicet Eckhenwier, in quo cœptum eſt initio cœnobium fundari, ſed ob loci anguſtiam aquarumq; defectum alibi poſtea inchoatum & conſtructum. Iſte nobilis Baro Waltherus relicto ſeculo & habitu monaſtico aſſumto manſit in monaſterio, ſub obedientia vivens ad dies vitæ ſuæ: ſepultus in medio Eccleſiæ, choro videlicet Converſorum. Guntherus autem, Spirenſis Epiſcopus, verum fidumq; ſe fundatorem & patronum exhibuit. Conſentiente enim capitulo majoris Eccleſiæ Spirenſis villas & curtes monaſterio donavit, auxilium & conſilium præſtans, ut novella plantatio ad Dei ſervitium dietim poſſet adoleſcere. Et ille idem Reverendiſſimus Præſul, ſicut in vita dilexit & fovit monaſterium, ita poſt mortem etiam voluit in eo ſepeliri. Sepultus eſt vero in choro Baſilicæ Mulbrunnenſis, cujus epitaphion lapidi inciſum tale eſt:

Waltherum à Lammersheim. Eckenwier.

Guntherus, Epiſcopus.

Præſul Guntherus, pater eſt fundaminis hujus.

Anniverſarius ejus dies ſingulis annis ab Abbate & Conventu ſolenniter celebratur 17. Kal. Septembr. Ad latus ejus, etiam in choro ſepultus eſt Reverendiſſimus D. Ulricus, Epiſcopus Spirenſis, cum tali epitaphio:

Ulricus poſitus Spirenſis Epiſcopus hic eſt.

Integrum ejus loci Abbatum catalogum hactenus habere non potui, præcipuos tamen aliquos, quorum nomina ad meam notitiam pervenerunt, omittendos nequaquam duxi, quos proximis

rimis Augustanis Comitiis mihi ejusdem loci Abbas, qui nunc rerum potitur, cum multa suæ erga hoc opus meum benevolentiæ significatione, benigniter communicavit.

Series Abbatum.

1. *Dietherus*, primus Abbas Mulbrunnensis, assumtus est cum primo Conventu de Novi Castri prope Haganoam sito monasterio. Sub ejus gubernatione dedicavit Basilicam Mulbrunnensem Arnoldus, Archiepiscopus Treverensis, tunc temporis Legatus Pontificius. Hujus dedicationis festum celebratur pridie Nonarum Maij. Post hunc Abbatem magnus hiatus est; multi enim desiderantur.

2. *Albertus de Otesheim*, villa monasterii & monasterio proxima natus, Magister gymnasii Pragensis, vir boni testimonii & de cœnobio hoc optime meritus, qui Ecclesiam ampliavit & decoravit, ut testatur elogion, in ejus honorem ac memoriam sempiternam parieti templi inscriptum.

3. *Henricus de Reningen*, à villa Ducatus Wirtenbergensis sic cognominatus, vere pater & Abbas, multa construxit, sacellum videlicet portæ, domum Abbatialem, domum pro œconomo, quem vulgato nomine Bursarium vocant, ad utilitatem & decorem domus Dei multa emens.

4. *Joannes de Geilenhausen*, ex Chartusiano Prior factus in Stams, Cisterciensis ordinis monasterio, tandem Abbatis dignitatem consequutus in Mulbrunn, Concilii Basilienſis Ambasiator ad Bohemos delegatus est. Is construxit valetudinarium Mulbrunnense seu infirmariam. Resignavit tandem, volens liber ex hoc seculo migrare ad Superos.

Stams Cœnobium.

5. *Bertholdus de Roßwagen*, à villa monasterii & monasterio proxima (ex qua ortum duxerat) nominatus, legitur sub sua gubernatione centum habuisse monachos professos. Sub hoc ipso Abbate monasterium de Paris, in pede montis Vogesi situm, ex negligentia & oscitantia Abbatum ac nobilium quorundam monachorum collapsum ac ferè ad solum & ad extremam inopiam deductum, monasterio Mulbrunnensi per Pont. Max. Pium II. incorporatur & suppressa Abbatiali dignitate in Prioratum constituitur. Quandoquidem anno Domini 1453. omnibus bonis

Roßwagen.

Paris monasterium.

vel impignoratis vel alioqui misere distractis & in manibus creditorum detentis, in universum perierat: mandavit igitur Pontifex, ut per hunc Abbatem ad ordinis observantiam revocaretur: qui missis illuc fratribus de Mulbrunn ordinem restituit, impignorata redemit, debita (quorum magnus erat numerus) solvit: ita ut hodie etiam, licet toties combustum, tamen adhuc personas habeat regulares. Hic Bertholdus Abbas, correptus infirmitate, qua etiam defunctus est, sumturus salutare viaticum, quod per manus Cantoris comitante Conventu deferebatur, surrexit de grabato, albaq; cuculla indutus, qua in summis festivitatibus, ordinis more, vestiri consueverat, devotus & illachrymans, manibus fratrum suffultus, processit Salvatori obviam, quo adorato & devote sumto, dimissus est in pace. Sepultus in ambitu è regione altaris Sancti Pauli.

Brumbach Cœnobium prope Wertheimium.

6. *Ulricus de Esingen*, pago prope Nurtingense oppidum sito oriundus, cum aliquamdiu præfuisset Mulbrunnensi Abbatiæ, ac resignasset, paulo post, rebus ita exgentibus, ad petitionem Reverendissimi Archiepiscopi Moguntini, in Franciam Orientalem missus est, ut periturum illic sui ordinis suaeq; visitationis monasterium Brumbacense restauraret. Assumtis igitur tribus fratribus de Conventu Mulbrunnensi, & acceptis duobus millibus florenis ab Abbate Mulbrunnensi Brunbacum adiit, ubi per decennium monasterio præfuit & profuit. Tandem aucta re & pub. & familiari, solutis debitis, & aucto personarum etiam regularium numerò, optime meritus de monasterio Brumbacensi ad Mulbrunn rediit, ubi senex requievit in Domino.

7. *Joannes de Rotwila* Ulrico resignanti subrogatus est, vir bonæ famæ & integritatis. Is monasterium muro cinxit & contra hostiles incursationes munivit primus.

8. *Joannes*, cognomento *Burrhus*, ex Brettenheim Palatinatus oppido oriundus, præcipuus amator veræ pietatis, quod à fratribus exhiberi voluit, in se prius vivo expressit exemplo. Habuit centum etiam sub se monachos, quibus cum æquo rigidior videretur, de abdicatione Abbatialis muneris tractatum est. Præsentibus vero jam convocatis, ut fieri solet, Abbatibus, cum, ut acce-

acceptam prius dignitatem redderet, utrimq; ageretur octava Kalendarum Februarii anno Domini 1503. & ipse postero die esset Abbatiam resignaturus, orta est noctu horam circiter octavam in ipsa media hieme (cum ubiq; & glacie & densissimis nivibus terra esset obruta) horribilis tempestas, ita ut & tonitura audirentur, fulguraq; & coruscationes apparerent in tantum, ut non secus ac in media æstate, ad sedandam tempestatem omnibus campanis pulsaretur, admirantibus omnibus insperatam tempestatem & Deum enixe orantibus, ut vertere hæc insolita dignaretur in bonum omen. Postero die abdicavit se Abbas magistratu, cui tamen postea anno Domini 1516. restitutus, annis adhuc quinq; præsedit fideliter, quibus Bibliothecæ insigne ac artificiosum opus laudabiliter construxit.

Tempestas nocturna hiemalis.

9 *Ioannes* de *Lintzingen*, à villa monasterii & monasterio proxima (quæ natale ei solum fuit) sic dictus, successit anno Domini 1512. septima Kalendarum Maij. Fuit Theologiæ Baccalaureus in Heidelbergensi Gymnasio designatus, vir tanto honore ac officio non indignus; in hoc cæteris Abbatibus superior, quod ob monasterii immunitatem conservandam, res Deo dicatas nolens tradere prophano Principi, persequutionem passus, nec in Imperiali civitate tutus, ad Heluetios abire sit coactus, ubi civis factus aliquamdiu apud fratres Eremitas cœnobii Einsidlensis commoratus est. Obiit tandem 13. Kalendarum Augusti anno 1547. sepultus in majore Basilica prope sacellum Virginis matris ad latus dextrum. Huic in maxima rerum turbatione omnium consensu ac suffragiis subrogatus est in ipsis Idibus Septembribus anni 1547.

10. D. *Henricus Reitter*, ex Nordlingiaco, civitate Imperiali, natus, vir literis & virtute præstans, viginti annis ante Prioratus officio functus in monasterio Parisiano ad Vogesium sito: in hoc cæteris sui cœnobii Abbatibus infelicior, quod tot annis à Duce Wirtenbergensi, monasterio occupato & suppressa usitatæ prius religionis observantia, ob schisma in fide ortum paulo; post inter Principes Civitatesq; Imperii ac Divum Carolum Imperatorem bellum cruentissimum, fratres ejus aliquot relicto

habitu monastico redierint ad seculum, cæteri vero in monasterio permanentes prohibiti sint secundum regulæ suæ præscriptũ vivere. Rediens Mulbrunnum Abbas muros quidem invenit integros, mores vero corruptissimos, ad quos etiam redintegrandos & ea, quibus hactenus caruit, recuperanda totis accingitur viribus: nec enim parui roboris, sed divini muneris esse agnoscit collapsa erigere, devia reducere, & clavam quasi de Herculis manu eripere. Præsidet magnanimiter hoc adhuc currente Jubilæo, quo regni Comitiis, à Divo Carolo V. Imperatore Augusto, in Augustana urbe celebratis, interfuit. Sed hoc loco nec istud silentio prætereundum censui, quod ex hoc Mulhrunnensi monasterio olim primi & Abbates & Conventus assumti & exciti sunt ad extruenda & plantanda potentissima duo cœnobia in Ostrofrancis, Speciosam scilicet Vallem prope Meckhmul, & Brunbacum prope Wertheimium sita. Et quandoquidem semper in Maulbrunnensi hoc cœnobio præcipue viguit regularis observantia ordinisq; institutio, ac personarum regularium multitudo, sæpe ex eo ad diversa hujus ordinis monasteria postulati & missi sunt Abbates, Marquardus videlicet ad monasterium Schonaw, prope Heidelbergam situm, ad petitionem Comitum Palatinorum Rheni: Dominus Conradus vero de Binigkhen œconomus ad Otterburgensem Cistercienſis instituti Abbatiam gubernandam, quæ prope Keiserslauttern civitatem Palatinatus sita est. Sic D. Gotfridus etiam œconomus vel Bursarius, ad Imperatoris Friderici III. petitionem, Abbas monasterii novæ Civitatis in Austria, volentibus etiam Conventu & visitatore eius loci postulatus, assumtus & designatus est. Actantum quidem de Mulbrunnensi Abbatia: plura enim hactenus de ea quæ & potentissima est & ampliſſima expiscari non potui. Cætera si mihi etiam communicabuntur, alteri aliquando operis nostri monastici centuriæ (prodibunt enim, ut spero, plures) pari fide ac industria paratus inferam.

Speciosæ vallis Cœnobium.

Otterburgum Cœnobium.

Keiserslauttern.

Monasterium Novæ Civitatis in Austria.

❁ ❁ ❁

MURBACHIUM vel Mortwegium, à latrociniis infesto quondam loco, antiquitus vero *peregrinorum Vivarium* dictum,

ctum, cœnobium Benedictinæ professionis in superiori Alsatia ad Montana Vosagi situm, ex potentissimisq; Germaniæ monasterijs unum, quemadmodum etiam ex illis quatuor unum, quorum Abbates singulari prærogativa & dignitate, cæteris Abbatibus eminentiores, sacri Romani Imperij Principes habentur, omnibusq; Imperii causis interesse solent, fundatum legitur anno Christi circiter 724. ad S. Episcopi Pirminii preces ac petitionem, à Sueviæ ac Alemanniæ Duce quodam, Eberhardo, habitante in Alsatiæ arce Egisheim, factoq; tandem in hoc suo cœnobio converso, sub Theodorico Francorum Rege. Sic habent enim literæ fundationis, quarum partem aliquam hîc adscribere placuit. *Imperii Abbates.* *Eberhardus.*

Theodericus, Rex Francorum, viris Apostolicis, patribus, Episcopis, nec non & illustribus viris, Ducibus, Patriciis, Comitibus, vel omnibus agentibus tam præsentibus, quàm futuris &c. Igitur dum venerabilis vir, Pirminius, gratia Dei Episcopus, nostris temporibus cum monachis suis, Deo inspirante, pro evangelio Christi peregrinatione suscepta, monasterium virorum in eremo vasta, quæ Vosagus appellatur, in pago Alsacensi, in loco, qui vocatur Vivarium Peregrinorum, qui ante appellatus est Mourbach, allodio fidelis nostri Ebrohardi Comitis, cum ipsius adjutorio, Deo cooperante, conatus est construere monasterium vel cœnobium sanctum ibidem instituere in honorem Dei & genitricis Domini nostri Jesu Christi, &c. Gundolfi villa in Dei nomine feliciter, Amen.

In Chronico quodam Ebersheimensis monasterii sic scriptum legitur: fuisse circa annum Christi 621. in aula Dagoberti Regis Gallorum Erckhonaldum quendam, summum Curiæ Magistrum, qui filium reliquerit Leodisium, & ipsum post patris obitum regiæ curiæ Magistrum: hunc Leodisium etiam reliquisse filium nomine Atticum, quem aliqui tamen Ethiconem nominare solebant. Hunc vero sive Atticum, sive Ethiconem uxorem duxisse reginæ sororem, quæ S. quoq; Leodegarii è sorore neptis fuerit: unde Regem motum tradidisse Ethiconi Ducatum Alemanniæ, qui continebat tum Provincias Alsatiam, Sueviam & supe- *Ethico.* *Alemanniæ Du-*

catus quid olim continuerit. Ehenheim.

superiorem Germaniam. Habuisse vero Ethiconem sedem suam juxta Regiam villam Ehenheim in arce Altitona, quæ nunc S. Otiliæ mons dici solet. Illic eum ante obitum suum distribuisse bona sua omnia in quatuor partes hoc modo, ut una in fundationem monialium congregationis ad S. Stephanum in urbe Argentinensi institutæ conferretur: secunda ad constructionem cœnobii Ebersheimensis prope Selestadium siti: tertia caderet S. Otiliæ monasterio in Altitona erecto: quarta vero relinqueretur Eberhardo & Masoni consanguineis suis. Scribit idem ille Chronographus, Eberhardum hunc cœlibem mansisse in arce Egisheim, qui cum occulto Dei judicio tandem cœcus esset factus, fundavit tum demum de bonis ac facultatibus suis in honorem sancti Mauricii monasterium, quod Sanctus Pirminius postea à se consecratum in honorem Sancti Leodegarii appellarit Vivarium, hoc est domicilium, receptaculum aut refectorium, seu refocillatorium peregrinorum monachorũ, quod tandem successu temporum Mortwegum vel Murbachium propter viciniam latrociniis in festam appellatum sit. Masonem vero Eberhardi fratrem ex ducta uxore filium excepisse, quem cum illico in Olruna præterfluente fluviolo submersum amisisset, tanto dolore motum illum construxisse eodem loco (ubi filiolus perierat) in S. Leodegarii honorẽ monialium cœnobium, quod de suo nomine Masonis monasterium appellarit. Idq; factum esse sub Theoderico & Childerico, Galliarum Regibus, qui rerum potiti sunt ab anno Christi 720. ad annum usq; 750. Fuit olim tam opulentum hoc cœnobium, ut Abbas ejus loci anno Christi 1260. quingentos equos aleret. Erat hujus monasterii propria olim Lucerna, Helvetiorum civitas, sed emit eam iterum ab Abbate quodam Albertus Victoriosus, Rodolphi Comitis de Habspurg filius, Austriæ Dux, qui postea Imperator factus à Joanne Duce Austriæ, patruo suo, interfectus est.

Ebersheim Münster / Cœnobium.

Masonis monasterium.

Lucerna Albertus victoriosus.

Catalogum ejus loci Abbatum, etsi scriptis literis aliquoties à me enixe postulatum, tamen hactenus consequi non potui. Præfuit vero Abbatiæ huic olim S. Simbertus, Lotharingiæ Dux, Caroli Magni Imperatoris è sorore Symphoriana nepos, qui inde anno

anno Dñi 779. ad Episcopatus Augustani gubernationem ab ipso Carolo Magno evocatus legitur. De quo vide Tomum primum nostrũ de Episcopatibus. Præsidet hoc nostro seculo & huic Murbacensi & alteri in Burgundionibus sitæ Luderensi Abbatiæ clarissimus vir, Dominus Joannes Rudolphus, nobili familia natus de Stohr, liberalitatis & doctrinæ dotibus reverendissimus. *Luderense Cœnob.*

Quem precor ex animo, nobis ut cætera mittat,
Quæ desunt operi hac parte profecto meo.
Sic sibi nomen & æternos acquiret honores
Omnibus, hæc habuit quos aliquando domus
Ut pietate patres & religione celebres,
Sic virtute etiam moribus atq; graves.
Sic conservet eum, sic fortunetq; beetq;
Illustrem Dominum, qui regit astra, Deus.

NERESHEIMIUM, elegans ac magnificum Benedictinæ professionis monachorum cœnobium, in Sueviæ quodam tractu, quem ob soli admodum arenosi sterilitatem *Duri campi* appellatione accolæ notant, Comitum Oetingensium ditione, prope ejusdem nominis oppidum, in peramœno colle tribus à Nordlingiaco milliaribus cis nemus Plossianum videlicet situm, fundatum ac amplissime dotatum legitur anno Domini 1095. ab Hartmanno, Comite Dillingensi, primo nimirum Hugobaldi IV. Comitis filio, & ab illustri Domina Adelheide, Hartmanni Comitis uxore, Comitissa de Kiburg. Consecratum est ab Ulrico, Hartmanni Comitis filio, Episcopo Constantiensi. Est in eo cœnobio celebris sepultura eorundem Comitum Dillingensium, quorum originem ex Imp. Henrici Aucupis genere esse, in vetustis annalibus legitur. Fuerunt illi olim Imperatoris nomine Advocati in urbe Franckhenfurt, quorum hodie adhuc talis reperitur genealogia.

Hugobaldus primus, qui Comitatibus Kiburgensi, Dillingensi & Wittislingensi, à Divo Othone Magno, Imperatore potentissimo, donatus est, eo quòd fortiter ac strenue contra Hun- *Comitatus Kiburgensis.*

nos ad Augustam Vindelicam dimicasset, frater Adalberonis Episcopi Augustani, uxorem duxisse legitur Dominam Theobergam vel Dietbergam, Proneptem Lotharii Imperatoris, de semine Caroli Magni natam, Suevorum & Alemannorum Ducis Burcardi filiam, celebratis nuptiis in Sueviæ oppido Veringen. Is Comes Hugobaldus in Nerisheimensi cubat media Ecclesia. Obiit anno 908. Uxor ejus Theoberga quiescit in pago Witislingen.

Huic nati sunt liberi

S. Udalricus, Episcopus Augustanus cui pater moriens dedit Dillingensem, ad Danubium sitam civitatem, quæ hodie adhuc est Episcopi Augustani.

Theobaldus, Comes in Kiburg & Dillingen, qui ano Domini 980. condidit arcem in villa Donawerd, & cæsus legitur ab Hunnis prope Augustam Vindelicam. Is genuit Richardum Comitem, alibi Richowinum dictum, qui pontem Donawerdensem primus F. F. & uxore ducta pater factus legitur

Mangoldus, Werdææ Sueviæ ad Confluentiam Danubii & Wernici conditor, cum filio Hugobaldo II.

Eleusinia, prima Abbatissa S. Stephani.

Luitgardis, Domino Burcardo juniori Sueviæ Duci desponsata, ex qua nati

Reinoldus vel *Reginboldus*, primus Abbas S. Ulrici cœnobii Augustani, ex quo tandem ad Spirensis Episcopatus gubernaculum evocatus legitur.

Mangoldus, Comes.

Khunigundis, monialis in Buchow, Canonissarum collegio.

Mangoldi Comitis, fundatoris cœnobii in Werdæa Suevica, qui ex conjuge sua Domina Tuta excepit

Hartmanni Comitis Dillingensis & Kiburgii. Cujus filius erat *Hugobaldus III.* à quo patre prodiit filius

Irmentrudis, primæ Magistræ monialium congregationis in Danubiana Werdæa.

Lietzheimense cœnobium.

Gunderadam, primam Abbatissam monialium in Werdæa Suevica.

Mangoldum, Comitem Werdææ Suevicæ, qui ex Mechtilde Comitissa de Schwabegk sustulit

Adelbertus fundator monialium cœnobii Lietzheimensis, prope Hochstadium Danubianum siti, advocatus monasterii in Nerisheim anno 1151 cui ex conjuge D. Guta, Comitissa Werdenbergensi, iterum nati leguntur

Bene-

Benedictam, Comitissam Wittelsbacensem. — *Mangoldum*, Comitem Werdæ Suevicæ, qui Mangoldum ultimum ejus loci Comitem genuit.

Hugobaldus IV. Ex hoc ipso Hugobaldo natus est — *Ulricus*, Episcopus Constantiensis. — *Ornestus*, primus Abbas Nerisheimensis.

Hartmannus, fundator Neresheimensis, qui legitur ex hac mortali vita decessisse anno 1121. Sepelitur cum uxore Adelheide in sinistro Ecclesiæ latere infra chorum.

Apostrophe ad oppidum Dillingense.

Hos, Dillinga, tibi proceres dedit alma vetustas,
Utq; fide insignes, sic pietate patres.
Excoluere tuum magnis qui sumtibus Istrum,
Dum condunt urbes, oppida, templa, domos.
Hæc ipsa horum erit in toto laus orbe superstes,
Mœnia quam tua sunt ipsa futura diu.

Abbatum Catal.

Sequitur catalogus Neresheimensium Abbatum.

1. *Ornestus*, Comes Dillingensis, Alberti Comitis filius, constituitur à fratris sui filio Hartmanno primus novæ monachorum congregationis Abbas, anno Domini 1095. Præfuit per unum saltem annum, & emigravit ex hoc seculo anno gratiæ 1096.

2. *Hugo* successit Ornesto. Præfuit quinq; annis. Obiit anno salutis 1101.

3. *Theodoricus* præfuit annis 17. Obiit anno Domini 1118.

4. *Henricus* 7. annis præfuit & decessit ex hac vita anno Christi 1125. Sub hujus gubernatione obiit fundator Hartmannus.

5. *Pilegrinus* præfuit annis 15. Absolvit naturæ debitum anno gratiæ 1140.

6. *Ortliebus* præfuit 24. annis & obiit anno gratiæ 1164.

7. *Henricus* præfuit annis 35. Decessit anno redemti humani generis 1199.

8. *Degenhardus* rexit annis 27. Obiit anno Christianorum 1226.

9. *Godeboldus*, vir nobilis *de Ehingen*, eligitur vivente adhuc

huc Abbate Degenhardo in coadjutorem anno 1219. eodemque anno, quo Degenhardus obiit, sponte sua reddidit Abbatiam his, à quibus illam antea acceperat.

10. *Ruggerus* præfuit annis 32. Obiit anno gratiæ 1258.

11. *Udalricus de Elchingen* sedit ad Abbatiæ clavum annis 19. Obiit anno 1277. multimodis oppressionibus fatigatus & administratione contra justitiam & absq; caussa rationabili exutus: timens occisione sui dispendium Ecclesiæ Nerisheimensi imminere, cum non haberet sublevantem, resignare compulsus est.

12. *Waltherus* præfuit per unum saltem infelicem annũ, quo monasterium incendio vastatum est. Obiit anno Domini 1278.

13. *Theodoricus* præfuit decem annis, & resignat, & obiit tandem anno eodem 1288.

14. *Fridericus de Zipplingen*, cellæ præfectus antea in Elefancensi cœnobio, successit Theodorico. Præfuit annis 20. Obiit anno 1308.

15. *Henricus* præsedit 21. annis. Decessit anno salutis 1329.

16. *Colomannus* rexit annis novem. Obiit anno 1338. undecima Septembrium.

17. *Udalricus de Höchstetten* præfuit undecim annis. Obiit anno gratiæ 1349.

18. *Waltherus*, ex oppido Bopfingen natus, præfuit 20. annis. Obiit anno 1369.

19. *Conradus, Dillingensis*, præfuit tribus annis & resignavit Abbatiam anno 1372.

20. *Wolfhardus*, natus de Steinheim, præfuit annis octo, & decessit ex hac vita mortali ad aliam meliorem anno salutiferi partus 1380.

21. *Wilhelmus de Almansmues* præfuit annis 14. & obiit anno Domini 1394. sexta Junii.

22. *Nicolaus*, nobilis vir *de Elchingen*, præfuit annis undecim. Obiit anno 1405.

23. *Udalricus* de Roden successit Nicolao. Præfuit 18. annis & Abbatiæ magistratum deposuit anno Christi 1423.

24. *Henricus à Diemenstein* sedit annis 23. Obiit anno 1446.

25. *Rudol-*

25. *Rudolphus Venator* præfuit annis 19. Obiit anno Domini 1465.

26. *Georgius de Nenningen* præsedit annis undecim. Obiit anno gratiæ 1476.

27. *Eberhardus* de Emmershofen præfuit annis 18. Obiit anno salutis 1494.

28. *Joannes*, natus de Waiblingen, præfuit annis 13. Resignavit anno Dominicæ Incarnationis 1507. quo inter vivos etiam esse desiit in oppido Bopfingen & ædibus cœnobii in Imperiali oppido sitis.

29. *Simon de Bernstadt* præfuit 3. annis. Obiit anno 1510.

23. *Joannes Vinsternacherus*, monachus eximie doctus ex Elchingo assumtus, præfuit annis 19. & obiit anno gratiæ per Christum reparatæ 1529. ætatis suæ 61. Fuit Abbas doctus, virque prudentissimus, & qui suo cœnobio ita sapienter & utiliter præfuit, ut secundus ejus fundator dici meruerit.

31. *Matthias Guterman* eligitur anno Domini 1529. decima nona die mensis Julii. Præfuit annis 15. mensibus 10. diebus 10. Obiit anno Domini 1545. 29. die mensis Maij, ætatis suæ anno 53. Et fuit primus Abbas hujus monasterii infulatus: utilis vero œconomus & benefactor sui cœnobii maximus.

32. *D. Joannes Schweickhofer* de Bolstat eligitur concordibus omnium suffragiis anno Domini 1545. 22. Junii. Præest adhuc laudabiliter & utiliter currente hoc Jubilæo. Sub hujus gubernatione mille equitum comitatu in hoc Nerisheimensi monasterio pernoctavit ipsa die S. Catharinæ anno 1546. invictissimus Imperator, Carolus V. cum post fugam Schmalcaldensium Rhiæsam occuparet & inde Bopfingum descenderet. In hujus Abbatis gratiam scripta hæc extant schediasmata in Sylvarum mearum libro XVII. *Carolus V.*

De fundatione Nerisheimensis cœnobii.

Hartmannus Dillingensis Comes inclytus istam
Fundavit sacram magnificamq; domum,
Ut Patri æterno laudes canerentur in ipsa,
Ac pietatis ibi floreat omne decus.

Iſte eſt hac ipſa fundator in æde ſepultus,
Cujus apud te animam, Chriſte redemtor, habes,
Chriſte, Patrem bene qui pro nobis omnibus oras,
Nosq; redemiſti à morte cruore tuo.

In Abbatiam Nerisheimenſem.

Carolus hic Quintus, Romani gloria regni,
Exiguas inter prandia ſumſit opes,
Cum Smalcaldenſes victor fugaſſet acervos,
Atq; ducem peteret, Saxonis ora, tuum.
Id Schweighoffero factum eſt regnante Joanne,
Abbate imprimis ingenuo atq; bono.
Cui Cæſar dextram præbens, promiſit eidem
Clementemq; animum præſidiumq; pium.
Vivat Carolus, æternosq; ſuperſit in annos,
Et totum orbem habeat ſub ditione ſua!

NEUBURGENSE monialium, generis nobilitate conſpicuarum, inſigne cœnobium Auguſtanæ diœceſeos, ordinis S. Benedicti, in ejusdem nominis elegantiſſimo oppido tribus milliaribus ſupra Ingolſtadium ad Danubium principem fluviorum Germaniæ ſitum, de cujus primordiali fundatione (eſt enim antiquiſſimum) vix certi quiddam afferre poſſum: nam & Epiſcopatum olim illic floruiſſe, ex veteribus monumentis liquet: de quo aliquid in noſtro opere de Germaniæ Epiſcopatibus inſtituto copioſius, ut ſpero, afferemus. In monialium vero domicilium (poſt translatam aliò ſedem Epiſcopalem) converſum ac fundatum eſſe legitur à S. Henrico Imperatore Claudo & ejus conjuge Diva Chunigunde Palatiniſſa anno Domini 1007. ad preces Hilarii, Epiſcopi cujusdam Pannonici & Cancellarii Imperatorii, qui miraculis clarus in ejusdem cœnobii templo ferè medio, honorifico Mauſoleo (quod hodie adhuc ſaxeam Epiſcopi imaginem ac ſtatuam inciſam & exculptam præ ſe fert) humatus dicitur. Nominatum eſt & cœnobium & oppidum, Neuburgum, quaſi novum caſtellum, ad alterius differentiam,

rentiam, cujus rudera & vestigia hodie adhuc accolæ veteris Castelli nomine appellare solent. Abbatissarum ejus loci talis à me collectus & consutus est catalogus, quem tamen mancum esse, non dubium est.

1. *D. Rutrudis.*
2. *D. Ita.*
3. *D. Mechtildis.*
4. *D. Hademodis.*
5. *D. Gerhildis.*
6. *D. Rilindis.*
7. *D. Agnes.*
8. *D. Sophia.*
9. *D. Guta.*
10. *D. Chunigundis de Salern.*

11. *D. Anna Pferingerin* præfuit anno 1444. quo vitam S. Hilarii, etsi materna tantum & Germanica lingua, scripsit ad Ludovicum Palatinum Rheni, Ducem Bavariæ & Comitem in Graispach. Hæc legitur decessisse ex hac vita mortali anno 1451.

12. *D. Elisabeta Lentershofferin* præfuit ante reformationem.

13. *D. Barbara Brunnerin*, author & inductrix reformationis, anno Domini 1465. à quo præfuit 21. annis. Obiit anno Domini 1486. in ambitu sepulta.

14. *D. Anna Gurrin*, nobilitate & generis & virtutis illustris Domina, præfuit annis 23. Resignavit officium anno 1509. Vixit adhuc 8. annis. Obiit anno gratiæ 1517.

15. *D. Margareta*, inclyta Bavariæ Ducissa, Illustrissimi principis Georgii cognomento Divitis filia, ex Altenhohenaw prope Wasserburgum Bavariæ civitatem sito cœnobio evocata, Abbatiæ huic præficitur anno 1509. Præfuit annis 12. & resignans anno 1521. per decennium adhuc vixit. Obiit vero in die trium Regum anno Domini 1531. in medio templo Neuburgensi honorifice sepulta prope S. Hilarii Episcopi tumulum. *Altenhohen cœnob.*

16. *D. Eugenia Maiselbergerin* eligitur anno 1521. Præsidet 10. annis. Obiit eodem anno, quo Ducissa Margareta inter mortales esse desiit, videlicet 1531.

17. *D. Hilaria Egnina*, ex Dinckelspühelio nata, successit Dominæ Eugeniæ. Præfuit 7. annis. Obiit anno Domini 1538. Sub ejus gubernatione cœpit Illustrissimus Princeps ac D. D. Otho Henricus Palatinus, Ruperti filius, renovare & ex imis fundamentis de novo construere & maximis sumtibus præclarissime

Arx Neuburgensis sime illustrare arcem Neuburgensem, cœnobio penè contiguam, cujus encomion scripsi ego prolixo carmine elegiaco anno ætatis meæ 20. in quo omnium Palatinorum ac Bavariæ Ducum, ex Wittelsbacensi Othone originem sumentium, res gestæ celebratæ sunt.

18. *D. Ursula à Seubelstorff*, Bavara, eligitur anno Christi 1538. Præfuit annis 8. Sub ejus gubernatione exarsit in Germaniis bellum civile Schmalchaldicum contra Imper. Divum Carolum V. in Bavaria primum ad Ingolstadium geri cœptum, cujus metu, & quod pestis etiam à militibus allata grassaretur Neuburgi, secessit cum conventu suo Laugingiacum, quod oppidum Palatinorum est supra Donawerdam ad Danubium situm, *Alberti Magni*, Philosophi ac tandem Episcopi Ratisbonensis, natale solum. Ibi delituit, donec urgentibus rebus Schrobenhusium (aliud id oppidum Bavaricum est, medio ferè itinere inter Ingolstadium & Augustam Vindelicam situm) concedere cogeretur, ubi ex hac mortali vita decessit in die S. Cœciliæ anno 1546. Sepelitur in cœnobio Scheurensi. Circa hæc ipsa tempora oppidum Neuburgense cum toto circumjacente territorio & aliis aliquot oppidis Palatini Othonis Henrici, videlicet Hochstadio, Gundelfingiaco, Laugingiaco, Monheimio ac aliis, à victoriosissimo Imperatore Divo Carolo V. occupatum, Domino Georgio Zorenio de Bulach, Illustri viro ac Equiti aurato gubernandum committitur, qui hoc adhuc currente Jubilæo Imperatoriæ Majestatis locumtenens feliciter præsidet & oppido huic & toti ditiunculæ Principis Othonis Henrici, qui efferuescente bello, metu Cæsaris, Heidelbergam ad Principem Electorem secesserat, ubi hodie adhuc vivit studiis & historiarum & antiquitatum totus deditus, quorum per omnem vitam longe fuit amantissimus.

Albertus Magnus.

Scheurense cœnob.

Palatinatus à Cæsare occupatur.

19. *D. Magdalena Hinttina* de Lautterbach, Bavara & genere & virtute nobilis, eligitur in Abbatissam Neuburgensem anno Domini 1547. ipsa die S. Pancratii. Præsidet feliciter ac laudabiliter hoc adhuc currente anno 1551. quo & hæc hactenus dicta, & sequens illud fundationis suæ diploma ab Henrico Imperatore (cujus manibus scriptum originale ipsa mihi etiam ostendit) datum

tum, clementer ad hujus monastici operis exædificationem communicavit, cui te, lector optime, debere memineris, siquid inde voluptatis perceperis.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente Clementia Rom. Rex. Si Ecclesias Dei in augendo exaltaverimus, æternæ remunerationis emolumentum nobis inde profuturum, neutiquam diffidimus. Quapropter omnium S. Dei Ecclesiæ fidelium, præsentium scilicet & futurorum noverit industria, qualiter nos tam pro nostræ, quàm prædilectissimæ contectalis nostræ, Chunigundæ videlicet Reginæ, animæ remedio, sanctæ Neuburgensis Ecclesiæ sororibus sub S. Benedicti regula degentibus quædam nostri juris prædia taliter donantes proprietamus in augmentum stipendiorum, situm in comitatu Graispach scilicet Tagmarheim cum nemore, & Möringen situm in Comitatu Hirsperg, nec non Zell situm in Comitatu Neunburg cum omnibus ejusdem prædiorum attinentiis & appendiciis, videlicet Ecclesiis, villis, areis, ædificiis, mancipiis utriusq; sexus, terris cultis & incultis, quæsitis vel inquirendis, viis & inviis, exitibus & redditibus, pratis, pascuis, compascuis sive apium pascuis, silvis, saginis, aquis, molendinis, piscationibus, cœterisq; omnibus, quæ rite dici vel scribi possunt, quolibet modo utilitatibus & appendiciis. Præcipientes igitur regali authoritate jubemus, quatenus benedicti semper gregis moderatrix sive Abbatissa tam præsens, quàm etiam præfutura, liberam dehinc habeat potestatem antedicta prædia tenendi, possidendi, colendi, ædificandi, advocatum supraponendi, seu quicquid sibi liceat modis omnibus ad usum sanctimonialium in prælibata Neunburgensi Ecclesia Deo monachicè servientium faciendi. Et ut hæc nostræ traditionis seu donationis majestas stabilis & inconvulsa permaneat, hanc chartam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Tagmarheim. Möringen. Zell.

Eberhardus Cancellarius vice Willigisi Archicancellarii recognovi.

Data XVII. Kalendarum Maij, Indictione V. anno Dominicæ

nicæ Incarnationis M. VII. Anno vero D. Henrici II. regnantis V. acta sunt hæc Ratisbonæ feliciter, Amen.

OCHSENHUSIUM, hac nostra ætate præclara & opulenta Abbatia, Benedictini instituti monachorum, in amœnissimo fertilissimoq; Sueviæ agro, duobus milliaribus à Memmingiaco, totidemq; ferè à Biberaco ad Rodium fluviolum, qui postea Danubium influit, S. Blasii præpotenti Hercyniæ sylvæ monasterio incorporata. Id cœnobium à quibus cœperit construi, ignoratur. Hoc vero ab ejus loci cœnobitis dicitur, fuisse in perveteri S. Conradi sacello (quod hodie adhuc est in monasterii ingressu, ubi nunc est cœmiterium publicum) antiquitus monialium congregationem, quæ in bellicis quibusdam tumultibns misere vexatæ, mandatis prius terræ rebus pretiosioribus & charissimis, inter quas particula etiam S. Crucis erat & aliquid S. Georgii, redeundi spe pacatis rebus, in exilium abiere, in quo cum mortuæ etiam essent omnes, desiit cœnobium & corruit plane habitatio monialium, donec postea bos quidam arator venit, qui calcibus pedum terræ tam diu insultans fodit, donec & clinodia & alia terræ mandata à mulierculis ornamenta aperirentur & conspicerentur: quæ cum ad circumjacentis viciniæ Dominos, Nobiles viros, Hatowinum, Conradum & Adelbertum, fratres de Wolffhartsschuendin in vicinis castris Burgbergo & Hohenburgo, circa Goldbachium templum, ab aureo quodam annulo, quem ibi nobilis quædam Domina à Wolffhartsschvendin amiserat, sic dictum habitantes portata perveniissent, mox illi unanimiter consentientes restituendum hoc cœnobium existimarunt, & illico negotium aggressi locum à monstratoris bovis nomine Ochsenhusium appellarunt: ubi præpositurum construentes S. Blasii Abbati eam subdiderunt, sub cujus dominio fuit cœnobium hoc ad tempora usque Constantiensis Concilii. Tum enim Otho de Columna, Cardinalis sedis Romanæ, Constantiam petiturus, cum Ochsenhusium transiret & illic aliquot diebus quiescens humaniter ab ejus loci

S. Blasii Cœnob.

Bos thesaurum in terra absconditũ aperit.

Goldbach

Ochsenhusium unde dictum.

Otto de Columna creatur Pontifex.

Ochsenhusium fit Abbatia.

loci cœnobitis tractaretur, tandem in ipsa synodo Constantiensi Romanæ Ecclesiæ Pontifex designatus, memor exhibitæ sibi benevolentiæ fecit ex præpositura, à S. Blasii jugo omni liberata & exemta, Abbatiam, præclare etiam aliis privilegiis à se dotatam: idque factum est anno Christi 1420. Abbates ab eo tempore ad hæc nostra usque hi fuerunt, quos communicavit mihi D. Gregorius Vitus Wick, patria Ulmensis, ejus pulcherrimi monasterii Prior doctus ac humanissimus.

1. *Nicolaus Fabri* de Biberaco, præpositus hujus loci ultimus, confirmatus est in Abbatem primum ab Othone Cardinale, Pontifice Maximo designato & Martini V. nova appellatione donato: eligitur vero anno Domini 1392. Præfuit 30. annis, & propter afflictam valetudinem resignavit anno Christi 1422. feria tertia ante corporis Christi festum.

2. *Henricus Faber*, Biberacensis, successit Nicolao cognato suo die Sabbato ante octavam corporis Christi. Præfuit annis 12. Obiit anno salutiferi partus 1434. sexta Martii.

3. *Michael Russelius*, Ulmensis, eligitur 10. Martii an. 1434. Confirmatur 17. Aprilis. Præfuit 34. annis. Resignavit anno salutis 1468. octava die Junii. Obiit anno gratiæ 1474. die Decembrium 24.

4. *Joannes Crispus*, ex Biberaco Imperiali civitate natus, successit Michaeli resignanti nona Junii anno 1468. Præfuit annis octo. Obiit anno Dominicæ Incarnationis 1476. vicesima septima Augusti.

5. *Jodocus Broderus*, Biberacensis, subrogatur Joanni rebus humanis exemto. Præfuit sex annis & resignavit anno Christi 1482. Exolvit carnis debitum 14. Kalend. Junii, anno Dñi 1529.

6. *Simon Lengenbergerus*, Bibracensis, præfuit Abbatiæ 16. annis. Decessit ex hac mortali vita anno Domini 1498. vicesima secunda Februar.

7. *Hieronymus Buchelbergerus*, è Dinckelspuhelio Imperiali in Rhiæsa oppido natus, eligitur 28. Februarii anno 1498. Præfuit 10. annis. Obiit secunda Kalendarum Septembrium anni à nato Christo 1508.

8. *Andreas Knittscherus* eligitur pridie Nonarum Septembrium anni prædicti. Præfuit annis 33. Obiit anno Domini 1541. nona Kalendarum Octobrium.

9. *Georgius Molitor* succeſſit Andreæ 10. Kalend. Octobr. Præfuit annis 6. Reſignat in ipſo tumultu Germanico.

10. *Gerwicus Blaurerus*, patria Conſtantienſis, Abbas Vinearum Sueviæ, eximie doctus ac prudens, ab unanimiter conſentiente conventu poſtulatus eſt in Abbatem & adminiſtratorem Ochſenhuſanæ etiam Abbatiæ anno Domini 1547. Præſidet & huic Abbatiæ & Vinearum potentiſſimo monaſterio, prope Ravenſpurgum ſito, hoc adhuc currente Jubilæo, Imperatoris D. Caroli V. conſiliarius.

Vinearum Cœnob.

✿ ✿ ✿

OENINGUM, cœnobium pervetuſtum, in dextra Rheni ſupra Steinium Hegoviæ oppidum ſitum, olim Benedictinæ profeſſionis monachorum, poſtea vero Canonicorum regularium S. Auguſtini, fundatum legitur ab ejusdem nominis Comitibus, quorum ſtirps defecit anno Chriſti 1430. Fundatorem, Chunonem vocant Comitem Oeningenſem, qui, cum ex Richlina uxore quatuor filios excepiſſet, eosq; immatura mors mox iterum ſuſtuliſſet, mœrore propter tantam infelicitatem adeo perculſus eſt, ut, omnibus animi cogitationibus ad religionis ſtudia verſis, cœnobium de facultatibus ſuis conſtrueret: quo vero id anno factum ſit, nusquam lego. Putant aliqui, hos Comites antiquitus *Venetos Comites* cognominatos, tandem corrupta & depravata voce Oeningenſes dictos, & ab illis ipſis inferiorem lacum Bodamicum, qui non procul abeſt ab hoc cœnobio, Veneti appellatione nobilitatum eſſe, cujus rei judicium lectori relinquo. Catalogus ejus loci præpoſitorum talis mihi à cœnobitis communicatus eſt.

Comites Oeningenſes quondam Veneti appellati.

Catalog.

1. *Wertingus.*
2. *Joannes Pirnius.*
3. *Waltherus de Uberlinga.*
4. *Joannes de Schwandorff.*
5. *Henricus Beſſerer.*

6. *Joan-*

6. *Joannus de Aquisgrano.*
7. *Bertholdus.*
8. *Bernhardus.*
9. *Hermannus Monetarius* de Uberlinga, civitate ad lacum Acronium sita.
10. *Walterus.*
11. *Joannes Wigkerus.*
12. *Henricus de Schwandorff.*
13. *Bertholdus de Uberlingen.*
14. *Conradus Mackhenburnius*, Steinensis.
15. *Fridericus à Morsenburg*, oppido ad lacum Acronium sito, eligitur anno 1417. Præfuit 14. annis & obiit.
16. *Nicolaus Heeld* de Mersenburg eligitur anno 1431. Præfuit 52. annis.
17. *Nicolaus Christinerus*, Oeningensis, eligitur anno Domini 1483. Præfuit annis 33.
18. *Conradus Rup*, patria Constantiensis, eligitur an. 1516. Posthujus mortem anno 1530. incorporatur totum cœnobium Episcopatui Constantiensi ab Antistite Joanne à Weza, Sicambro, Archiepiscopo Lundensi & Episcopo Rotschildensi.

PERGENIUM vel Bergense, Berg/ S. Crucis cœnobium monialium Benedictinæ professionis in Eistetensi Episcopatu, & præfectura Heersbrugk dimidio milliari à Neuburgo Danubiano, ac duobus milliaribus ab Aichstadio situm, amplissimum cœnobium, fundatum legitur anno Domini 976. imperante Othone II. ejusque conjuge D. Theophania, ab illustrissima Principe ac Domina, Domina Willitrude, Bertholdi ultimi Bavarorum Ducis honestissima conjuge, quæ ob insignem virtutem ac vitæ integritatem cognomentum *Piæ* habere meruit. Occasio construendi monasterii hæc fuit. Gubernabant Bavariam temporibus Imperatoris Henrici Aucupis duo Principes præpotentes, germani fratres, Arnoldus & Bertholdus, ultimi Bavarorum Duces ex posteritate Caroli *Bavariæ Duces tempore*

Henrici Aucupis.

Arnoldus Bavariæ Dux, rebellis adversus Henricum Aucupem

Caroli Magni, quorum senior Arnoldus aliquoties seditiosus in Henricum Aucupem, tandem victus ab eo apud inferiores Pannones tantisper exulavit, donec Othoni reconciliaretur, cujus consensu in Bavariam tandem rediit. Ubi cum admodum grassaretur in bona ecclesiastica, dicitur anno 937. miserrimo fato sublatus horribiliter periisse, reliquisse vero filium Eberhardum, concordibus omnium Principum suffragiis exheredatum. Successit huic Arnoldo, fratri suo, Bertholdus Dux ille, qui Dominam Willetrudin, nobilissimam feminam, Giselberti Belgarum & Lotharingorum Ducis è Gerbirga Imperatoris Othonis Magni germana sorore filiam, uxorem habuit. Is Bertholdus, cum Ducatui Bavarico præfuisset 12. annis, sine heredibus obiit anno Domini 949. Bona ejus ex Principum sententia in regium fiscum redacta sunt. Ducatum Bavaricum dono dedit Imperator Otho Magnus Henrico fratri suo. Domina Wiltrudis vero vidua mansit, quæ dotales adhuc provincias tenebat & ipsis imperabat, Sultzgoviam videlicet, Nordgoviam, Schwanfeldum & prædia circa Heersburggum sita. Hæc anno viduitatis suæ 26. Christi vero anno 976. cogitans, solam se esse & non habere prolem, omnia sua Deo dicare & se quoq; jam senio penè confectam religioni totam dedere decrevit. Monialium itaq; piarumq; sororum, Deo sese & æternæ virginitati dicantium, congregatione collecta, cœnobium Bergense in honorem Christi, filii Dei, ejusq; Sanctæ Genitricis, Sancti item Joannis, & S. Crucis construxit, idq; consentiente Othone II. ejusq; conjuge Dña Theophania, omni suo territorio & suis prædiis dotalibus liberalissime dotavit, sub undecimo Aureatensis Ecclesiæ Episcopo Reginoldo, viro doctissimo. Ejus vero prima etiam Abbatissa & gubernatrix ipsa facta confirmationem suæ fundationis & privilegia ab Othone II. Imperatore & à summo Pontifice Joanne XV. obtinuit & impetravit. Habet hoc cœnobium privilegia & diplomata non solum ab Imperatoribus Othonibus duobus postremis, sed etiam ab Imperatore Henrico Claudo, qui dono dedit monasterio pagum Tollenstein cum adjacentiis: ab Imperatore item Conrado Franco & ejus uxore Domina Gisela, quæ dedit Ursingum pagum cum adjacen-

Wiltrudis Bavariæ Ducis Bertholdi vidua, cœnobium Bergense erigit.

jacentiis. Templum ipsum cœnobii, è vivo lapide constructum, singularem præ se fert & augustam antiquitatem: de quo dicitur, quod duo boves ità assvefacti sine ductore omnes lapides è lithotomiis ad locum usq; structuræ advexerint, ita ut in viam saltem ducti sua sponte vel onusti cum vehiculo ad Basilicam venerint, vel deposita sarcina ad reditum versi iterum ad lapidicinas redierint. Catalogus ejus loci Abbatissarum, etsi aliquibus locis mancus, tamen talis ab ipsa Domina Abbatissa (quæ nunc rerum hujus loci potitur) collectus, mihi, ut huic operi insereretur, transmissus est: in quo paucissimis immutatis cætera omnia ab ipsa Domina gubernatrice in ordinem, quem vides, lector, posita & eleganter digesta sunt, quam insignem diligentiam utinam hoc tempore imitarentur omnium cœnobiorum & Episcopatuum gubernatores, & essemus in brevi habituri uberem descriptionem rerum Germanicarum omnium. Sed veniamus ad catalogum.

Boves sponte lapides, ad templum Bergense advehunt.

Diligens Abbatissa.

Catalog. Abbatiss.

1. *D. Wilitrudis*, Regina Lotharingiæ & Ducissa Bavariæ illustrissima, fundatrix liberalissima hujus cœnobii sui ad S. Crucem dicti, prima etiam ac fidelissima extitit ejusdem gubernatrix. Cœpit præesse anno, quo construere cœpit domum Dei: sed quam diu præfuerit, & quo anno rebus humanis exemta sit, id intercidit & ex hominum memoria in oblivionem venit. Obiit tamen in die trium Regum.

2. *D. Chriembeidis* obiit 16. Martii.

3. *D. Berthildis* Abbatissa obiit 18. Octobrium. Sub his duabus gubernatricibus maxime legitur floruisse Bergense hoc S. Crucis cœnobium.

4. *D. Richinza* obiit tertia Junii.

5. *D. Heilca* obiit 27. Januarii.

6. *D. Anna à Schwumedach* obiit 30. Aprilis.

7. *D. Rilindis* eligitur in Abbatissam aliquot lustris post annum Domini 1095. quo nimirum anno denuo consecrata legitur Basilica Bergensis cœnobii. Legitur vero hæc pie & sanctæ præfuisse, sed quamdiu, id in fastos relatum non est. Fuit virtutibus & lite-

& literis ornatissima herois, latine eximie docta, pudicitiæ autem probitatisq; laude tanta, ut Imperator Fridericus Barbarossa eam ex hoc Bergensi cœnobio ad Altitonense D. Otiliæ monasterium (cujus Vestales luxu ac opibus lasciviebant) reformandum ac in meliorem viam reducendum ablegaret: ubi ipsa, expulsis lascivientibus feminis, in pauculorum annorum spacio 33. velatas virgines congregans, ita in literis latinis ac pietate Christiana eas instituit, ut omni viciniæ admirationi essent. Extant vero ejus Rilindis Abbatissæ & reformatricis Altitonensis poëmata quædam, quæ huic loco inserenda censui.

S. Otiliæ monasterium Altitonense.

Abbatissa versificatrix.

Dominæ Rilindis ad sorores Hohemburgenses, in persona Christi, Tetrastichon hexametrum & eruditissimum:

Vos, quos includit, frangit, gravat, attrahit, urit
Hic carcer mœstus, labor, exilium, dolor, æstus,
Me lucem, requiem, patriam, medicamen & umbram
Quærite, sperate, scitote, tenete, vocate.

Ejusdem Rilindis Pentastichon carmen, per monosyllaba ingeniose lusum, ad congregationem sororum Altitonensium:

O pie grex, cui cœlica lex, est nulla doli fex:
Ipse Sion mons, ad patriam pons, atq; boni fons,
Qui via, qui lux, hic tibi sit dux, alma tegat crux:
Qui placidus ros, qui stabilis dos, virgineus flos,
Ille regat te, commiserans me, semper ubique.

Hæc insignis Abbatissa, à Bergensis conventus sui gubernatione avocata, dum abest & Altitonam reformat, ubi ex hac mortali vita procul dubio ad immortalem & æternam concessit 22. Augusti, perit interim incendio cœnobium Bergense, quod aliquandiu quasi desolatum sine gubernatrice fuit. Etsi enim monialum aliqua pars in Bergensi cœnobio mansisset, tamen major pars Heersbruggum concesserat, ita ut duplex esset conventus, & tamen uterq; sine inspectrice. Ibi misertus tantæ fundationis Eberhardus, Episcopus Bambergensis, inclytus Bavariæ Dux, pro reformatione hujus etiam cœnobii apud Godefridum, Abbatem Agmondensem, supremum visitatorem, iterum laboravit

ac

ac ex eo ipso utriusq; sexus amplissimo collegio septem honestas virgines cum magistra ac gubernatrice adducens, cœnobium hoc de novo qvasi auspicatus est, quod factum legitur anno 1156.

8. *D. Regelindis*, ex Agmondensi cœnobio missa, Bergensi monasterio præficitur anno Domini 1156. Præfuit laudabiliter & utiliter annis 13. Recepit anno Domini 1163. cum consensu Friderici Imperatoris in Advocatum cœnobii sui strenuum ac magnæ providentiæ virum, D. Sicolinum, Pincernam de Reichenegk, in alti Saxi arce sedentem. Obiit tandem 4. Aprilis anno Domini 1169.

9. *D. Bertrada* successit Regelindi rebus humanis exemtæ. Præfuit sapienter & prudenter 12. annis. Obiit 26. Aprilis anno 1181.

10. *D. Adelheidis* subrogatur Bertradæ defunctæ, sed ex qua familia ista edita fuerit, aut quamdiu congregationi huic laudabili præfuerit, nusquam invenitur. Qvemadmodum etiam de successoribus ejus aliquot nihil prorsus annotatum reperitur.

11. *D. Hilteburgis* obiit 20. Februarii.

12. *D. Chunigundis* obiit 7. Martii.

13. *D. Margareta* obiit 8. Martii.

14. *D. Khunigundis* secunda obiit 23. Octobrium. Credibile est, plures Abbatissas hîc præfuisse ad tempora ejus usque Abbatissæ, quæ nunc sequitur: sed tamen illarum nomina vetustate consumta perierunt & ad notitiam nostri seculi non pervenerunt.

15. *D. Adelheidis*, ex nobili Pincernarum de Arberch gente & familia prognata, eligitur in Abbatissam anno Domini 1340. Præfuit summa diligentia, prudentia & laude annis 46. quibus multa per vim abstracta & abalienata bona cœnobio feliciter recuperavit. Obiit senio confecta 16. Novembrium anni à nato Christo 1386.

16. *D. Margareta*, nobilis herois à Mur, successit Dominæ Adelheidi. Præfuit per biennium saltem & naturæ debitum exoluit 30. Martii anno 1388.

17. *D. Anna* de Galinsheim eligitur anno, quo Margareta rebus humanis exemta est. Præfuit summa cum laude annis 42. Emit decimas in Lati fontis pago, inclusit muro majorem cœnobii partem, fecit scribi *Cantionalia*: ac, nisi morte præventa fuisset, omnibus modis totum monasterium etiam reformasset, cujus summo tenebatur studio. Obiit 30. Februarii, anno Incarnationis Dominicæ 1430.

18. *D. Elisabeta Steurerin*, Ratisbonensis, subrogatur defunctæ D. Annæ. Præfuit annis 28. Obiit 23. Februarii anno Gratiæ 1458. quo reformatum est cœnobium juxta regulam Divi Benedicti.

19. *D. Barbara Eckherina*, ex Vindelicorum Augusta missa ad reformandum cœnobium Bergense, laudabiliter ibi præfuit 14. annis, & viam universæ carnis ambulavit quarta Novembrium anni à nato Christo 1472.

20. *D. Margareta* Præposita successit D. Barbaræ, electa in festo S. Martini. Hæc, cum verbo & exemplis sapienter & pie præfuisset annis 26. clausit extremum diem in ipsis Kalendis Februariis, anni Christianorum 1498. inguinaria peste consumta.

21. *D. Euphemia*, nobilis virago de Mur, eligitur 14. Februarii anno Domini 1498. Præfuit fideliter annis 23. mensibus quinque. Obiit 15. Julii anno Christi 1521.

Sabina Pirckheimerin.

22. *D. Sabina Pirckheimerina*, ex Noribergensibus Patriciis nata, doctissimi prudentissimiq; viri Bilibaldi soror venerabilis & religiosa, eligitur in Abbatissam Bergensem 29. Julii post mortuam Dominam Euphemiam. Confirmatur septima Augusti, consecratur à Domino Fabiano, Episcopo Philadelphico, Reverendissimi Antistitis Gabrielis Episcopi Aistetensis generali, in Pontificalibus Vicario, undecima Maij sequentis anni. Obiit apoplexia 22. Decembrium, horam circiter septimam pomeridianam, anno Christi 1529. ætatis vero suæ 49. cum sapientissime & utilissime præfuisset annis penè novem.

Euphemia Pirkheimerina.

23. *D. Euphemia* Pirckheimerina, & ipsa Bilibaldi soror, successit sorori ex hac mortali vita sublatæ, electa tertia Januarii anno Domini 1530. Ejusdemq; mensis 19. confirmata, tandem

21. Au-

21. Augusti per D. Antonium, Episcopum Philadelphiensem, suffraganeum Aistetensem consecrata. Præfuit laudabiliter & utilissime 16. annis. Multa adversa fortiter ac magnanimiter tulit prudentissima femina, ac evicit etiam ut magnanima & infracto animo prædita Domina. Primum enim anno Domini 1544. è cœnobio suo secedere coacta fuit, propterea quod mutata religione, per Principem Othonem Henricum, Palatinum Rheni, contra hanc, ut Pontificiarum doctrinarum sectatricem, alia constitueretur cœnobii administratrix, Margareta quædam à Mur, exauthorata Pirckheimeriana. Cum vero novæ administratrici præter paucas sanguinis ei propinquitate conjunctas nemo obtemperare aut eam Abbatissam agnoscere vellet, secessit D. Euphemia cum virginibus 25. ad Mariani lapidis vicinum Aichstadio cœnobium, ubi alita est tota ista congregatio per integrum ferè annum à Reverendissimo Principe, Mauricio Hutteno, Episcopo Aistetensi dignissimo, donec postea in multas partes divisus conventus varia hinc inde diverticula quæreret. Pars enim in Summuntoriano, pars in Belli agri, & item alia in Holtzensi, ac S. Walburgis Aistetensi latebant monasterio: ipsa vero Abbatissa cum paucis sororibus Rainum (quod Bavariæ oppidum est ad Lycum situm) concesserat. Interim cœpit bellum Germanicum ano Domini 1546. ubi, dum Schmalcaldenses confederati, direptis prius Bergensi ac aliis vicinis cœnobiis, Rainense oppugnant oppidum, Abbatissa Noribergam ad suam sororem concedens illic exitum belli expectat. Sequente anno, cum victoria penes Cæsarem Carolum esset, qui totam Palatini Principis ditionem ad Danubium sitam occuparat ac Dn. Georgio Zorenio Bulacensi administrandam mandarat, administratrix illa cœnobii, à Palatino prius constituta, videns se minorem & inferiorem esse, quàm ut sua prudentia restauraret collapsas cœnobii res, precibus institit Domino Mauricio Episcopo Aistetensi, quo Abbatissam veram Noribergæ apud suos latitantem revocaret. Quod cum ita factum esset, reducta est Domina Euphemia ab ipso prædicto Domino Episcopo ac Vicetenente Imperatorio in suum cœnobium, quod ipsa præclare equidem restituis-

Cœnob. Mariani lapidis.

Summontorianum monast.

Bellum Germanicum.

set omni pristinæ dignitati, nisi morte præventa & impedita fuisset. Decubuit graviter per integrum mensem, incomparabili & omnibus spectatoribus admirabili patientia gravissimos morbi dolores perferens: tandem æterno Deo ipsiusq; Filio sese commendans 15. Novembrium anni à nato Christo 1547. suaviter in Domino obdormivit. Ejus, charissimæ amitæ meæ, tumulum tali ego epitaphio honoravi:

Hic Euphemia, Pirckenomaræ gloria gentis,
O dilecta tibi, mi Bilibalde, soror,
Abbatissa domus Bergensis non modo fida,
Verum illustratrix ingeniosa cubo,
Corpore sed tantum: nam mens concredita Christo
Ipsius in gremio vivit & astra tenet.

24. *D. Catharina Haberreinin*, è Berchingo oppido Aistetensis Episcopatus nata (quæ hunc totum catalogum conscripsit & mihi benigniter communicavit) successit Dominæ Euphemiæ, sexta Decembrium anni 1547. electa, 20. vero ejusdem mensis confirmata. Sequentis autem anni quarta Aprilium à Reverendissimi Episcopi Aistetensis suffraganeo, Leonhardo Hallero, Episcopo Philadelphico, consecrata, quæ hoc adhuc currente Jubilæo feliciter præsidet.

PETRI DOMUS vel Petershusium, cœnobium Benedictini instituti monachorum amplissimum, è regione Constantiensis urbis in Suevis cis Rhenanum pontem, in dextra videlicet Rheni è Lacu Acronio prodeuntis situm, fundatum & dotatum est munificentissime anno Christi 980. pro monachis è cella Menradi accitis, à S. Gebhardo, Episcopo Constantiensi, Comite Brigantino & Zæringensi, qui templum hujus cœnobii incœpit construere año 983. positis ad quatuor templi angulos in fundamenta quatuor aureis Rhenensibus. Absolutum est templum illud & ab ipso fundatore Episcopo Beato Gregorio Papæ dedicatum & consecratum anno Dñi 992. quinta Kalend. Novembr. In quo idem ille D. Gebhardus fundator tandem, cum viam universæ carnis ambulasset, anno Dñi 996. humatus ac terræ parenti cum tali epitaphio redditus est: *Debita*

Debita pars terræ, fallentia tempora sperne,
Et memorare viæ, quam testatur cinis iste.
Gentis honos nostræ jacet hic, gentis dolor atq;.
Præfuit hic urbi, cuncto sed profuit orbi.
Hancq; Deo sedem templi fundavit & ædem.
Parti terrenæ Deus ignoscens miserere.
Redde vicem juste, quia te dilexerat iste.

Fuit hoc monasterium olim adeo opulentum, ut octoginta aleret monachos unà cum Abbate. Catalogus ejus loci procerum ac gubernatorum talis reperitur. *Catalogus Abbatum.*

1. *Beringerus* constituitur ab ipso Gebhardo Episcopo anno Domini 992. sed quamdiu præfuerit, non invenio.

2. *Pezelinus* successit Beringero: de quo etiam nihil in fastos relatum est.

3. *Elenboldus*, tertius Abbas Petridomensis, donatus est anno Domini 1007. temporibus Henrici Claudi Imperatoris, pago Eppendorffensi ab illustrissima Domina Hedowige, Burcardi Suevorum Ducis conjuge.

4. *Walthavius.*
5. *Sigefridus.*
6. *Erchenboldus.*
7. *Volmarus.*
8. *Albertus.*
9. *Siggo.*
10. *Arnoldus.*
11. *Meginradus.*
12. *Luitholdus.*
13. *Theodoricus.* Sub hujus Abbatis gubernatione vastatum & spoliatum est cœnobium anno Domini 1087. ab Henrico, Comite sacri Montis, bellum gerente contra Constantiam & in ejus urbis Episcopatum, Arnoldum, S. Montis Comitem, monachum Sangallensem cognatum suum intrudente contra Gerhardum Zeringensem legitime electum, qui ex Episcopatu tandem ejectus, cum tredecim annis exulasset, tamen hujus Theodorici Abbatis ope anno Domini 1105. Episcopatum magnanimiter recuperavit. *Gebhardus Const. Episcopus.*

14. *Bertholdus.*
15. *Conradus.*
16. *Gebehardus.* Sub hoc Abbate conflagravit totum cœnobium anno Domini 1159. quod tamen ab eodem præclare iterum

instauratum & pristinæ dignitati restitutum est subsidiis cœnobiorum Hirsaugiensis & Zuifaltensis.

17. *Henricus.*
18. *Eberhardus.*
19. *Conradus.*
20. *Udalricus.*
21. *Henricus* II.
22. *Henricus* III.

23. *Diethelmus*, Baro de Castel, diu præfuit & cœnobium Petridomense præclaris structuris illustravit. Anno vero 1306. constituitur Augiæ divitis Abbas, cujus loci monachorum strenuus fuit reformator & in ordinem coactor, etsi cum suo malo. Vide catalogum Augiensem, ubi plura de illo leges.

24. *Udalricus.*
25. *Conradus.*
26. *Burcardus.*
27. *Joannes.*
28. *Joannes* II.
29. *Henricus* IV.
30. *Burcardus.*
31. *Henricus* V.

32. *Joannes Frey* præfuit tempore magni Concilii Constantiensis, ubi à novo Pontifice Martino V. anno Domini 1415. Pontificalibus ornamentis donatus est, primus itaque hujus cœnobii Abbas infulatus.

33. *Joannes Milfeldus* successit Joanni Frey, secundus hujus cœnobii Abbas infulatus.

34. *Diethelmus Albinus.*

35. *Joannes Hyrus*, Constantiensis Patricius, lepra tandem infectus. Ex hac honestissima familia, hac adhuc tempestate, est egregius vir eximiaq; & doctrina & virtute insignis civis, *D. Hieronymus Hyrus*, mihi singularis fautor & amicus, quem honoris & amicitiæ ac propagandi ad posteros ipsius nominis ergò hoc loco nomino.

D. Hier. Hyrus.

36. *Nicolaus Roschachius*, Constantiensis, obiit anno Domini 1488.

37. *Martinus Brulinus* electus est anno Domini 1488. Præfuit 30. annis, non admodum studiosus rerum sui monasterii curator. Obiit anno Domini 1518.

38. *Joannes Meerk*, Lindaviensis, constituitur administrator & coadjutor Martini anno 1511. Præfuit sub coadjutoris titulo annis septem: Abbas vero factus post mortem Martini annis sex.

Fuit

Fuit studiosissimus monasterii sui restitutor & amplificator, ita ut merito secundus ejus fundator dici & commendari possit: optimus œconomus & paterfamilias vigilantissimus. Obiit feliciter in ipso suo cœnobio anno Christianæ redemtionis 1524. Ædificavit loca conventualium & ambitum Ecclesiæ, & domum præclaram intra mœnia Civitatis Uberlingensis sitam.

39. *Andreas Berlimus*, Constantiensis, præfuit duobus annis. Obiit in gubernatione anno 1526.

40. *Gebhardus Dornspergerus*, Stockachianus, eligitur anno 1526. Expulsus est à Constantiensibus omnia in Ecclesia immutantibus anno 1528. Secessit Uberlingam in suas ædes, in quibus vixit per novennium: inde iterum secessit Suldorfum in parochiam suam, in qua mansit usq; ad annum 1548. quo vidit magno animi dolore concremari ab Hispanis Constantiam, oppugnantibus totum suum monasterium. Dum enim sexta die Augusti clerus Constantiensis defuncti Præsulis sui Joannis Weza exequias in Augia majore ad sepulchrum celebrat, Hispanus miles, qui aliquandiu in Ducatu Wirtenbergensi quieverat, ex improviso oppugnatam Constantiam deserens suburbia una cum cœnobio capta cæde & incendio vastat, duce Alfonso de Vivis, qui in ponte Constantiensi sclopetæ ictu occubuit. Quam rem una cum anno tali disticho expressit præclare doctus vir, *Andreas Mazius*, defuncti Episcopi secretarius. *Oppugnatio Constantiensis urbis.*

PræsVLIs eXeqVIIs tVMVLo ConstantIa tædas
En dabat, aCCendIt sangVIne tInCtVs Iber.

Occubuerunt in hoc ipso conflictu multi egregii cives Constantienses: inter cæteros vero veteri amicitia mihi conjunctus *Joannes Jacobus Menlishofferus*, medicinarum Doctor, Græce & Latine præclare doctus, musicus vero in omnibus hujus amœnissimæ artis partibus insignis, statura corporis vere heroica præditus: & Dominicus Hochreittenerus, honestissimus vir & Patricio sanguine natus, *Joh. Jac. Menlishoferus.*

Quorum nunc animas summus Olympus habet.

Ex

Prædicatorum monasterium Constantiense.

Ex hujus Petridomensis cœnobii adverso ferè est intra mœnia Constantiensis civitatis ad Lacum Acronium, aut in ipso potius lacu situm ordinis Prædicatorum amplissimum cœnobium, quod anno 1537. à S. P. Q. urbis in Xenodochium conversum est: id etsi ex mendicitate initio cœperit anno Domini 1235. tamen postea liberaliter donatum est à Joanne de Ravenspurg, Equite aurato, annum Christi circiter 1250. Is illic, dissidio & divortio prius inter se & conjugem suam religionis ergò facto, monasticen professus, tandem ibidem mortuus & humatus est. Conjux ejus, Domina Guta de Angelburg, consensu mariti arcem suam avitam Anstegum ad hoc ipsum concedentis, cœnobium prope Buchornam construens, idipsum ingressa, ejusdemq; prima gubernatrix & Priorissa designata legitur. In hujus Dominicastrorum cœnobii Constantiensis amplissimo templo sepultus est doctissimus vir, *Manuel Chrysoloras*, qui magnæ synodo Constantiensi interfuit & illic ex mortali vita evocatus est. Huic ab *Ænea Sylvio*, Poëta Laureato & Oratore Imperatorio, tandem ad Pontificatum evecto, tale monumentum illic positum est, cujus solius rei gratia mendicantium hoc cœnobium isti operi inserere volui.

Chrysoloræ sepulchrum.

Ante aram hanc situs Dominus Manuel Chrysoloras, Miles Constantinopolitanus, ex vetusto genere Romanorum, qui cum Constantino Imperatore migrarunt, vir doctiss. prudentiss. opt. qui tempore generalis Concilii Constantiensis diem obiit: ea existimatione, ut abomnibus summo inter mortales sacerdotio dignus haberetur. Die xv. Aprilis conditus est anno Christi 1415.

Ille ego, qui Latium priscas imitarier artes
Explosis docui sermonum ambagibus, & qui
Eloquium magni Demosthenis & Ciceronis
In lucem retuli, Chrysoloras nomine notus,
Hic sum post vitam & peregrina in sede quiesco.
Huc me Concilii deduxit cura, trium dum
Pontificum Ecclesiam vexaret sæva tyrannis.
Roma meos genuit majores, me bona tellus
Bysantina tulit: cinerem Constantia servat.

Quo

Quo moriare loco, nil refert: undiq; cœlum,
Pœnarumq; domus mensurâ distat eadem.

PILDENREITUM, Germ. Pillenreuth/ Canonissarum regularium S. Augustini cœnobium perelegans, in nemore Noribergensi ad amplissimos lacus non procul ab ejusdem potentissimæ Urbis latomiis situm, diœceseos Aistetensis, sub tutela S. P. Q. Noribergensis, cœpit annum Christi circiter 1340. à quinq; piis sororibus ac Imperatorii gynæcii virginibus, Elisabeta Vispeckhina, Adelheide Zolnerina, Christina Venatrice, Khunigunde ab Oddensees, ac Osanna Osterreicherina, ex Deckendorff Bavarico oppido nata, quæ collectis aliis etiam octo sororculis, Imperatorem Ludovicum Bavarum, Noribergæ tunc temporis Comitia habentem, precibus persuaserant, ut sibi in hoc nemore cœnobiolum construeretur, in quo Dei laudes, in bellis ab hoc Imperatore gestis omissæ, adimplerentur, & ita quod prius in cultu Dei neglectum fuisset, ibi resarciretur. Imperator monitis puellarum ardore quodam divini cultus flagrantium obtemperans, in die S. Lucæ Evangelistæ anni Christianorum 1341. è Noriberga in vicinum nemus prodiit, ut cœnobii futuri locum exploraret, quod cum in vicino pago Churnburgensi (hodie Kornburgensem vocant) auspicari vellet, cantu quodam miræ dulcedinis inde ad nemus revocatus dicitur, ubi cum magnæ & altæ cuidam quercui Crucis quasi cœlitus ostensæ imaginem imminere vidisset, equo mox lapsus primus securi arborem eam notavit, & se præsente excindi illam curavit, eumque locum ad construendum monasterium destinavit: unde nomen etiam inditum est, ut ab imagine Crucis, quæ apparuerit in illa nemoris parte, quæ ad construendam domum pietatis ac disciplinæ excindenda erat, *Pildenreutum* diceretur. Prodierat unà cum Imperatore præpotens quidam Patricius Noribergensis, Conradus Magnus, tunc etiam Scultetus, ut vocant, Noricus: is prædium, quod in ea ipsa vicinia habebat, optimum, præsente Cæsare, futuræ monialium congregationi cum omnibus adjacentibus agris dono dedit omnibus temporibus

Ludovicus Bavarus Noribergæ Comitia habuit.

Kornburg.

Crucis imago cœlitus ostensa Ludovico Imperatori.

Magni, die Grosen *Noribergenses Patricii.*

bus possidendum. Imperator cœnobiolo egregium dedit diploma anno Christi 1345. Ducalis regni sui 31. Imperii vero 18. Dedisset etiam (ut promiserat) certos reditus annuos & alia, nisi morte præventus fuisset. Quarto enim anno, post primum hujus loci initium, bonus Imperator veneno sublatus extremum diem clausit. Sorores, patrono suo præcipuo amisso, ex quotidiana hominum collatione & eleemosynis tantum tamen contraxerant, ut ex primo ligneo templo saxeum facerent decimo sexto anno post primam conventionem. Tandem anno Domini 1378. subdidere sese concordibus animis Rabano, Episcopo Aistetensi, petentes ab eo certum ordinem, qui misso ad eas Canonico quodam de S. Willibaldi choro, Domino Burcardo de Pleinfeld, consecrari ipsas & sub obedientiam accipi, Canonissasq; S. Augustini regulares designari fecit: & Præpositam gubernatricem cæterarum elegit anno 1379. in die S. Thomæ Apostoli, mense Decembri. Catalogus ejus loci gubernatricum (quas Præpositas vocant) talis mihi illic ostensus & communicatus est.

Ex Eleemosynis templum exstructum.

Series præpositarum.

Rustici filia prima Abbatissa.

1. *D. Diemudis Ammonin* (quæ vox Judicem significat) rustici cujusdam & honesti & pii viri, ita pia, prudens, honesta & religiosissima filia, ut ex duro ac rudi agricola natam nemo crederet. Erat vero ex vicino pago Herpersdorff nata. Hæc constituitur prima Præposita in fine anni 1379. Præfuit laudabiliter & utiliter annis 26. Obiit anno 1406. Sepelitur honorifice sub magno saxo, ante majus altare collocato, sub quo omnes (quæ eam in gubernatione secutæ sunt) depositæ cubant.

2. *D. Barbara* ab Haslach, nobilis & genere & virtute, successit Dominæ Diemudi in vigilia S. Egidii. Præfuit 20. annis, preclare totum cœnobium amplians & novis structuris illustrans. Nam & refectorium, & dormitorium & totum hoc templum (quod hodie adhuc integrum & salvum conspicitur) eximis fundamentis de novo construxit: in qua re pietatis & religionis augendæ studio fideliter eam juvit Dominus *Hilpoldus Kressius*, Patricius Noribergensis, qui sexcentum aureos Rhenenses ad templi constructionem contulit & donavit. Obiit anno Domini 1426. Sub ejus gubernatione obiit anno Domini 1409. Domina Beatrix

Kressii, Noribergenses Patricii.

trix, Comitissa de Heideck, Friderici conjux & Episcopi Aistetens Joannis soror, quæ in ejusdem cœnobii templo sub Virginum choro, honorfico Mausoleo à terra in altum elevato, condita & sepulta est.

3. *D. Christina Nordweinin*, Norica, eligitur in Præpositam Pildenreuttensem postridie Ascensionis Dominicæ anno 1426. Præfuit religiose & prudenter 13. annis, magna sui cœnobii benefactrix, cujus œconoma fuit longe etiam fidelissima. Secesserat Noribergam tempore belli Hussitici. Resignavit anno 1439. Obiit tandem anno Domini 1448.

4. *D. Dorothea Hetzelstorfferina*, nobilis herois non genere tantum & religione, sed & virtute & morum probitate, eligitur anno 1439. Præfuit 4. annis. Obiit anno Christi 1443. in ipsis Januarii Kalendis. Fuit cœnobii hujus ampliatrix & illustratrix studiosissima.

5. *D. Barbara Kressina*, ex patre Patritio Noribergensi nata, eligitur anno gratiæ 1443. in die S. Erhardi. Erat femina prudentissima, Romæ etiam ob singularem suam sapientiam nota & celebris. Attulit multa è domo paterna ad hujus cœnobii illustrationem, cujus liberalissimi etiam benefactores fuerunt omnes ejus cognati. Præfuit utilissime annis 18. Abdicavit se magistratu, & aliam sibi subrogavit anno Domini 1461. Sub ejus gubernatione exarsit anno Domini 1450. cruentum bellum inter Noribergenses & Albertum, Marchionem Brandenburgensem, à quibus pugnatum est aliquoties ad ipsas cœnobii piscinas. D. Præposita cum conventu sororum Noribergam secesserat, ubi tumultuante foris Marchione quasi in tuto receptaculo latitabat. Vixit post resignationem annis adhuc 12. Obiit anno 1473.

Bellum Noribergense cum Alberto.

6. *D. Anna Ebina*, ex Parreuto, Marchionum Brandenburgensium oppido, in Voitlandiæ montanis ad Mœnum rubeum sito nata, scribendi peritia insignis, cujus pater Alberti Marchionis archimagirus fuerat, constituitur Præposita anno 1461. Præfuit utilissime annis 15. & senio confecta resignavit an. 1476. Vixit postea adhuc novem annis, & obiit anno Domini 1485.

Volckameri, Patricii Norib.

7. *D. Walburgis*, Norica, patre Patricio viro Stephano Volckheimero nata, fœmina prudens & facunda, eligitur anno 1476. Inchoavit & plantavit hortum amœniſſimum. Præfuit ſeptem annis utiliſſime. Obiit anno Domini 1483.

8. *D. Juliana Sagittaria*, Norica, ſucceſſit Walburgi. Præfuit religioſe & prudenter annis decem & reſignans gubernationem vixit adhuc 7. annis. Obiit anno 1500. in die converſi Pauli.

Schlüſſelfelder. Bellum Noribergenſe cum Caſimiro.

9. *D. Anna Schlüſſelfelderina*, Sebaldi præſtantis civis Norici filia, eligitur anno 1493. Præfuit annis 17. quibus & ambitum & alia multa ædificavit. Sub ejus gubernatione magna clade affecit Caſimirus, Marchio Brandenburgenſis, Noribergenſes ad Afflerbachium à ſe cæſos anno Dñi 1502. Poſtea, cum an. 1504. exarſiſſet bellum Bavaricum, ſeceſſit Domina præpoſita cum 20. ſororibus Noribergam. Obiit anno 1510. in die S. Cyriaci.

10. *D. Helena Schlüſſelfelderina*, D. Annæ germana ſoror, ſubrogatur ſorori unanimi conventualium conſenſu. Præfuit 5. annis. Obiit in die Urbani anno Domini 1515.

11. *D. Veronica Scheertina*, è Sultzbachio Palatinatus oppido nata, ſucceſſit Dominæ Helenæ ex hac vita evocatæ. Præfuit 18. annis. Seceſſit in ruſticana ſeditione Noribergam, & ibi cum conventu per duos menſes latuit. Anno vero Domini 1533. reſignans, 18. adhuc menſes vixit. Obiit anno 1535. die Lunæ poſt feſtum trium Regum.

12. *D. Magdalena Kreſſina*, patre Patricio apud Noricos nata, eligitur anno Chriſti 1533. Præfuit annis 15. fideliter. Obiit anno 1548. Plurimum injuriarum & oppreſſionum paſſa eſt in bello Germanico à Cæſareanis militibus hac & illac graſſantibus, à quibus tamen poſtea per ipſius clementiſſimi Cæſaris adventum liberata eſt.

13. *D. Dorothea Sexina*, Noribergenſis, ſucceſſit Dominæ Magdalenæ anno Domini 1548. Præſidet laudabiliter hoc adhuc currente Jubilæo.

PIRCKHENFELDUM, Birckenfeld/ monialium nobili genere natarum, Ciſtertienſis ordinis, ſub cura & viſitatione Ebra-

Ebracensis Abbatis æternæ virginitati dicatarum cœnobium, ad Æstum amnem supra Neapolin in Ostrofrancis situm, fundatum legitur annum Christi circiter 1276. à Friderico, Comite de Zollern, primo Burggravio Noribergensi, & ejus prima conjuge D. Helena, in hoc ipso cœnobio, ut aliqui volunt, & ipsa forte postulavit, deposita & quiescente, cum tamen Noribergæ in Franciscanorum cœnobii choro ejus monumentum conspiciatur cum tali inscriptione: Anno Domini 1309. obiit illustrissima principissa, Domina Helena, senioris Burggravii Friderici conjux, Ducissa Saxoniæ. Habuit hoc cœnobium munificos benefactores, Nobiles Ostrofrancos de Seckhendorff, hos nimirum, quos Rinhoferos vocant. Quadruplices enim fuerunt Seckhendorffii, Rinhofenses, Aberdarrenses, Noltenses, & Hohennegkheri, à castris vel residentiis suis fortasse ita distincti. Hæc omnium Franciæ orientalis familiarum in vulgari dicterio quodam amplissima esse dicitur. Ita enim dicunt Ostrofranci de sua Nobilitate præcipua: *Seinsheimer*, die Aeltsten / id est, cæteris omnibus vetustiores hos esse: ab his enim Nigromontani Comites descendisse dicuntur. *Einheimer*, die Stoltzen / i. e. cæteris superbiores, quòd amantes forte essent & studiosi præter usitatum veterum Francorum morem liberioris alicujus apparatus & paulo splendidioris cultus. *Grumbacher*, die Reichsten / i. e. omnium opulentissimos. *Seckhendorffer*, die Meisten / hoc est, quorum stemma præ cæteris familiis omnibus varie auctum & latissime propagatum sit. Nam illi non in Ostrofrancis tantum, sed in Suevia etiam ac Bavaria frequentes habitant. Hi Seckhendorfferi insignes in hoc cœnobio habent sepulturas, cujus Abbatissarum talis est series, talis catalogus:

Helena, Ducissa.

Nobiles Seckhendorffii, quadruplices.

Comites von Schwarzenberg unde orti.

Præcipua nobilitas Ostrofrancica.

Catalog. Abbatissarum.

1. *Hildegundis.*
2. *Adelheidis.*
3. *Anna.*
4. *Gertrudis.*
5. *Euphemia.*
6. *Barbara.*
7. *Elisabeta.*
8. *Agnes.*
9. *Khunigundis.*
10. *Margareta* de Seckhendorff & Rinhofen eligitur anno 1429. Præfuit 20. annis. Obiit anno Domini 1449.

11. *Dorothea* Abbatissa successit Margaretæ. Præfuit annis 20. Obiit anno 1469.

12. *Anna de Wilmersdorff* præfuit annis undecim. Obiit anno Domini 1480.

13. *Margareta*, ex Dapiferorum *de Pommersfelden* genere nata, præfuit 14. annis. Obiit anno Domini 1494.

14. *Margareta de Seckhendorff* post Dapiferæ mortem eligitur in Abbatissam. Præfuit 21. annis. Obiit anno 1515.

15. *Khunigundis à Gotzfelden* successit Dominæ Margaridi rebus humanis exemtæ. Præfuit 19. annis. Celebratur fuisse reædificatrix collapsi & incendio deleti in seditione rusticana cœnobii. Obiit anno Domini 1534. mense Februario.

16. *Dorothea de Hirscheid* præfuit 6. annis. Obiit anno 1540, ultima hujus cœnobii gubernatrix, relinquens post se unam tantum monialem, Barbaram à Leehenrode, qua discedente cœnobium ab Alberto Marchione occupatum & quæstori Joanni Weickhersreuttero, literato homini, gubernandum commissum est.

Inter hoc Pirckenfeldum & Neapolin, civitatem Brandenburgensium Marchionis Alberti ad Æstum amnem sitam, fuit nuper adhuc ad eundem fluvium, qui & cœnobium & oppidum præterfluit, aliud mendicantium monachorum Franciscanæ professionis monasterium, Rietfeldum. Id à seditiosis rusticis etiam misere devastatum & solo æquatum, hodie Neapolitanorum incolarum cœmiterium tantum est. *Rietfeldum.*

❁ ❁ ❁

POUNDUM, monialium Cistertiensis instituti cœnobium, infra Ravenspurgum civitatem Imperialem, & Vineas Suevicas ad initium sylvæ, per quam itur ad oppidum Waldseeh, amœnissimo & fertilissimo loco situm, sic cœpit, ut ex vetustis libellis collegi. Anno Domini 1227. convenerant piæ quædam fororculæ sub Eberhardo à Rhordorff, Abbate Salemitano, apud Seefeldum pagum Acroniani lacus: hæ sibi domunculam seu oratorium extruentes sex ibi annis & totidem mensibus vixerunt in pia admodum & innocenti conversatione. Postea cum aliis qui-

quibusdam sororculis conjunctæ apud Pussium montem, antiquitus Suevum montem dictum, habitarunt propè Sulgovium oppidum, hodie Dapiferorum à Walburg, ubi quinq; aliis annis iterum cum summa difficultate permanserunt. Erat autem ea tempestate monachus quidam Salemitanus, Burcardus à Weckhenstein: is Sulgovii apud Dominum Conradum, Pincernam de Winterstetten ac Dominum in Niffen, Friderici Imperatoris nomine gubernatorem Sueviæ & Burgundiæ, intercessit pro dictis sororibus id ignorantibus, ut is propter Christum istis sororculis consuleret & auxilio præsidioq; adesset. Conradus autem ad Regem Conradum Haganoam accitus, nihil certi monacho petenti respondere potuit. Ex Haganoa vero reversus revocavit ad se Burcardum, fratrem Salemitanum, qui tum cum Friderico monacho & artium Magistro doctissimo inventus est apud Comitem de Helffenstein jacentem in extremis apud Sigmaringum. Is Burcardus cum venisset, ingressi sunt Conradus Pincerna & Conradus à Winada cum fratre Burcardo monasteriolum, ut viderent statum & vitam ejus loci monialium: cumque eas fundatorem nullum habere intellexissent Conradus Pincerna, pollicitus est se fore fundatorē & constantissimum monasticæ hujus congregationis tutorem ac defensorem: mox itaq; exarce sua frumenta & vina mittens, ad sufficientem monialium sustentationem, statim etiam de commodiori loco construendi cœnobii cogitavit. Elegerat autem ad hoc ipsum primo pagum Geilhofensem, sed adversabantur monachi Augiæ minoris: elegerat & alia loca, sed tamen Poundinus pagus visus est ad extruendum locum sacrum omnium commodissimus. Anno itaque 1230. dedit præfectis suis 180. libras obulorum, quibus ligna ad ædificandum idonea adornari facerent, monasteriumque extrui curarent. Cumq; iam accedentibus aliunde etiam quotidianis subsidiis exædificatum esset, translatæ sunt moniales ex Bussensis montis vicino oratorio Poundum anno Domini 1241. in die Innocentum. Harum gubernatrici & Abbatissæ, Dominæ Annæ à Franckhenhofen, religiosissimæ feminæ, quæ diu præfuerat piis his sororibus antea quoq;, cœnobium commendavit, & ha-

Conradus, à Winterstett.

& habitandum dedit Conradus Pincerna unà cum omnibus ad id pertinentibus bonis, pagis, agris, vineis ac reditibus, quibus uti ac frui libere & licite deberent sub observantiâ religionis & indiligenti exercitio piorum cultuum. Mox vero à patruo suo, Reverendissimo Episcopo Constantiensi, Henrico à Thann, Domino in Waldburg, hoc etiam impetravit ac precibus facile obtinuit, ut recens conditum monasterium digne ab eo consecraretur, quod factum est in octava S. Apostoli Joannis. Quicunq; autem isti consecrationi interfuerunt, hi in Altorffensi vicino pago liberalissime & lautissime excepti ac tractati sunt. Postea elapso biennio, in vigilia S. Matthiæ Apostoli, obiit Dominus fundator, Conradus Pincerna à Winterstetten & Dominus in Niffen, qui cum conjuge sua Domina Guta quiescit in domo capitulari hujus sui monasterii Poundensis in splendido ac de terra elevato tumulo. Sequenti anno, videlicet 1344. dotavit idem monasterium liberalissime Dominus Conradus à Smalneck, fundatoris Conradi gener, qui Imperatoris Friderici II. castra sequutus obiit postea in Apulia & ibi sepelitur apud Barulium seu Brulionium. Ejus conjux Domina Irmengardis, fundatoris filia, post defunctum & in acie cæsum charissimum maritum tanto mœrore perculsa est, ut vitam suam honestissima conversatione sub obedientia regulari deinceps transegerit & in Christo finierit inter sanctas preces ac pia jejunia in hoc ipso monasterio, à parentibus suis laudabiliter fundato & dotato. Hæc maxima etiam hujus monasterii fuit benefactrix studiosissima, eodem loco cum parentibus sepulta. Abbatissas ejus loci habes hoc loco ex ordine breviter subnotatas.

Conrad à Smalneck.

Abbatiss. numerus.

1. *Tudechæ*, prima collectarum sororum prope Bussium parens ac gubernatrix, pia admodum & religiosa femina, præfuit annis quinq; & obiit anno 1232.

2. *Anna*, nobilis virgo de Franckenhofen, successit Tudechæ. Præfuit 12. annis. Obiit anno 1244.

3. *Irmengardis*, Conradi pincernæ à Smalneck relicta vidua, vera fundatoris Conradi & Gutæ fundatricis filia, subrogatur Dominæ Annæ, sed quamdiu præfuerit, in fastos non est relatum.

4. *Mar-*

4. *Margareta Selinin.* Sub ejus gubernatione primum altare Poundenſis cœnobii dedicatum eſt anno 1275. ab Henrico, Epiſcopo Tridentino, in honore S. Trinitatis & Beatæ Virginis.

5. *Chriſtina Holbeunin.*

6. *Adelheidis Aptsreutterina* junior.

7. *Urſula à Prasberg.* Legitur ex hac vita emigraſſe anno Domini 1321.

8. *Adelheidis Aptsreutterina* ſenior.

9. *Catharina de Werdenbergk* Comitiſſa.

10. *Anna*, ex genere Pincernarum de Winterſtetten, obiit anno 1400.

11. *Anna Humpiſin* præfuit per unum ſaltem annum. Obiit anno 1401.

12. *Chriſtina Schindelina*, patritia Ravenſpurgenſis, præfuit annis 33. Obiit anno Domini 1434.

13. *Wandelberga Wilina*, nobilis, obiit anno 1456. cum præfuiſſet annis 22.

14. *Walburgis Euglerina* ſedit ad clavum annis 16. Obiit anno 1472.

15. *Margareta de Campo* præſedit Abbatiæ annis 32. Obiit anno 1504. in die Pantaleonis.

16. *Verena de Campo* præfuit 16. annis. Deceſſit ex hac mortali vita anno 1520.

17. *Anna Schlaibegkhin* præfuit 9. annis, paſſa ſeditioſos agricolas: quibus à Suevico fœdere profligatis, ipſa egregia reſtitutrix & illuſtratrix monaſterii, templiq; reædificatrix fuit. Exceſſit è vivis anno Domini 1529.

18. *Margareta Bregkhina*, ex Feldkirchio Rhetiæ ſuperioris celebri oppido nata, ſucceſſit Dominæ Annæ. Præſidet hoc adhuc currente Jubilæo.

REBDORFFUM, Canonicorum regularium S. Augustini cœnobium præclarum & elegans, ad Altimulam seu Almonum fluvium supra Aichstadium, post ipsam arcem Episcopalem in longe amœnissima valle situm, fundatum ac extrui cœptum est anno Domini 1156. sub Episcopo Aichstetensi, Domino Conrado à Morspeck, Friderici Imperatoris præcipuo & gratissimo consiliario, ab Imperatrice Domina Beatrice, Burgundionum Ducissa, Friderici Barbarossæ secunda conthorali, quæ pagum Rebdorffensem dono dabat Episcopo ad extruendum monasterium. Episcopus Conradus sibi in eo sepulturam vivus adhuc adornavit, in quam mortuus depositus est anno Domini 1171. Cubat in eadem Ecclesia Rebdorffensi media ferè sub insigni ac sublimi marmore illustris Dominus Gebhardus, ultimus Comes de Hirsberg, maximus & cœnobii hujus & totius Episcopatus Aichstetensis (cui totum Comitatum Hirsbergensem legavit moriens) benefactor. De quo Gebhardo ad Conradum secundum, Episcopum, tales extant versiculi.

Ultimus Comes Hirsbergensis.

Montem Cervorum clarum, castrumq; decorum,
Et res Conrado Gebhardus ego tibi trado,
Quas Willibaldi vice susceipias patris almi,
Æternam ut requiem mihi is impetret atq; salutem.

Habuit hoc cœnobium initio sui omnes monachos ferè genere nobiles, quorum gubernator erat præpositus. Hi cum tandem à virtute majorum degenerantes, abjecto religionis, literarum & pietatis studio, venationibus ac commessationibus potius (ne quid amplius dicam) dediti, cum disciplinæ, tum œconomiæ negligentes essent, reformavit totum cœnobium omni laude dignissimus Aichstadianus Episcopus, D. Joannes de Quercu, & ejecta degenere nobilitate, substitutisq; melioribus observantiam regularem introduxit anno Domini 1458. sumta occasione apud Ceratorum horti cœnobium, in quo fuerat, dum Wormatiensia Comitia sui temporis accessisset: cujus loci di-

Kirspar-ten Cœnobium.

sscipli-

sciplina captus, mox domum reversus ex hac ipsa præpositura sua S. Augustini Prioratum fecit. Huic præfuerunt ab ea reformatione ad hæc nostra usq; tempora Priores subscripti.

Priorum series.

1. *Joannes Herdenius*, Magister artium, Francus & Freidenburgo Franciæ orientalis oppido ad Mœnum supra Miltenburgum sito natus, assumitur ex Cerasorum horti cœnobio anno Domini 1458. Præfuit annis 25. & anno 1483. peste graviter in omni vicinia grassante correptus obiit. Sepelitur ante chorum cum duobus fratribus, eodem tempore peste absumtis.

2. *Joannes de Moguntia*, vir prudentissimus, successit. Præfuit annis 12. & aliquot mensibus. Obiit anno 1496. in die D. Erhardi. Sub hoc Priore ingressus est cœnobium hoc ipsum D. Chilianus Leib, quartus hujus cœnobii reformati rector anno 1486. in Divi Andreæ profesto, anno ætatis 16.

3. *Michaël Francus*, Bergensis, prope Geiern arcem natus, præfuit annis septẽ penè. Obiit anno Domini 1503. ipsa die Julianæ, Februario mense. Fuit egregius & admodũ religiosus vir. Sepelitur in sacello D. Annæ, cum Priore Joanne Moguntino.

Ochsenfurt.

4. *Chilianus Leib*, ex Ostrofrancorũ Bosphoro, vulgo Ochsenfurt, natus, vir in literis & linguis multipliciter doctus, successit annno 1503. in die S. Perpetuæ & Felicitatis. Præest adhuc hoc Jubilæo 1550. ætatis vero suæ anno 80. Vidit bella, Bavaricum, Rusticum & Germanicum, quæ omnia copiose descripsit, alioquin etiam vere polygraphus, rector sui monasterii longe utilissimus.

Mariani lapidis Cœnobiolum.

Est ad eundem fluvium Almonum paululum infra hoc monasterium monialium etiam & regularium Canonissarum labore ferè suo victitantium elegans monasteriolum Mariani lapidis cognomento nobilitatum. Id anno Domini 1470. à Guilielmo, Episcopo Eichstetensi, inchoatum, piorum hominum eleemosynis postea auctum & adjutum est.

❁ ❁ ❁

REGII Fontis elegans & præclarum monasterium, ordinis D. Bernhardi vel Cistercienſis, diœceseos Constantiensis, sub visitatione Salemitana, in Brentiana valle prope Brentii a-

mnis & Pfeferii rivi pulcherrimos ampliſſimosq; fontes, & in ipſo Pfeferii inſignis rivi cum Brentio amne coitu, duobus brevibus milliaribus ſupra Giengam Imperiale oppidum, uno vero ab Ala Imperiali civitatula, tribus à Nordlingiaco, totidemque à Suevorum Gamundia (ubi medio itinere eſt *Heuppachium* oppidulum, de quo per jocum dicitur, quod lupus Scultetum in medio illic foro devorarit) loco profecto & amœno & maxime ſalubri, utque breviter omnia dicam, vere Paradiſiaco ſitum, in ſpacioſa eademque cultiſſima valle, ut Ciſtercienſia ferè cœnobia omnia:

Heuppach.

Semper enim valles, ſylveſtribus undiq; cinctas
Arboribus, Divus Bernhardus amœnaq; prata
Et fluvios: juga ſed Benedictus amabat & arces
Cælo ſurgentes, è quarum vertice late
Proſpectus petitur. Seceſſum plebis uterq;:
Sacrarum ſcripturarum ſtudioſus uterq;,
Muſarum & Phœbi: non quem colit ethnica turba,
Sed quem Chriſticolæ natum de Virgine credunt.

Id inquam amœniſſimum monaſterium, fundatum eſt in honorem B. Mariæ Virginis, & S. Bernhardi Abbatis anno Domini 1302. ab Imperatore Romanorum, Alberto Auſtrio, Imp. Rodolphi Habſpurgii filio & in Imperii gubernatione ſucceſſore: ejusq; laudatiſſima conthorali, Domina Eliſabeta, Charinthiæ Duciſſa. De hac fundatione extant varia hinc inde cœnobii parietibus inſcripta epigrammata, quæ huic deſcriptioni inſerere libuit; ea vero talia ſunt:

Prope ſummam aram.

Anno milleno, tercenteno, adde ſecundum,
Inclytus Albertus, Romanæ gloria gentis,
Rex Duxq; Auſtrali noto de ſanguine natus:
Eliſabet conjuxq;, Ducum Charinthia proles,
Addunt ecce manus fortes, ut regia Regis
Fundamenta locent Fontis, quo cetera manant.
Pro meritis tantis ſit parta quies ut eorum
Spiritui ante Deum, lector, precibus rogitato.

Aliud

Aliud hujus fundationis elogium.

Regius hic fons est, quem primum ab origine viva
Austrius Albertus Romanorum optimus ille
Rex simul & Pater eduxit cum conjuge fida.
Cœnobium conjunxit idem prædivite censu,
Ditior ut superas tandem conscenderet oras.

Aliud ejusdem encomion.

Mille sibi Titan confecerat aureus orbes,
Saturnus decies, Jupiter atq; semel,
Cum Christus natus pura de Virgine nobis
Prodiit in lucem regulaq; arxq; suis.
Laudibus ecce potens Albertus, prole creatus
Pannonia, magni rex pius imperii:
Et sata stirpe Ducum Elisabet, justissima conjux,
Quæ Charinthiaca gente creata fuit,
Fundamenta locant Regis de nomine dicta;
Regia Crene aderat cœnobiumq; simul.
Hinc domus illa Dei Reginæ dicitur almæ
Bernhardoq; pio Numinibusq; piis.

Id est, anno Domini 1302. Sol enim secundum Astronomorũ doctrinam in unius anni, Saturnus in 30. annorum, Jupiter in duorum spatio suum cursum absolvunt.

De hac ipsa fundatione ego etiam currente hoc Jubileo tale lusi epigramma, cui per literas numerum Romanum designantes annus fundationis insertus est.

RegIVs hIC fons est, ALberto à rege potente
A DVCe ConstrVCtVs, Pannona terra, tVo,
IpsIVs & generosa & honesta ConIVge ELysa:
ÆternI qVæ sVnt Corpora honesta PoLI.

Est in hujus monasterii vicinia, & recte è regione ejus ultra Brentium fluviolum, saxum quoddam excelsum, undiquaque arboribus cinctum & singulari quasi religione conspicuum: in eo dicitur fuisse antiquitus castrum Heerwardtstein, quod à Comitibus Helffenstei nensibus cum circumjacente territorio emerat pro construenda domo Dei Albertus, Dux Austriæ & Romanorum Rex, primarius hujus loci fundator. Sunt prope Regii hu-

Fontes memorabiles circa fontem Regium

jus Fontis cœnobium quatuor insignes & amplissimi fontes lacuum instar: primus & præcipuus Brentii amnis, ducentis passibus à cœnobio. Secundus Pfeferii centum passibus, in quem si conjiciatur peregrinus & aliunde allatus pisces, excæcari illico solet. Tertius Cochius dicitur. Ex eo enim Cochius fluviolus (à

Cocherthal.

quo vicina quædam Sueviæ pars nomen accipit, das Cochertal) nascitur. Quartus anonymus est, quo fluente charistia futura & annonæ difficultas portendi ac significari creditur. Fluxit vero parumper hoc currente Jubileo, quo Astrologi etiam sequentem annum steriliorem futurum interminati sunt. Catalogum ejusdem loci Abbatum talem ibi inveni ac excepi, cum videndæ amœnissimæ Paradisi ejus ergò superiore anno ad Comitia Augustana iturus accessissem.

Catalogus abbatum.

1. *Henricus, de Salem* vel Salomonis villa assumtus, primus constituitur Abbas Regii hujus Fontis anno Domini 1302. sed quàmdiu is rerum potitus sit, non invenio.
2. *Marquardus.*
3. *Bertholdus.*
4. *Henricus Hubmannus.*
5. *Fridericus.*
6. *Joannes*, de quibus omnibus nihil scriptum repperi.
7. *Alwigus* præfuit 4. tantum hebdomadis. Amplius enim nec de ipso quicquam habetur in literas vel fastos relatum.
8. *Nicolaus*, cognomento Ungarus, patria Ravenspurgius, resignavit, sed quo anno, ignoratur
9. *Joannes de Rinderbach*, vir nobilis, interfuit Concilio Constantiensi, à quo cum rediisset, reddidit Abbatiam his, à quibus ad eam capessendam antea persuasus fuerat.
10. *Hildebrandus de Salomonis* villa assumtus est anno 1426. Præfuit annis 36. Fuit Abbas Infulatus, quod Romæ pro se tantum obtinuit. Resignavit anno salutis 1462.
11. *Petrus Stock*, ex Salemitano cœnobio accitus, post confectum bellum civile, inter civitates & Principes Imperii gestum, in quo misere vastatum & expoliatum fuerat cœnobium, sex tantum præfuit septimanis, resignavitque ob maximam cœnobii pau-

pauperiem & annihilationem, seq; iterum ad Salemitanum suum cœnobium recepit anno Dominicæ Incarnationis 1462.

12. *Petrus Susapffel*, ex Nordlingiaco natus, præsedit Abbatiæ non inutiliter annis 7. Obiit anno 1469.

13. *Joannes Offelinus*, ex Wemdingo Rhiætiæ oppido natus, præfuit annis sex. Obiit anno 1475.

14. *Joannes Sporer*, Nordlingensis, sedit ad clavum cœnobii annis sedecim. Decessit ex hac mortali vita anno Christi 1491. Is diligenti œconomiæ administratione, studiosaq; equorum educatione cœnobium (cujus res graviter attritæ & in angustum prius adductæ fuerant) præclare instauravit & auxit.

15. *Helias Sengius* successit Sporero. Sedit etiam annis sedecim, & anno 1507. reddidit Abbatiam non male à se administratam his, à quibus eam antea acceperat. Ipse privatus adhuc vixit ad annum Christi usq; 1516. quo obiit. Sepelitur in media Laicorum Ecclesia.

16 *Emeramus*, patrio cognomento *Thiem* dictus, ex Wemdingo etiam natus, eligitur in Abbatem anno Domini 1507. Præfuit laudabiliter annis sex. Resignavit paululum ante obitum suum, ita uno & eodem tempore tres Abbates superstites essent in hoc cœnobio. Obiit anno Domini 1513. decima Kalendarum Februarii. Cubat in dextra templi absíde prope D. Beatricem, comitissam Schlusselbergensem. Extant in eius laudes tales versiculi, ex quibus, quid præclari construxerit, colligi potest.

Magnificum templum hoc sexenni construit orbe
Ex fundo, claustrum circuituq; colit.
Jungens huic ædi raptim Xenodochia bina,
Annonam cunctam multiplicare valens.

17 *Melchior Ruff*, ex Hochstadio Danubiano oppido natus, laudabiliter & utilissime præfuit annis 27. Primus intulit pontificalia ornamenta non pro se tantum, sed & pro successoribus suis. Primus itaque Abbas hujus loci Infulatus, de quo in templi choro (ubi terræ parenti redditus est) tale legitur in ipsius perpetuam memoriam scriptum epigramma:

Mel-

Melchior, Abba monasterii celeberrimus huius,
Ruff cognomen habens, hac sepelitur humo.
Prælatus sapiens, solidus mirator honesti,
Consilio & mentis dexteritate valens.
Comis & urbanus, dicendo peritus amussim:
Qui modicum cupiit rite præesse suis.
Papa proinde Leo decimus gestare tiaram
Hunc (quo erat tali dignus honore) jubet.
Ergo precare Deum, quicunq; præibis, ut ipse
Illius æthereа spiritus astra petat.

Vendidit & decimas & domum monasterii in imperiali oppido Reutlingen octo millibus aureorum, retenta tamen aliqua vinorum decimatione. Construxit vero parte harum pecuniarum ustrinas cœnobio vicinas ad Brentianum fontem, in quibus miro labore ac artificio ferreæ fornaces parari solent. Obiit Abbas iste sub finem anni 1539. post cujus discessum cœnobium ab Ulrico, Duce Wirtembergensi (qui ex tutore & advocato raptor jam factus erat) violenter occupatum est.

Ferreæ fornaces ubi parentur.

18. *Ambrosius Boxlerus*, ex Gienga vicino imperiali oppido natus, secundus hujus loci Abbas infulatus, vir admodum humanus, eligitur, recuperato cœnobio è manibus Ducis Wirtenberg. per Divum Imper. Carolum ac Regem Ferdinandum, potentissimos fratres, ut veros, fundatores ac tutores an. 1544. Construxit in marca sua Steinensi magnificam domum eo ipso loco, in quo fuit antiquitus cœnobium: fecit & ad Pfeferii fluvioli fontem unam adhuc ustrinam, in qua ferrum liquari solet, quod prope Alam vicinum oppidum Imperiale foditur & ex quo fornaces adornantur. Præsidet feliciter hoc adhuc currente Jubileo, quo in hac vicinia circa finem Julii civile bellū exarserat inter Ulricum Comitem ab Helffenstein & S.P.Q. Ulmensem, eo quod Comitis subditi & Nellingensens agricolæ (qui Ulmensi reipubl. subsunt) propter pascuorum utrinq; neglectos terminos inter sese digladiarentur. Ulmenses collecto exercitu octo millium agricolarum egressi erant, instructi tormentis etiam ac machinis bellicis, quos Comes cunctator nihil admodum curans, dum de colligendo

gendo tamen equitatu inter cognatos suos, vicinos Comites & Regulos, tacite interea cogitat ac laborat, Imperator interposita authoritate sua, missisq; ex Augusta Vindelicorum (quo habendorum comitiorum ergo venerat) publicis literis, bellum inhibuit, pacemque mandavit magno Ulmensis Reipubl. commodo. Bellum hoc à finitimis *Caprarum Bellum* (quod propter capras *Caprarum bellum.* cœpisset) & in Ulmensium ignominiam, *Pisorum Bellum* vulgatis nominibus, der Geiß- und Schafen-Krieg/ nuncupatum est.

❁ ❁ ❁

ROGKHENBURGUM, Præmonstratensium ordinis magnificentissimum in Suevia cœnobium, duobus milliaribus ab Ulma Sueviæ metropoli, dimidio vero ab oppido Fuggarorum Weissenhorn situm, ædificari est cœptum ano Christi 1126. à Bertholdo, Sifrido & Conrado, germanis fratribus, Comitibus de Bibregk, & à Domina Demutha, Bertholdi Comitis conjuge, quæ Comitissa erat à Zollern. Est in eo celebris sepultura primum fundatorum, postea etiam Dominorum de Asch, imprimis vero Conradi Equitis aurati, & Wolfgangi, utriusque item uxorum ac liberorum. Primi hujus cœnobii gubernatores appellabantur Præpositi, quorum omnium vix sola supersunt nomina, unde in prolixo carmine (quod 19. ætatis meæ ano de Rogkhenburgensium annalibus scripsi) in hunc modum inter cætera lusi:

Præpositos, primos rectores atq; parentes,
Carmine debebam nobilitare meo.
Sed nihil omnino possum decernere certi,
De quibus ipsa etiam Bibliotheca tacet.
Dum nil scripserunt rebus de talibus illi,
Ad quos spectabat plurimum is ipse labor.
Ipsa sepulchra tamen monumentaq; prisca loquuntur,
Bertholdum primum sceptra tulisse domus,
Quem de Kinsegkho testantur saxa Baronem:
Cætera de vita meq; aliosq; latent.
Præpositos alios taceo, cum sola supersint
Nomina, quæ nihil hic utilitatis habent.

Abbates vero ad hæc nostra usq; tempora hi præfuisse leguntur. *Abbatum Series.*

1. *Joannes Deuringerus*, Ingeſtettanns, ex proximo pago oriundus, eligitur anno Chriſti 1440. Præfuit annis 34. Reſignavit Abbatiam anno Domini 1474. Egregius monaſterii illuſtrator deceſſit ex hoc mortali ſeculo anno Domini 1477. Sepelitur in dextra abſide prope chorum.

2. *Ulricus Bellerius*, Gunsburgius, ex Auguſtani Epiſcopi oppido natus, eligitur anno Chriſti 1474. Præfuit annis 10. Deceſſit ex hac vita anno 1484. Condidit ambitum cum contiguo beatæ Virginis ſacello, in quo vivus ſibi ſepulturam ſtatuit.

3. *Georgius Pictor*, primus Abbas Infulatus, eligitur anno 1484. Præfuit annis 21. Obiit anno Chriſti 1505. decima octava Decembrium, in ſiniſtra chori abſide ſepultus.

4. *Joannes Molitor*, Memmingenſis, patre conſule natus, eligitur anno 1505. Præfuit duobus annis & exceſſit è vivis anno Chriſti 1507.

5. *Jodocus Tornator*, Veldenſis, Rhætus in Curienſis Epiſcopalis urbis vicinia natus, eligitur anno 1508. Fuit diligens paterfamilias, adornator & extructor Bibliothecæ ſtudioſiſſimus. Præfuit annis 20. multa cum laude, quibus vetuſtate ruinoſa omnia ex fundamentis reſtituit præclareq; auxit. Obiit anno Domini 1528. viceſima tertia Maij, anno ætatis ſuæ 67.

6. *Joannes Maierus*, ex Bremaco villa Urſpergenſi cœnobio vicina natus, corporis & ingenii bonis præſtans, virq; longe humaniſſimus, eligitur anno Chriſti 1528. Præfuit annis penè 16. quibus ædificia plurima, bellorum partim tempeſtatibus, partim vero vetuſtate vaſtata & collapſa præclare refecit. Obiit anno Chriſtianorum 1543. Sepelitur cum tali epigraphe:

D. M. Æ.

Chriſto pietatiq; devotiſſ. Pater, Joannes Maier, Roggenburgenſis, cœnobii Antiſtes digniſſ. bonorum tutor ſedulus, malorum placidus corrector, acrei domeſticæ diligens adminiſtrator, hoc marmor ſuæ memoriæ vivus P. rerum potitus annis 16. Naturæ ſatisfecit anno ætatis ſuæ 62. noſtræ ſalutis 1543. 6. Novembr.

Tendimus huc omnes.

7. Geor-

7. *Georgius Ehrman*, Memmingensis, vir multis egregiis virtutibus conspicuus, eligitur anno 1543. Praesidet sapienter & utiliter hoc adhuc currente Jubileo. De cujus insignibus tale aliquando lusi epigramma:

Pervolat erecto Paradisum corpore alauda,
In cujus rostro pendet arista gravis.
Verticibus volucris stellarum adjunctus acervus, *Id est, Roggenburgum.*
Judice me, populum talia nempe monet.
Musicus & Phœbo & Musis charissimus, istis
Temporibus, farris castra laremq; regit.
Ille caput superi tollens ad limen olympi,
Ad cœlos facilem quærit & astra viam.

ROTUM vel Rodium, vulgo monachorū Rotum, Münchsrotl/ ad alterius cujusdam Dominarum Rodi in Ostrofrancis siti differentiam sic dictum, magnificum Praemonstratensis instituti cœnobium in Suevia, duobus milliaribus à Memmingiaco, civitate Imperiali, in Haslachii & Rotæ, amœnissimorum fluviolorum medio concursu situm, quorum posterior milliare supra Rodum ortus monasterium ipsum perfluit & ei nomen hoc fecit, postea assumto Haslachio Bonam Cellam monialium cœnobium & Aichstettum, pagum Friburgensium Nobilium, praeterfluens paululum supra Ullmam Danubio confluit: id, inquam, Rodum fundatum legitur anno Christi 1126. à Domina Hemma, illustris Baronis & Equitis aurati, Henrici à Wildenwergk, conjuge, ejus nimirum, qui in Freudenburgo arce habitasse legitur & ex ea excepit filios Rhenigenum & Chunonem, ejusdem cœnobii maximos benefactores, ut habet vetus distichon, quod sacello capitulari inscriptum legitur:

Fundatrice Hemma Rhenigenum credimus esse
Chunonemq; satos, chara hic cum matre sepultos.

Habuit initio hoc cœnobium rectores etiam Praepositos, quorum omnium fere nomina interciderunt, praeter Reinhardi & alterius cujusdam Bertholdi, cujus tale adhuc in templi quo- *Bertholdus.*

dam pariete visitur monumentum ad beatam Virginem matrem:

Hæc tibi dum vi reparatrix unica Mun
xi di.
Soler's conſtru me pœnis excue fun

Abbatum recenſio.

1. Abbatum nomina extant, sed nec illorum omnium: inter quos primum habemus *Odinonem*, hominem sanctæ & piæ conversationis, Dapiferum de Waldburg, sub quo tam potens tamq; magnificum fuit hoc cœnobium Rodense, ut aleret monachos supra ducentos: sorores vero (nam ordo Præmonstratensis utrumq; sexum antiquitus conjunctum habuit) admodum multas etiam, strenuissimam vitam agentes. Legitur is instituisse, &, monachis è suo hoc cœnobio missis, implesse quinq; Ecclesias instituti Præmonstratensis, Wiltaviensem in Helvetiis, Lutrensem, vulgo Kheiserslauttern dictam, Augiensem prope Ravenspurgum sitam anno Dñi 1145. Steingadensem in Rhetis anno 1147. Martalensem ad Danubium anno 1170. ad preces Hugonis, Comitis Palatini Tubingensis, cui Odino in seculo adhuc constitutus serviverat. Obiit Abbas iste Odino anno Domini 1182. Successorum ipsius aliqui desiderantur, quorum nomina vetustas omnia absumens è memoria hominum abripuit.

Wiltau.
Lutra.
Augia.
Steingaden.
Martal.

2. *Eglolphus* de Lutrach præfuit Rhodano cœnobio anno 1356.

3. *Bertholdus* Abbas, in sacello D. Virginis ad introitum sepultus, successit Eglolpho: sed quamdiu ad clavum sederit, ignoratur.

4. *Henricus*, è Martalensi monasterio assumtus, Cæsari Carolo IV. instituit pro monasterii collapsi instauratione, cui præfuit per menses tantum 18. Bonus œconomus, & utilis monasterio futurus, si vixisset diutius.

5. *Martinus*, patria Martalensis, habetur pro secundo Rodensis monasterii fundatore. Collapsum enim & ad extremam inopiam redactum singulari prudentia & diligentia egregie instauravit. Fuit assumtus ex Martalensi conventu. Præfuit annis 30. & obiit anno Christi 1457.

6. Geor-

6. *Georgius ab Ickhenau* eligitur año Christi 1457. Præfuit 13. annis. Obiit anno Dominicæ incarnationis 1470. die 9. Octobr.

7. *Joannes Sigk* Memming. præfuit 3. annis. Obiit an. 1473.

8. *Henricus Gallinarius*, Lindavienſis, egregius œconomus & collector thesaurorum, eligitur anno Christi 1473. Præfuit 26. annis. Erexit sacellum anno Domini 1483. in quo sepultus est, postquam obiit anno Christi 1499.

9. *Conradus Ehrman* senior, ex pago Zell natus, eligitur anno 1500. Fuit egregius extructor & amplificator cœnobii Rodenſis, cui præfuit annis 20. quibus ædificavit majus templum, quod absolvit anno 1506. item sacellum B. Virginis & Bibliothecam anno 1502. Obiit anno 1520.

10. *Joannes Laugingerus*, Biberacenſis, ex rectore Eccleſiæ Steinbacenſis in Abbatem eligitur anno Domini 1520. Præfuit 13. annis. Obiit anno salutis 1533.

11. *Conradus Ehrman* junior, & ipse Zellenſis, senioris Ehrmanni patruelis, artium Philosophiæ magister Friburgenſis, eligitur anno Domini 1533. 2. Maij: præfuit laudabiliter 10. annis. Ædificare cœpit plurima, quæ postea à successore præclare absolutasunt. Obiit anno Domini 1543. tricesima Januarii.

12. *Conradus Spleis*, Bouſtetanus, ex pago prope Biberacum sito natus, vir humaniſſimus, eligitur anno Christi 1543. 9. Febr. Exulavit anno 1547. apud Uberlingam propter crebras Schmaltaldici fœderis in monasterium factas irruptiones; restitutus vero est in vigilia trium Regum à Carolo V. Rom. Imper. in cujus gratiam tale à me de hoc cœnobio lusum est superioribus annis schediasma:

Hemma, potens Domina, Henrici pia & inclyta conjux
Wildenbergenſis nati de gente Baronis,
Auratiq; Equitis fama super æthera noti,
Illa Dei flagrans veræ & pietatis amore
Cum natis Chunone, Renigeroq; decoram
Hanc dedit extructam præclaris sumtibus ædem,
Chriſte Deus, matriq; tuæ, charoq; Parenti
Atq; Tibi, Præmonſtratenſis ut ordinis esset

Apta domus precibus, pietati & religioni.
Hoc te Conradus Spleis, his ego in ædibus Abbas,
Scire volo, Lector, ne nostri ignarus inito I
Discedas. Tu pro nobis pia fata precare.
Hoc ipsum promittimus & nos mente paterna
Facturos pro te cunctisq; fidelibus orbis.

Obiit in autumno anni 1549. in thermis.

13. *Vitus*, cognomento *Textor*, Wangensis, ex parocho Osterkirchensi Abbas factus est anno 1549. Præsidet hoc adhuc currente Jubileo.

SALOMONIS VILLA, vulgo Salmenswiler/vel, ut aliqui volunt, Alemanni villa (etsi non ita antiquum sit, ut Alemanni nomen redolere possit) dictum, omnium monasteriorum Cistertiensis instituti in Germaniis facile pulcherrimum opulentissimumq;, uno milliari ab Uberlinga, civitate Imperiali ad Acronium lacum condita, in ipsa vero Suevia situm: quod aliqui sic dictum existimant, quod ad templi Hierosolymitani similitudinem conditum sit, alii vero à Salomone pastore quodam, primam ibi cellam sibi in oratorium construente, nomen id ei inditum perhibere & affirmare audent. Id, inquam, amplissimum monachorum collegium (in quo hac etiam adhuc tempestate sexaginta invenias monachos) fundatum & locupletatum est sub Innocentio II. Pont. Max. & Lothario Imper. à Guntheramo, nobili ac opulentissimo Barone de Adelsreutte, Equite aurato, qui obiit anno Domini 1138. Hujus insignia fuerunt niger aries in rubea planitie. Consequutum est monasterium hoc maximas opes & facultates per diligentem ac prudentem œconomiæ administrationem. Donatum tamen est etiam munificentissime à plurimis Imperatoribus, à Conrado Suevo videlicet anno Domini 1142. à Friderico Barbarossa anno Domini 1155. tandem etiam ab Eberhardo, vel, ut alii vocant, Burckhardo, Salisburgensi Archiepiscopo, Romanæ sedis legato, qui honorifice in hoc cœnobio humatus, secundus ejusdem fundator & præ-

Guntheramus, Baro.

Comites S. Montis.

& præcipuus ditator fuisse perhibetur. Habitant non procul à Salemitano hoc cœnobio Comites sancti Montis, qui, cum olim monasterium plurimis injuriis afficerent & opprimere conarentur, à Carolo IV. amplius id facere aut præsumere prohibiti sunt, qui cœnobio novas libertates & maxima privilegia impertivit. Multa olim ad idem monasterium contulerunt Comites Montis fortis, qui inter cætera beneficia & hoc fundarunt, ut omnibus ibi equitibus & viatoribus gratuitum pateret per unam noctem hospitium: sed quomodo ista tandem vetus Consuetudo abrogata sit, narratur mirabile quoddam commentum de monacho Diabolum effingente & nocturnis temporibus mirifice in domo hospitum (qua forte fortuna ea nocte receptus erat Comes quidam Montis fortis) tumultuante: quem idem Comes noctu surgens gladio sursum per asserem (cui incubuerat tumultuans monachus) infixo, forte fortuna ita deprehensum transfoderat. Habent in hujus monasterii longe pulcherrimo magnificentissimoq; templo sepulchra & reconditoria sua Nobiles à Bodmen, Gremlichii, Schellembergeri, & Barones Rhordorffenses. Catalogus hujus loci Abbatum talis mihi ab ipso Abbate (qui hodie rerum potitur) benigniter communicatus est.

Monachus fingens se Diabolum transfoditur & interficitur.

Catalogus Abbatum.

1. *Frowinus*, è monasterio Lucellensi evocatus, primus declaratur Abbas Salemitanus anno Christi 1137. sub Ulrico II. Episcopo Constantiensi. Præfuit laudabiliter 28. annis, fideliter bona cœnobii ampliando. Obiit anno Christi 1165. Fuit vir admodum religiosus & suæ gubernationis studiosissimus.

2. *Godefridus* eligitur anno Christi 1165. Præfuit sub Alexandro III. Pont. Max. & Friderico Barbarossa Imperatore, Episcopo vero Constantiensi Othone, Duce de Zeringen, 3. annis. Obiit anno Christi 1168.

3. *Erimbertus* eligitur anno Christi 1169. sub Pont. Alexandro III. Imperatore Friderico I. Episcopo Constantiensi Othone. Præfuit annis septem. Obiit anno salutis 1176.

4. *Christianus* eligitur anno 1176. sub iisdem Pont. & Imperatore, Episcopo vero Constantiensi Bertholdo, Barone de Busnang. Præfuit annis 15. Obiit anno 1190.

5. *Eber-*

5. *Eberhardus*, Comes de Rordorff, eligitur anno Christi 1190. sub Pont. Celestino III. Imper. Henrico VI. Episcopo vero Diethelmo, Barone de Weissenburg & Domino in Krenckhingen. Præfuit monasterio fideliter annis 51. Obiit anno Christianorum 1240.

6. *Bertholdus*, Comes de Urach, eligitur vivente adhuc Eberhardo in coadjutorem, anno Domini 1240. Romana sede vacante, sub Imperatore Friderico II. Episcopo vero Henrico, Barone de Tannegk. Præfuit per unum tantum annum & obiit anno Domini 1241.

7. *Eberhardus* de Wolmantingen eligitur anno salutis 1241. sub eodem Henrico Episcopo, Imp. Friderico II. vacante sede Apostolica. Præfuit 35. annis, & fratri Udalrico volens Abbatiam resignat anno Christi 1276. octo annis ante suam ex mortali vita emigrationem. Obiit tandem anno 1284. Sub ejus gubernatione Eremita quidam & monachus Salemitanus, Henricus Finck, anno Domini 1256. auxiliis Bertholdi Comitis in sancto Monte, fundum liberaliter conferentis, aliud monasteriolum ordinis Cistertiensis in honorem Joannis Baptistæ & S. Catharinæ instituit, in umbilico Montis Sanctorum ad Angulum vulgo dictum, in quo semper unus Salemitanorum habitare hodie adhuc solet.

Henricus Finck.

Anguli Cœnobium in Monte Sancto.

8. *Udalricus Gretter* de Biberaco eligitur año Christianorum 1276. Nicolao pontificatum, Rudolpho Habspurgio Imperium gubernante, Episcopatum vero Constantiensem Rodolpho Habspurgio, Regis Rudolphi fratre, tenente. Præfuit 6. annis. Obiit hydropisi anno gratiæ 1282.

9. *Udalricus de Selfingen* eligitur anno Domini 1282. mense Julio, Martino IV. pontificatui, Rudolpho Habspurgio Imperio præsidente, sub Episcopo Rudolpho. Præfuit laudabiliter annis 30. Ædificavit ex fundamentis penè incomparabilem & magnificentissimam Salemitani monasterii Basilicam è solido quadrato lapide, in qua 28. sunt altaria insignia & duo organa præclarissima. Obiit anno Christi 1311. Ad ejus sepulchrum pen-

Basilica Salemitana.

pendent sequentes etsi inconditi & veterem barbariem egregie redolentes versiculi, sequentium quorundam Abbatum nomina comprehendentes.

Rupe sub hac multa requiescunt corpora patrum,
Qui, dum vita superstes erat, fulgentes honore
Pastorum, baculi quos ornant Abbatiales.
Udalricus, Selsingensis dictus & Abbas
Ecclesiæ præsentis, quam construxit & ipse,
Dum pastoralem hic bis quartus is obtinet arcem.
Nobilis hunc sequitur Ulricus, sede priori
Abbas hic decimus, Comes è Salgans generatus.
Abbatis post hunc Bertoldum etiam Insula comat
Undecimum, quin Doctorem quoq; Theologiæ.
Wilhelmus cognomine Schrailck sequitur duodenus.
Post quem suscipitur Jodocus, nomine Senner.
Hinc Petrus de Ravenspurgo sumitur Ochser.
Subsequitur Georgus, quem Constantia gignit.
Ludwicus post hos Uberlingensis habetur.
Quorum suscepit sordens hæc corpora tellus.
Sed cœli pateant animabus. Regna beata
Impetret ut pia, qui transis, dic salve Maria.
Fiat, ut exoptas, requiem ne dicere spernas,
Ut tibi post mortem æqua ferantur dona salutis.

10. *Conradus de Eslingen* eligitur anno Christi 1311. Clemente V. Pontificatum, Henrico VII. Imperium, & Henrico de Klingenberg Episcopatum tenente. Præfuit annis 26. Eligitur in Episcopum Guriensem: etsi non inveniam, eum illic sedisse. Abbatiam vero resignavit in manus Benedicti XII. P. M. anno Christi 1337.

11. *Udalricus, Comes de Sargans*, eligitur anno Christi 1337. sub Pontifice Benedicto XII. Imperatore Ludovico IV. Episcopo Nicolao de Kentzingen. Præfuit laudabiliter annis 21. Obiit anno 1358.

22. *Bertholdus Dutz*, sacræ Theologiæ professor, eligitur anno Christi 1358. Innocentio VI. Pontificatui, Carolo IV. Imperio,

perio, Henrico à Brandis Episcopatui Constantiensi præsidente. Præfuit annis 15. & Abbatiam sponte resignans fratrem Gulielmum subrogavit anno gratiæ 1373.

13. *Gulielmus Schrailgk*, Abbas quondam monasterii Raitenhaslachiani in Bavaris, eligitur anno Christi 1373. sub Gregorio XI. Pontifice, Wenceslao Imperatore, Henrico de Brandis Episcopo Constantiensi. Præfuit 23. annis. Obtinuit ab Urbano VI. P. M. ornamenta pontificalia omnia, fuitq; primus Abbas hujus loci infulatus.

14. *Jodocus Sennerus* eligitur anno 1395. Bonifacio IX. pontificiam dignitatem, Wenceslao Imperii clavum, Burcardo vero Barone de Hewen Constantiensem Ecclesiam tenente. Præfuit annis 22. Resignat Abbatiam voluntarie anno Christi 1417. Obiit postea anno gratiæ 1429.

15. *Petrus Ochserus*, patria Ravenspurgensis, eligitur anno Christi 1417. Concilii Constantiensis tempore, Martino V. pontificatum, Sigismundo Imperium, Othone Marchione de Rottelen Episcopatum Constantiensem administrante. Præfuit 24. annis. Obiit subitanea morte in villa Ostern anno Christi 1441.

16. *Georgius*, monachus de Constantia, eligitur in Abbatem Salemitanum anno 1441. Felice V. pontificatui, Friderico III. Imperio, Henrico Barone de Hewen Episcopatui præsidente. Præfuit annis penè 19. Resignavit Abbatiam anno 1459. Fecit fieri majus Organon, cujus maxima & medioxima fistula habet in longitudine pedes 28. in circumferentia spithamas quatuor: item Cadum stupendæ magnitudinis, quem incolæ *Paricis* appellatione toti ferè Germaniæ notissimum fecerunt: in eo aliqui monachum olim vinorum inspectorem periisse affirmant. Ædificavit & ornatissimum pistrinum, magnam incudem, majorem monstrantiam, ut vocant, & majorem Crucem deauratam: omnia construens magna, quod argumento est, & ipsum fuisse non admodum parvum.

Organum magnum.

Cadus magnus.

17. *Ludovicus Oswaldus* ex Uberlingen, civitate Imperiali ad Acronium lacum sita, sacræ Theologiæ professor, eligitur anno Christi 1459. Pio II. Pontificatum, Friderico III. Imperium, Hen-

Henrico Barone de Hewen Episcopatum Constantiensem administrante. Præfuit 12. annis. Resignat Abbatiam infirmitatibus & afflicta valetudine gravatus anno Christi 1471. & non multo post decessit ex hac vita.

18. *Joannes Stantenat*, Lucellensis antea Abbas, eligitur in Abbatem Salomonis villæ anno 1471. Papatum Sixto IV. Imperium Friderico III. Episcopatum Constantiensem Hermanno de Landenberg tenente. Præfuit annis 24. Ædificari fecit inter cætera multa æstivale refectorium longe pulcherrimum. Obiit anno 1495.

19. *Joannes Scharpffer*, de Mimmenshusen vicino pago, eligitur anno Christo 1495. Alexandro VI. pontificatum, Maximiliano Imperium, Thoma de Cylia Episcopatum gubernante. Præfuit annis 16. fidelissime. Fuit optimus œconomus. Ædificavit Bibliothecam, & sacellum, quod est sub Bibliotheca ornatissimum. Obiit anno Christi 1510. in die S. Francisci ante prandium.

20. *Jodocus Negkarus*, patria Uberlingensis, studuit Parisiis divinæ & humanæ philosophiæ, vir (ut illa tempora ferebant) eximie doctus & formatus (ut vocant) Baccalaureus. Eligitur anno Christi 1510. in die S. Dionysii, Julio II. pontificatum, Maximiliano Imperium, Hugone de Landenberg Episcopatum Constantiensem administrante. Præfuit utiliter annis 18. Obiit anno Christi 1529. ætatis suæ 47. Sub hoc ædificata est Pfullendorff magnifica domus Salemitanorum à Conrado Trostheimero, Bursario Salemitano.

21. *Amandus Schefferus*, Argentoratensis, vir optimus, non minus ad religionem quàm domesticam curam genitus, eligitur anno Christi 1529. Clemente VII. pontificatum, Carolo V. Imperium, & Hugone de Landenburg Episcopatum gubernante. Præfuit annis sex. Moritur plenus dierum Uberlingæ anno Christi 1534. ubi sepelitur in cœnobio Minorum. Cœpit ædificare magnificentissimam domum Uberlingensem, quam sequens absolvit.

22. *Joannes*, Piscatoris Mimmenshusani filius, vir doctus piusq; fratrum amator, eligitur anno Christi 1534. circa festum visitationis Marianæ, sub Paulo III. Pont. Max. Divo Carolo V. Imperatore, Episcopo vero Joanne de Lupffen. Præfuit annis 9. Obiit anno salutis 1543. quarta Novembr.

23. *Joannes Appenczeller*, è Constantia genitus, eligitur anno 1543. circa festum Martini, sub Paulo III. Papa, Carolo V. Imp. Joanne Archiepiscopo Lundensi. Præest adhuc hoc currente Jubileo podagricus. Ædificavit anno 1548. præclaram domum, quæ omnium eorum habitatio esse debet, qui mechanicas artes in eo cœnobio exercent. Fecit anno eodem aliud etiam vas stupendæ & admirandæ magnitudinis, ad similitudinem prioris *Paricis*, quadraginta vini plaustrorum capax, quod in longitudine 25. pedes habet.

Cadus stupendæ magnitudinis.

In hujus cœnobii vicinia est sancti Montis castrum ejusdem nominis Comitum, quos alio nomine Fürstenbergenses vocant. Dicitur Mons Sanctus à S. Felice & S. Regula illic sepultis. Ad radices ferè ejus Montis situm est Bechium monasteriolum Franciscanarum monialium, quod cœpit annum circiter 1412. ex piorum hominum eleemosynis, & sororcularum illic habitantium laboribus sustentatur. Postea liberaliter donatum est à parocho quodam Hasenwilensi, Joanne Sutore, Sulgoviano, qui suis sumtibus construxit pro monialibus habitationem paulo ampliorem & firmiorem. Comites Sancti Montis sunt tutores & benefactores maximi ejus loci monialium.

Mons Sanctus. Bechium Cœnobium.

❁ ❁ ❁

SCLARÆ monasterium in urbe Curiana apud Voitlandos, arci omnino contiguum, monialium & tantum nobilium puellarum æternæ castitati devotarum insigne ac opulentum collegium, in quo mihi puero olim oculos dolenti collyria divina gratia feliciter adhibuit nobilis & admodum religiosa monialis, Domina Brigitta Rorerin: id, inquam, fundatum est anno Christi 1348. à Domina Gertrude, nobili fœmina de Huttenhofen, quæ ejusdem sui cœnobii prima legitur designata Abbatissa. Habuit ea ipsa ex marito, Barone Widensi, filium Henricum, Comitem

tem Widensem. Is cœlibis vitæ studiosus & religionis imprimis amans, in Dei gloriam ac sui suorumq; memoriam in hoc seculo etsi non sempiternam, tamen maxime diuturnam, huic ipsi monialium cœnobio contiguum fecit & extrui curavit Franciscani instituti monachorum elegans sane & amplum monasterium, in quo filium suum Henricum convocatorum monachorum gubernatorem, seu, ut vulgo vocant, Guardianum primum constituit ipse. Id nunc S. P. Q. Curiensis in laudabilem ac honestissimam scholam, verissimum virtutis & honestæ disciplinæ domicilium commutavit, cui præest hac ætate *M. Joan. Streitbergerus* Curio, vir eximie doctus & ab incunabulis fere Theseus mihi ex animo charissimus. Abbatissarum S. Claræ talis habetur catalogus.

Franciscanum monasterium Curiense.

Schola Curiana.

Series Abbatissarum.

1. *Gertrudis* ab Huttenhofen, cujus soror Domina Thela, & hujus filia Catharina confundatrices fuisse leguntur.

2. *Agnes*, Comitissa de Orlemund, cujus parentes Xenodochii Curiensis, ejus nimirum, quod ad Salam situm est, fuerunt munificentissimi fundatores.

3. *Anna*, Comitissa de Orlemunde.

4. *Helena*, Comitissa de Orlemund, cujus parentes & majores magni fuerunt ejusdē cœnobii benefactores. Horum unus Sigismundus in vicino Franciscanorum cœnobio humatus obiit anno 1447. Prope quem cernitur etiam sepulchrum Joannis, Ducis cujusdam Megalopyrgii, quem saxum loquitur decessisse ex hac vita anno 1474.

5. *Catharina*, Burggravia Norica, Friderici IV. filia. Habuit sororem Annam, Abbatissam in Cœli corona.

6. *Agnes*, Catharinæ Burggraviæ germana soror, præfuit annum Christi circiter 1376. quo anno cœnobium multis libertatibus & bonis prædiis donatum est à Friderico Burggravio, hujus Abbatissæ parente.

7. *Catharina à Kotzau* diutissime & felicissime præfuit, maxima cœnobii sui benefactrix ac illustratrix.

8. *Margareta*, Marchionissa Brandenburgensis, Alberti cognomento Achillis Germanici filia, præfuit anno 1486.

9. *Agnes ab Hirsberg.* 10. *Ursula à Dobneck.*

11. *Veronica à Dela*, Domina valde religiosa & honesta, quæ obiit anno 1549.

12. *Æmilia à Wirsberg*, & honestissima & prudentissima Domina, eligitur anno Domini 1549. Præsidet hoc adhuc currente anno Domini 1551.

S. Claren. S. CLARÆ monialium cœnobium Noribergense, omnium (quæ urbs illa monasteria intra mœnia sua habet) spaciosissimum & amplissimum, cœpit anno Domini 1278. sub Comitiis à Rudolffo Imperatore Noribergæ celebratis. Translatis enim in urbem pœnitentibus sororibus, quæ foris prius ad nemus Noribergense in Divæ Mariæ Magdalenæ perveteri sacello, quod antiqua monumenta anno Domini 1092. ante urbis sub Henricis vastationem conditum & à religioso Noribergensi populo admodum frequentatum esse testantur, à Gregorii IX. temporibus usque ad Gregorii X. ætatem sub Divi Augustini regula militarant, damnatis tunc in Lugdunensi Synodo quorundam sectis, sorores etiam istæ, abjecta pœnitentium S. Augustini damnata professione, S. Claræ ordini publice approbato sese dedunt ac incorporari faciunt anno 1274. Post hanc incorporationem anno 4. facta est translatio & secessio è nemore in urbem, quo tempore plurimum auctus dicitur conventus S. Claræ. Nam inter multas alias bono loco natas puellas & fœminas venit in eandem congregationem sub Comitiis nobilis Domina Guta, Illustris Domini Eberhardi ab Heertingsberg Equitis aurati conjux, cum tribus filiabus, Guta, Leutgarde & Agnete, quarum Pater Eberhardus arcem suam Bergensem unà cum toto Monte (qui milliare à Noriberga abest & nostra ætate frumenti feracissimus à quibusdam *Hertonis Mons*, ab aliis vetustus Mons appellari solet) dabat ad exædificationem hujus cœnobii, quod aliis etiam annuis proventibus præclare auxit, quemadmodum etiam Franciscanorum monasterium (cujus ipse cœnobita fuisse legitur) amplissime dotavit. His ipsius temporibus erant duo honesti Cives Noribergenses, germani fratres, Fridericus ac Eberhardus Ebneri, qui ingressi Franciscanum cœnobium ibi monasticen

Der Altberg.

Ebneri Patricii.

sticen professi sunt, quorum alter totius conventus Confessor fuisse, alter Laicus mansisse dicitur. Hi fundum dederunt ad utrumq; monasterium, Franciscanorum videlicet & S. Claræ construendum. Catalogus hujus loci Abbatissarum talis extat, à Domina Pirckeimerina, agnata mea, mihi communicatus. *Catalog. Abbatiss.*

1. *Kunegundis* præfuit aliquot annis usque ad annum Christi 1280. Sub ea facta est translatio è sacello primo D. Mariæ Magdalenæ in urbem.

2. *Hedowigis Pfintzinga*, Patricia Norica, successit Dominæ Kunigundi. Præfuit annis 13. ad annum usq; 1294.

3. *Guta* præfuit anno 1294. & mox postea resignavit.

4. *Adelheidis* præfuit anno Domini 1295. Huic Papa Bonifacius IIX. dedit privilegium, quo moniales S. Claræ exemtas esse statuit ab omnibus exactionibus, muneribus & oneribus civilibus anno pontificatus sui secundo.

5. *Kunegundis* anno 1297.

6. *Guta* superior revocata præfuit anno 1299.

7. *Adelheidis* præfuit anno 1300.

8. *Guta* ab Ehingen præsedit anno 1303. & sequente.

9. *Irmelgardis* Monetaria constituitur Abbatissa anno 1305. Præfuit 2. annis & resignat.

10. *Margareta* præfuit ab anno 1307. ad annum usq; 1309. quo Irmelgardis ad officium revocata iterum præfuit 2. annis.

11. *Kunegundis* à Dietenhofen sedit ad Abbatiæ clavum ab anno Domini 1311. ad annum usque Domini 1317. quo tertio rediit ad gubernationem monasticæ hujus societatis optima Domina Irmelgardis Monetaria, quæ præfuit iterum 5. annis integris, ac tertio resignavit. Post ejus abdicationem gubernatio cœnobii iterum commendata est Dominæ Kunigundi anno 1323. quæ cum per unum adhuc annum sedisset ad clavum, rursus alteri è sororibus honor gubernationis oblatus est.

12. *Guta Schultessina* igitur electa præfuit 3. annis post Kunegundin.

13. *Gertrudis Schulsburerin* eligitur anno 1327. Præfuit annis quinque.

14. *Irmel-*

14. *Irmelgardis Monetaria*, quarto jam Abbatissa constituitur anno 1332. Præsedit per annum unum tantum, & in Domino obdormivit anno 1333.

15. *Guta Ebnerin* successit defunctæ Irmelgardi. Præfuit 2. annis & alteri cessit.

16. *Kunigundis* à Bamberga designatur Abbatissa anno 1335. Præfuit per biennium, & gubernaculum unanimi sororum consensu eidem, à qua acceperat nuper, reddidit: quæ sedit etiam per biennium.

17. *Elisabeta* Aisterin eligitur anno 1339. & sequente anno resignat conventui, qui recepit ad gubernaculum Dominam Kunigundin à Dietenhofen, ob insignem pietatem ac morum convenientiam. Hæc jam tertio assumta cum præfuisset post resignationem Elisabetæ 4. annis, decessit & ipsa ex mortali vita anno 1344.

18. *Engelburgis*, ex patre Hallero, Patricio Norico, nata, successit Dominæ Kunigundi anno 1344. Præfuit laudabiliter 5. annis & resignat anno 1349.

19. *Margareta* post Engelburgin præfuit per unius saltem anni spatium, & postea revocatur superior Elisabeta, quæ præfuit adhuc per quinquennium integrum & obiit anno Domini 1355.

20. *Margareta Sechsina* successit anno 1355. Præfuit annis ferè septem.

21. *Agnes* Abbatissa præfuit per annum unum.

22. *Margareta Pfintzinga* Patricia præfuit anno 1363.

23. *Margareta Radinegkberina* præfuit anno sequente.

24. *Elisabeta Stromerin*, Patricia, præfuit anno 1365. & sequente.

25. *Margareta Schürstabina*, Patricia, præfuit ab anno 1367. usque ad annum 1370.

26. *Petronella*, nobilis Domina à Streitberg, successit Schürstabinæ. Præfuit per triennium.

27. *Agnes Holtzschuherina*, Patricia, eligitur anno 1373. resignavit anno 1380.

28. *Ca-*

28. *Catharina Hoffmännin* succeſſit reſignanti Agneti. Præfuit per biennium, & clavum reddit ei ipſi, à qua ipſa eum nuper acceperat. Præfuit itaque Domina Agnes ab anno 1382. annis 7. cumque iterum cederet, ſucceſſit iterum Catharina, & ab anno 1389. ad annum usque præfuit 1393.

29. *Margareta à Wiſentaw* ſucceſſit Catharinæ. Præfuit duobus annis.

30. *Agnes Gensmannin* præfuit annis ſex, & anno Domini 1401. repetitur ad clavum nobilis herois à Wiſentaw, quæ cum iterum per biennium præfuiſſet, iterum magiſtratu ſeſe abdicavit.

31. *Eliſabeta Schürſtabina*, Patricia, eligitur anno 1403. Præfuit annis tribus.

32. *Clara Stromerina*, Patricia, eligitur anno 1406. Præfuit ſex annis.

33. *Catharina Pfintzingin* deſignatur Abbatiſſa anno 1412. Præfuit 5. annis.

34. *Anna*, Coleri Patricii Noribergenſis filia, conſtituitur anno 1417. Præfuit 3. annis.

35. *Catharina*, Patre Volcamero Patricio viro nata, eligitur anno Domini 1420. Præfuit 10. annis.

36. *Anna Hortulana* eligitur anno 1430. Præfuit 9. annis.

37. *Margareta Volcamerina*, Patricia, conſtituitur Abbatiſſa anno Domini 1439. Præfuit annis duobus.

38. *Agnes Hubnerina* eligitur anno 1441. Præfuit 9. annis.

39. *Clara Gundelfingerina* ſucceſſit Agneti anno 1450. Jubileo. Præfuit laudabiliter 10. annis integris & reſignavit.

40. *Margareta Ortlobina* eligitur anno 1460. Præfuit 2. annis, & reſignanti huic iterum ſubſtituitur Domina Clara Gundelfingerina anno 1463. quæ præfuit adhuc 3. annis.

41. *Anna Tintnerina* conſtituitur anno 1466. Præfuit annis 4.

42. *Margareta Grundherrin*, Patre viro Patricio nata, eligitur anno 1470. Fuit S. Claræ Egrani cœnobii multorumq; aliorum reformatrix: ſui vero Noribergenſis ſtudioſiſſima reædificatrix. Præfuit annis 18. & obiit anno Domini 1488.

43. *Helena Myſia* ſucceſſit Dominæ Margaretæ. Præfuit annis 15. Obiit anno 1503.

Charitas Pirckheimerina.

44. *D. Charitas Pirckheimerina*, doctiſſimi Patricii Noriber. genſis & conſiliarii Imperatorii, Domini Bilibaldi Pirckheimeri ſoror, latine & docta & facunda virago, cujus aliquot extant ſcriptæ epiſtolæ ad Conradum Celtem Poetam & Doctorem Chriſtophorum Scheurlium Jurisconſultum, eligitur anno 1503. Præfuit laudabiliter annis 29. Obiit anno Domini 1532. ætatis ſuæ 66. Fuit ſtudioſiſſima collectrix inſignis Bibliothecæ.

45. *D. Clara* Charitati defunctæ ſorori ſuæ ſucceſſit. Præfuit 17. tantum ſeptimanis & obiit anno 1533. Fuit & ipſa Bilibaldi ſoror, Domina prudentiſſima.

Catharina Pirckheimerina.

46. *D. Catharina*, Bilibaldi Pirckheimeri doctiſſimi viri filia, præclara & facunda Domina, latinarum literarum perſtudioſa, eligitur anno 1533. Præſidet hoc adhuc currente Jubileo, 23. ſororum honeſtiſſima gubernatrix. In hujus optimæ agnatæ & fautricis meæ gratiam multa à me ſcripta ſunt, præcipue vero ſequentes elegiæ, quas huic loco adjicere non incongruum plane viſum eſt. Tu, lector, quisquis es, quod bono ſtudio tibi & poſteritati communicamus, amanter accipe, & quod maxime te decat, æqui boniq; conſule.

De tribus poſtremis Abbatiſſis S. Claræ apud Noricos elegidion.

Inſigni multas Dominas virtute refertas
Hæc ſanctæ Claræ nutriit alma domus,
Quam Comes Hertenbergenſis generoſus Ebrardus,
Conjuge cum Guta nobili & eximia,
Natabusq; ſuis Guta & Leutgarde pudicis,
Atq; Agnete pia, nobile fecit opus.
Multas hæc, inquam, domus illuſtresq; piasq;
Nutrivit Dominas, quas modo olympus habet.
At quas non Dominas, ſed Divas dicere poſſes,
Præcipuas habuit tres veneranda domus,
Ex Pirckeimeri Bilibaldi ſtirpibus ortas,
Doctrina inſignes, relligione, fide.

Pri-

Prima Charis, Bilibalde, soror tua, quam celebravit
Insigni Celtes carmine sæpe suo.
Quæ latio sermone loqui, quæ scribere norat,
Scribendum toto quicquid in orbe foret.
Altera, Clara soror Bilibaldi etiam ipsa, perenni
Quæ nunc cum Christo vescitur ambrosia.
Tertia, quæ sacris laribus nunc præsidet, atq;
Præsideat felix incolumisq; diu.
Hæc Pirckeimeri Bilibaldi filia solers
Nomen Diva refert, ô Catharina, tuum.
Sed non exiguum & nudum tantummodo nomen,
Virtutes magis hæc exprimit ipsa tuas.
Est facunda, diserta, humana, bonisq; benigna
Omnibus, & doctis omnibus æqua viris.
Huic donet supera cœli moderator ab arce,
Cœli quicquid habent aurea templa boni.
Sit clemens ipsi tellus, aqua, & ignis, & aër,
Quicquid & hæc orbis machina tota capit.

Ad D. Catharinam, Abbatissam S. Claræ.

Accipe Diva parens, quod amas, Catharina, poëma,
O Pirckheimero filia digna patre.
Accipe, quam tibi fert studiosus amansq; Poëta
Ille tui, strenam è paupere rure datam.
Sic qui temporis est pater & rex optimus omnis,
Natalemq; affert jam, Catharina, tuum,
Cumæa sinat incolumem per secula vatis
Te nobis, quam tu pectore & ore refers.
Pectore, quod varia plenum est sapientia & arte,
Ore, quod eloquio & relligione nitet.

In natalem Domini nostri JESU Christi, in gratiam Dominæ Catharinæ Pirckheimerinæ, ad urbem Bethlehemicam.

O urbs sancta Dei, quæ summo chara Tonanti,
Cœlestis panis diceris esse domus,

Quæso vide, quam sint in te & sub mœnibus ipsis
Hoc miracla die grandia visa tuis.
Cunctarum ecce Deus rerum toto orbe creator
Ad matris pendens ubera, quærit opem.
Hic infans alimenta petit, ditissimus omni
Tempore, qui humanum pascit alitq; genus.
Ponitur in præsepe Deus, cunisq; ligatus,
Crura dedit laceris involuenda peplis.
Fasciolis penè attritis, miserisq; lacernis
Sunt extensa Dei brachia, suntq; manus:
Felices sanctæq; manus, quibus optimus infans
Nunc etiam humanum convocat omne genus.
Jam jacet in cunis angustis atq; pusillis,
Qui vere toto est major & orbe Deus.
Virgo alludit & arridet pulcherrima mater,
Seq; redemtorem gaudet habere suum.
Ipse puer blandos ad matrem intorquet ocellos,
Omne quibus nostrum cernit ab axe genus.
Precatio. *A nobis quos ne tu avertas, Christe redemtor,*
Imploramus opem nos tua turba tuam.
Et, qui assumsisti pro nobis pondera carnis
Humanæ, & quicquid vita laboris habet,
Peccato excepto, es similisq; per omnia nobis
Factus in hac vita prætereunte cito,
Aspice nos blandis oculis, quibus aspexisti
In parvis cunis matrem aliquando tuam.
Nosq; tuos miseros fratres miserasq; sorores
Perpetua tecum prosperitate bea.

De S. Catharina Virgine, in gratiam Dominæ Catharinæ Pirckheimerinæ, Abbatissæ Noricæ, equestre schediasma.

Ponitur in templis sacras Catharina per aras,
Virgo Dei, magno rege parente sata,

Non

Non quod adorari mortali debeat ore,
Olim ut adorata est Cypria forte Venus,
Aut velut ingeniosa etiam & Mavortia Pallas:
Exemplo sed quod debeat esse pius.
Ut quoq; nos Dominum vere & constanter amemus,
Fundendus nobis sit cruor ipse licet.
Tormentisq; acti ne deficiamus ab ipso,
Mente sed intrepida confiteamur eum.
Nam Catharina rotam & gladium perferre tyranni
Maluit, à Domino quam recidisse suo.
Maluit omne pati genus irarumq; necisq;,
Quàm temere Dominum deseruisse Deum.
Hanc nos eximiam virtutem imitemur in illa,
Et nos discipulos virginis esse juvet.
Sic aderit nobis etiam pugnantibus Heros,
Tartara qui vicit solus & astra tenet.
Ille suum nobis robur dabit ocius omne,
Mortis & inferni ne metuamus opes,
Verum infracti animis & corpore, ut omnia contra
Robusto stemus nostra pericla pede.
Ille per externam nos ducet in atria mortem,
Quæ sunt ante aliquot secla parata piis.
Et quia tu quoq; ad hanc patriam, Catharina pudica,
Contendis pedibus, corpore, mente, fide,
Istius exemplum constantis sume puellæ,
Cujus in hac vita nomina casta geris.
Inq; fide Christi, in cœlestis patris amore,
Infracto constans pectore & ore mane.
Hunc profitere atque ante omnes res dilige vere,
Sic quoq; te nunquam deseret ipse Deus,
Qui Catharinam istam juvit, defendit, & illam
Extulit Angelicis in sua regna choris.
Ille tuis aderit sanctis conatibus idem,
Is te roboribus induet ipse novis,

Ut possis contemnere mundum, & quicquid avarus
Mundus habet, flagrans semper amore Dei.
Sic tibi continget superi sapientia regni,
Quam divæ nymphæ denotat ipse liber.
Non præses fuit hæc studiorum namq; bonorum:
Est præses quorum spiritus ipse Dei.
E cujus cerebro est omnis sapientia nata:
Solus is in nobis talia dona creat.
Sed gerit illa librum, ex quo Christi cognitionem,
Vere cœlestes ebriaq; hausit opes:
Has doctrix iterum totum dispersit in orbem,
Propagans Domini verba sacrata sui.
Has si sic nos virtutes imitabimur hujus
Virginis illustris, nobilis atq; piæ,
Nos recte illam ipsam & vera pietate colemus:
Sed facere hoc ipsum nos, bone Christe, doce.

Salutatio Angelica in gratiam ejusdem D. Catharinæ Abbatissæ, versibus elegiacis comprehensa.

Salve Virgo, Dei genitrix, ô Diva Maria,
Quam princeps Deus & totus olympus amat,
Cui Deus à dextris nunquam non assidet ille,
Qui genus humanum liberat atq; beat.
Quam Dominus custodit & omni ætate tuetur
Clemens ille Deus, propitiusq; Deus.
O Princeps mulierum, alma ô regina Deorum,
O muliebris honos, Virgineumq; decus.
O semper felix, ô terq; quaterq; beatus
Est uteri fructus, regia Diva, tui,
Christus ab æterno genitus, Patris unicus ille
Filius æterni, & filius ille tuus.

S. Catharinæ monialium cœnobium.

Est vero & aliud monialium cœnobium intra muros Noribergensis urbis, S. Catharinæ dedicatum, ordinis Prædicatorii ad Pegnesum amnem situm. Id anno Christi 1294. à cive quodam Norico, Conrado de Neumarca, fundatum & constructum legi-

legitur. Primæ moniales ex Dominarum Auraco accitæ sunt. Reformatum id est anno Christi 1428. ex cœnobio Schonensteinbach. Templum, quod hodie adhuc illic conspicitur, à cive Norico, Cratone *Langio*, conditum est. Habuit hæc monialium congregatio semper gubernatrices Priorissas. Harum à reformatione talis est ad hæc nostra tempora series & catalogus.

Schonensteinbach cœnobiũ.

Priorissarum series.

1. *Gertrudis Gwichtmacherin* eligitur año 1428. Præfuit 41. annis. Obiit anno Domini 1469.

2. *Kunigundis, Halleri*, Patricii cujusdam Norici filia, successit Gertrudi. Præfuit 29. annis. Decessit ex hac lachrymarum valle ad vitam meliorem anno 1498.

3. *Berenice vel Veronica Bernhardina* eligitur anno 1498. Præsidet 28. annis. Obiit anno Domini 1526.

4. *Catharina Coleri*, Patricii viri apud Noribergenses filia, subrogata Berenicæ præfuit annis 10. Obiit anno 1536.

5. *Felicitas Tucherina*, & ipsa Patricio sanguine apud Noricos nata, eligitur anno 1536. Præest adhuc prudenter & utiliter currente hoc anno 1551. Inter hæc duo amplissima monialium cœnobia est in urbis penè umbilico Franciscani instituti monachorum amplissimum etiam monasterium, à strenuo & nobili viro, Domino *Conrado Waldstromero*, cive Norico & Equite liberoo fundatum, quem tumulus saxeus sublimis & magnificus (qui in medio cœnobii templo visitur) año Domini 1266. ex hac mortali vita decessisse loquitur. In ejusdem templi choro multa sunt diversorum utriusq; sexus regulorum præclara Mausolea, Dominæ Annæ à Nassaw, Burggravii Friderici filiæ, quæ obiit anno Domini 1353. Comitis Emichonis de Nassaw, qui obiit anno 1342. & ejusdem sororis Helenes, quæ virgo obiit anno 1344. Dominæ item Helenes, fundatricis Pirckhenfeldensis, quæ Ducissa Saxoniæ & Friderici senioris Burggravii Noribergensis conjux, obiit anno 1309. Postea etiam Dominæ Adelheidis, quæ Friderici Burggravii soror, Palatino Kraiburgensi Rapoldo desponsata, obiit anno 1304. Hartmanni Comitis de Werdenberg, & Ducis Othonis, honorabilis cujusdam Principis, qui legitur obiisse anno Domini 1339.

Franciscanum cœnobium Noribergense. Conrad. Waldstromer, P. N.

S. CRU-

S CRUCIS Augustanum cœnobium instituti & ordinis regularium Canonicorum S. Augustini, ex Hamelbergo (ubi antea situm fuerat) in Augustam Vindelicam translatum est anno Domini 1194. per Episcopum Augustanum, Udalschalcum, Comitem à Thennenlohe, primum hujus cœnobii intra Augustanæ urbis mœnia fundatorem: quod primum à Marsallis de Biberach in Mutterhofen pago inchoatum, mox inde à Conrado, Antistite Augustano, Comite Luzelnsteinio, in Hamelbergum montem Augustanæ urbi vicinum, & inde tandem iterum, ut prius dictum, ab Udalschalco in urbem translatum est. In eo semper divertere solet Legatus Pontificius, si quis è Roma ad Imperialia Comitia Augustæ celebranda mittitur: quemadmodum hoc currente Jubileo, à Julio III. P. M. missus est cum potestate Legati de Latere Reverendissimus in Christo pater ac D. D. *Sebastianus Pighinus*, Archiepiscopus Sipontinus, summiq; Pontificis in judicio Rotæ locumtenens, qui singulari clementia labores hos meos intuens, quos per decennium jam penè in celebrandis Ecclesiasticis Germaniæ monumentis fero, authoritate Apostolica Comitem Palatinum me in hoc ipso cœnobio creavit, satis liberaliter ostendens, quo sit erga omnes honestas literas animo, qua pietate affectus. Rectorum vero hujus loci (præpositos vocant) talis extat catalogus.

Bruschius fit Comes Palat.

Præpositorum successio.

1. *Bertholdus* eligitur anno 1199. vir sacris studiis totus deditus. Quàmdiu præfuerit, aut quo anno obierit, ignoratur.
2. *Udalricus* præfuit anno 1234.
3. *Bertholdus* anno 1270.
4. *Henricus de Laugingiaco* eligitur anno 1298. Præfuit prudenter annis 46. Decessit ex hac vita anno Domini 1344.
5. *Arnoldus* Henrico successit. Præfuit 14. annis. Obiit anno 1358. 5. Kalend. Aprilis.
6. *Udalricus Gerstboferus* præfuit 27. annis. Obiit anno Domini 1386. sepultus ad aram S. Egidii.
7. *Conradus*, præfuit annis vix duobus integris.

8. *Hen-*

8. *Henricus* constituitur præposituræ gubernator an. 1388. Præfuit per unum saltem annum. Obiit anno 1389.

9. *Udalricus Henrico* successit & eodem anno etiam decessit.

10. *Petrus* eligitur in præpositum anno Domini 1389. Præfuit annis 7.

11. *Nicolaus* successit Petro concorditer electus anno 1396. Præfuit duobus tantum annis.

12. *Petrus Stauherus* subrogatur Nicolao anno 1398. Præfuit 9. annis. Obiit in vigilia Martini anno Domini 1407. Sepelitur sub saxo marmoreo in Ecclesiæ pavimento.

13. *Henricus Endorffer*, Augustanus, Petri aliquamdiu coadjutor, in præpositum eligitur anno 1407. Præfuit laudabiliter 28. annis. Obiit anno Domini 1435. in die Pirminii.

14. *Stephanus Secherlinus* præfuit quinq; annis. Moritur anno Domini 1440. sepultus in S. Crucis Ecclesia, pridie Leonhardi.

15. *Joannes Dachs*, Augustanus, eligitur anno 1440. vir prudentia & sapientia præditus singulari. Præfuit 30. annis, quibus collapsum monasterium quasi de novo præclare erexit & diligenti œconomiæ gubernatione plurimum auxit. Reformavit item cœnobium per Joannem Schirmium, Abbatem postea designatum in Understorffo, Bavarico cœnobio. Invenitur mortuus in cubiculo suo.

16. *Udalricus Burgschniderus* successit Joanni, & tribus annis, nec illis tamen plenis præfuit. Obiit extra monasterium pridie Idus Junii anno 1474. apoplexia, quòd esset obeso corpore & justo intemperantior, quo malum sibi tale accerserat.

17. *Joannes Fuchs*, valde injurius civitati, & vulpinis technis adversus eam plurimis utens, eligitur præsente Reverendissimo Episcopo Augustano, Domino Joanne de Werdenberg, ex clerico seculari & concionatore in Præpositum anno 1474. Construxit totum dormitorium de novo: superiorem item chorum & ambitum novum, demolito veteri. Turrim in summitate refecit, quòd tempestate & fulmine tacta cecidisset in die S. Petri, quo die etiam S. Ulrici Ecclesia corruit, tempestatis & ventorum

torum vi impulsa & labefactata. Fecit vero eandem turrim dealbari, ut magis esset conspicua. Fuit piscium & vivariorum admodum studiosus. Sacellum autem S. Nicolai in Muttershofen, loco, ubi antiquitus incœptum fuerat monasterium, renovavit & consecrari fecit. Obiit longa ægritudine fatigatus postridie D. Benedicti anno Domini 1488. cùm præfuisset annis 14. integris.

18. *Vitus Faclerus* successit Joanni anno 1488. quo condidit statim conservatorium clinodiorum in veteribus templi adytis. Præfuit utilissime annis 29. quibus plurima construxit œconomiæ admodum utilia: imprimis vero sacellum Præpositi, horreum novum, & totam Ecclesiam S. Crucis eximis fundamentis novam cuproq; tectam anno 1500. Absoluto templo, post annos quatuor turris eidem templo adjuncta, usque ad campanas dejecta, & denuo sexaginta pedum altitudine in sublime iterum evecta, & cupro (quemadmodum prius templum) tecta, aureisque epistyliis, aureaq; cruce insignita est. Fecit fundi magnam campanam 52. centenariorum. Obiit tandem anno Dñi 1517.

19. *Jacobus Wegelinus*, ex Riedlingo Sueviæ oppido ad Danubium sito natus, electus & confirmatus est in vigilia Annunciationis Mariæ anno 1517. Fuit clemens conventui suo & magis propitius, quàm fuerat antecessor. Fuit & utilis & beneficus gubernator, etsi tantum per quadriennium præfuerit, quo texit totam Ecclesiam cupro, quemadmodum opus illud antecessor inceperat. Obiit anno Domini 1521. penultima Maij.

20. *Christophorus Gailius*, Dillingensis, subrogatur statim in Kalendis Junii. Præfuit laudabiliter annis 21. Obiit 6. Decemb. anni à nato Christo 1542. Secessit Dillingum in civitatem Episcopalem ad Danubium sitam anno 1537. in die S. Antonii, propter mutatam Augustæ religionem. Inde postea monachi Landsbergum (quod oppidum Bavariæ est, ad Lycum amnem supra Augustam Vindelicam situm) profecti sunt in ipso bello Germanico anno 1546.

21. *Bernhardus Werlinus*, ex Gundelfingiaco natus, quod est Palatinorum oppidum, ad Brentium amnem situm, eligitur anno 1545. die 18. Octobrium, confirmaturq; sequenti die statim.

Rediit

Rediit Augustam in vigilia Hilariæ anno 1548. præsente Imperatore Carolo V. Construxit novas domos è regione cœmiterii anno Domini 1549. Præest adhuc currente hoc Jubileo.

❁ ❁ ❁

S. CRUCIS Benedictinum monasterium, quod est intra muros Imperialis oppidi Donawerdæ, id est, Danubianæ peninsulæ (peninsulam enim Germani Werd vocant) præclarum sane, fundatum legitur initio pro Deo dicatis Virginibus à Mangoldo, Comite Dillingensi & Kiburgensi, & conjuge ejus, Domina Tuta, anno Christi 1100. auctum tandem ab aliis duobus Mangoldis, ejusdem stemmatis Comitibus, qui omnes in capitulari ejus cœnobii domo honorifice sub insigni Mausoleo sepulti sunt cum tali epigraphe:

Werd quid Germanis.

Tres fundatores Mangoldi, Tutaq;, flores
Cœlestis prati, pausant simul hic tumulati.

Est eodem loco celebris sepultura Marsallorum de Bappenheim. Sepelitur in eodem etiam templo quædam Principissa à proprio marito Ludovico Bavaro propter suspiciones quasdam trucidata, cum tali inscriptione: Anno Domini 1256. decima quinta Kalend. Februarii in castro Werd obiit Domina Maria, Ducissa Bavariæ, filia Ducis de Braband: de qua videbis, quæ annotabimus in Fürstenfeldensi Abbatia.

Prima hujus loci Abbatissa designata legitur Domina *Gunderadis*, primi fundatoris Mangoldi ex Domina Tuta filia, de qua nihil tamen amplius in literas relatum invenio: quemadmodum etiam hoc ignoratur, quando & quam ob causam sexus mutatus sit. Postremos Abbates hos tantum reperi, reliquis omnibus amissis in proximo bello Germanico, quo cœnobium à Smalcaldici fœderis militibus occupatum, direptum & miserrime spoliatum est.

Abbatum series.

2. *Theodoricus* Abbas præfuit annis Christi 1135. & 1166. ut Chronicon Cæsarienſe testatur. Unde liquet, locum istum non diu à monialibus habitatum fuisse. Post istum Abbatem magnus hiatus est; plurimi enim desiderantur.

3. *Bartholomæus Bochshornius*, ex Weiſſenhorna natus, totius ordinis Benedictini viſitator, virque omnino ſtrenuus morumq; acerrimus cenſor, conſtituitur Abbas anno 1485. Præfuit 32. annis feliciter, bonus œconomus & cœnobii hujus penè ſecundarius fundator. Sub cujus gubernatione optimus imperator, Divus Maximilianus, per menſem integrum aliquando in hoc cœnobio vixit, ubi ille ſacellum perelegans (quod in hunc usque diem Imperatorium vocant) de ſuo conſtruxit, addens etiam inſigne monumentum argenteum magni ponderis, quod Monſtrantiam vel portatilem Sacramenti loculum vulgus ſacerdotum vocat. Obiit Abbas iſte anno 1517. relinquens 30. millia aureorum.

Maximilianus vixit per menſem in monaſterio S. Crucis.

4. *Franciſcus Rhear* Werdenſis eligitur anno Chriſti 1517. Præfuit 2. annis & ab Epiſcopo Auguſtano Chriſtophoro exauthorarur & ad perpetuos damnatur carceres ob enorme crimen anno Domini 1519.

5. *Joannes Lænerus*, patria Ulmenſis, præclarus muſicus, eligitur anno 1519. Præfuit 3. annis. Obiit anno Chriſti 1522.

6. *Nicolaus Haiderus*, ex Werdæa natus, vir eximie doctus præſertim in ſacris Scripturis, mediocris etiam verſifex, ex Ingolſtadiana Academia accitus, eligitur anno Chriſti 1522. Prætuit 5. annis. Reſignavit annò Domini 1527. & ex cœnobio in Helvetios diſceſſit.

7. *Thomas Romanus*, Suevus, ex Auffkirchio celebri marca Oetingenſium Comitum natus, eligitur anno 1527. Præeſt adhuc currente hoc Jubileo. Vidit anno 1547. monaſterium ſuum miſere diripi ac vaſtari à Schmalcaldici fœderis monachorum ſtudiis non admodum propitiis aſſeclis.

❂ ❂ ❂

S. CRUCIS VALLIS, antiquitus Aquarum hauſtus vulgò S. Waſſerſchapffen/ forte ab irriguis fonticulis, quos tota habet circumſita vicinia pene innumeros, poſtea vero à S. Crucis particula (quam ſecundus fundator, Comes Ego de Wullenſtetten & Gruningen, dicitur furtim ex Augia divite ſuſtuliſſe) aliter nominatum: præclarum ac magnificum Ciſtertienſis inſtituti monia-

nialium nobili stemmate natarum cœnobium, supra Riedlingum in Suevia sub Salemitani Abbatis visitatione in Episcopatu Constantiensi situm, fundatum legitur annum Christi circiter 1140. vivente adhuc D. Bernhardo, Cistertiensis ordinis authore, pro sexaginta monialibus, à quibus vero regulis, id ex memoria hominum in oblivionem venit. Aliqui tamen Equitem quendam auratum de Althaim primum locum & fundum ipsum primis sororibus dedisse affirmant. Postea vero, cum in bellicis tumultibus eversum cœnobium esset, instaurari & quasi de novo fundari cœptum est annum Christi circiter 1230. ab Egone seu Hegone, Comite de Landaw, filio Ludovici Comitis, ex Clementis Comitis Hohemburgensis filia, Domina Agatha, octo filiarum & quinque filiorum matre. Benefactores vero monialium hujus congregationis leguntur fuisse maximi, Comites de Wullenstetten, & Hartmannus junior, Comes à Gruningen & Landaw, qui pro se & conjuge sua Hedvvige, filiisq; Ludovico, Comite & parocho Constantiensi ad Nicrum, Conrado & Eberhardo, dono dedit Abbatissæ & conventui S. Crucis Vallium jurisdictionem pagi & totius ecclesiæ Andelfingensis, in eadem vicinia positæ. Ego Comites de Landavv, Wullenstetten & Gruningen, unam familiam fuisse, ex veteribus tumulorum inscriptionibus facile colligere potui, & à diversis castris alios ejusdem gentis alio cognomine fuisse appellatos. Est in eodem cœnobio insignis sepultura Comitum de Landaw & Gruningen: Nobilium item virorum ab Hornstein, qui magni dicuntur fuisse ejusdem cœnobii benefactores. Abbatissarum ejus loci talis extat catalogus. *Abbatissarum series.*

1. *Hailwigildis*, Comitissa de Landaw, fundatoris soror, obiit anno 1240.
2. *Bertha*, Baronissa à Justingen, præfuit annis 26. Obiit anno 1266. Kalendis Martii, cum paulo ante emisset ab Anshelmo de Justingen possessiones quasdam in Andelfingensi pago.
3. *Lucia* præfuit anno Domini 1277.
4. *Adelheidis* Comitissa à Landaw resignavit anno 1300.
5. *Irmelgardis* ab Hettenstein resignavit anno Christi 1307.
6. *Elisabeta*, Baronissa à Stoffeln, obiit anno 1312.

7. *Helena Murtzelerin* præfuit adhuc anno 1325. Hujus temporibus, Eberhardus & Conradus à Landow vendiderunt quædam bona huic Abbatissæ, quæ Bienburgensium Comitum antea fuerant. Id factum anno 1318. Resignavit anno 1326.

8. *Mechtildis Grossina*, Comitissa à Veringen, legitur præfuisse anno 1332. quo resignavit.

9. *Anna*, Comitissa à Sultz, præfuit annis 22. & obiit Abbatissa anno Christi 1354. Hujus ad extremam senectutem redactæ coadjutrix fuit Domina Adelheidis ab Hornstein.

10. *Bena Murtzlerina* præfuit adhuc anno 1359. & resignavit.

11. *Anna ab Hornstein & Hofingen* præfuit adhuc an. 1363. & 1365.

12. *Mechtildis Wildina* præfuit anno 1367.

13. *Anna ab Andelfingen* præfuit anno 1369.

14. *Gertrudis Hertina* ab Herdtneck præfuit 14. annis, & obiit anno 1384.

15. *Catharina Gerbiniana* præfuit 9. annis. Obiit anno Christi 1393.

16. *Margareta Emmerina* à Nuyhusen præfuit 26. annis. Obiit Abbatissa anno 1419.

17. *Adelheidis ab Hornstein* præfuit tempore Constantiensis Concilii. Obiit in gubernatione.

18. *Mechtildis à Schaffhusen* præfuit anno 1424. Resignavit.

19. *Agnes ab Hornstein* præfuit anno 1425. & 1443. Resignat.

20. *Anna Gremlichina* præfuit anno 1446. & anno 1450. Obiit anno 1480.

21. *Ursula Besserina*, Ulmensis patricia, eligitur anno 1480. Obiit anno 1484.

22. *Anna Wildin* præfuit anno 1490. Resignat.

23. *Anna Gremlichina* Abbatissa præfuit 30. annis laudabiliter. Obiit anno 1521.

24. *Veronica à Rietheim* præest adhuc currente hoc Jubileo septuagenaria, & vere secunda ejusdem cœnobii fundatrix, quæ multa

multa præclara & vere regia ædificia ex imis fundamentis erexit & feliciter absolvit. Templum renovavit, & insignem puteum ex quadrato marmore maximis sumtibus in singulare ac utilissimum cœnobii ornamentum fieri fecit.

❁ ❁ ❁

S. GALLI, aut (ut vulgo appellant) Sangallensis Abbatia apud S. Helvetios longe potentissima, quæ est sita intra muros urbis Sangallensis, & totam ferè Thurgoviam Comitatumq; Dockhenburgensem sub sua potestate habet, ædificari & extrui cœpta & illustrata est, non Dagoberti Magni Galliarum Regis, ut aliqui nugantur, sed Sigeberti Austrasiæ Regis, & Fridbergæ conjugis ejus, Contzonis vel Gunzonis, Suevorum Ducis, Uberlingæ tunc temporis ad lacum Acronium residentis filiæ (quam S. Gallus à dæmonio liberarat) impensis, donationibus, sumtibus ac immunitatibus, ad S. Galli Scoti (de quo infra plura) Alemannorum Apostoli petitionem anno Christi 630. sed absoluta & perfecta annum Christi circiter 640. Templum, quod hodie adhuc ibi conspicitur pulcherrimum ac amplissimum, extructum est anno 830. consecratum anno 836. ab Hunnis vastatum ac spoliatum est anno Christi 937. Hæc Abbatia postea ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Comitibus ac Baronibus multis, imprimis vero ab Hedowige, Comitissa de Eberstein, Imperatoris Henrici Aucupis filia, ita est locupletata & aucta, ut aluerit olim Canonicos 150. & Abbas Sangallensis legatur mille equitum comitatu Argentinam esse ingressus anno Christi 1361. cum Waltherus, Baro à Geroltzeck, in Episcopum Argentinensem electus introduceretur. *Abbas pomposus.* Dedit hoc monasterium toti Germaniæ multos eruditos homines, multosq; Episcopos Constantienses, ac variis Germaniæ monasteriis Abbates: & dicitur habere nobilissimam (studio & industria monachorum in macrocolo scriptis optimis quibusq; authoribus) innumeraq; optimorum codicum multitudine refertissimam Bibliothecam. *Bibliotheca S. Gallensis.* Oppidum ipsum Sangallense annos ante quingentos fossis & mœnibus muniri cœpit: id olim in potestate Abbatis erat, nunc vero Helvetiorum Octopagensium societati & confœderationi conjunctum est. *Oppidum S. Galli.* Sangallensis

lensis Ecclesiæ Abbatum catalogus à prima fundatione ad hæc nostra usque tempora talis à me ex variis antiquitatum monumentis collectus est, adjuvante me in hoc non mediocriter clarissimo viro, Domino *Joanne Mergellio*, civitatis Lindavensis Physico, Medicinarum doctore percelebri, mihi singulari amico.

Catalogus Abbatum.

S. Gallus quis fuerit.

S. Gallus, Scotus, S. Columbani discipulus, miraculis clarus, quæ virtute omnipotentis Verbi (quod docebat) fecit, non ipse quidem Abbas Sangallensis, sed Eremita & accolarum Acroniani lacus, Brigantinorum videlicet & Arbonensium, gentilitia idola tum colentium, concionator fuit ac primus Apostolus per annos 16. ab anno videlicet Domini 614. ad annum usque 630. quo sibi sanctus Dei vir jam senex & labore suo functus domunculam & cellam primam, seu oratorium in densissimo nemore condidit. S. Gallus ille, vir vere Apostolicus, obiit anno ætatis suæ 95. Christi vero 640. & Arbonæ (quod præclarum hodie oppidum est ad lacum Bodamicum seu Acronium è regione Mörsenburgi in Helvetico littore situm) quo tauri eum traxisse leguntur, sepultus in templo suo, in quo antea Christum professus erat, multisq; doctrina & exemplo profuerat. Post mortem S. Galli inhabitarunt hanc cellam aliqui S. Galli discipuli diversarum regionum, nullum tamen ordinem adhuc profitentes, ad annos ferè 80. inter quos præcipui fuerunt beatus Magnoaldus & Theodorus quidam. Hi magnam persequutionem passi sunt ab impio Alemannorum duce, Otwino, ejusq; præfecto Erchonaldo, qui oratorium & sepulchrum S. Galli fregerunt ac sanctos Patres ibi studiis pietatis operam dantes misere tractarunt.

Otwinus Alemannorum Dux.

1. *S. Othmarus*, Alemannus (à Salomone, Constantiensi Episcopo, in numerum Sanctorum relatus anno 864.) primus Abbas Sangallensis constituitur à Bosone, Constantiensis Ecclesiæ Episcopo, cùm ex clerico Churiensis Rhetiæ monachus factus esset. Is ex Chura Episcopali urbe missus, à Pipino Rege confirmatus est anno Christi 720. Accepit vero regulam S. Benedicti, quod ea tunc sola esset & unica monachorum omnium secta ac professio. Hic prima etiam cœnobii fundamenta jecit & primas habitationes extrui fecit pro collecta ingenti monachorum

rum multitudine. Condidit verò juxta cœnobium suum etiam xenodochium pro pauperibus. Pellitur in exilium, in quo est mortuus apud Steinium anno Christi 759. regiminis sui ferè 40.

2. *Sidonius vel Sinodius*, Episcopus Constantiensis, qui & Divitem Augiam gubernabat una cum Sangallensi Abbatia, homo ambitiosus & avarus, valdeque injurius S. Othmaro, cujus omnium calamitatum (quòd & caperetur & in exilium pelleretur optimus senex) solus ipse author fuit, ut testatur Abbas Augiensis, Walfridus. Obiit anno 760. dysenteria. Vide Abbates Augienses.

3. *Joannes*, Abbas Divitis Augiæ & Episcopus Constantiensis, eligitur Sangallensis Abbas anno 760. Hunc ambitiosum vocant & qui sua tantum quæsierit. Præfuit annis 21. non infeliciter. Obiit anno Domini 781. Vide de eo Episcopos nostros Constantienses & Abbates Augiæ.

4. *Raudopertus*, ab aliis Werdo, monachus Sangallensis, præfuit per unum annum.

5. *Waldo*, egregius scriba Sangallensis, eligitur anno 783. Præfuit tribus annis, & postea ad Divitis Augiæ gubernationem vocatus est à Carolo Magno sub Eginone Episcopo Constantiensi: cujus tyrannidi diutius subesse non volebat, dicens Regi in faciem, se, quamdiu posset trium digitorum (quibus scriberet) vigorem & usum obtinere, non futurum sub hujus Episcopi manibus, & malle se esse scribam, quam Abbatem nullius authoritatis.

6. *Werdo*, sacerdos laicus, præficitur ab Eginone Episcopo anno 787. Suscepit mox ordinem & præfuit 24. annis. Obiit anno Domini 811. tribus nimirum annis ante mortem Caroli Magni.

7. *Wolfoleus* sive Wolflerus, Episcopus Constantiensis, antea monachus Sangallensis, præfuit per vim & tyrannidem 4. annis. Ab aliquibus, eò quod sese intruserit & parum utilis monasterio fuerit, non numeratur.

8. *Gosbertus* à Sangall. conventus fratribus electus est anno 816. sub Ludovico Pio, Caroli M. filio, qui liberavit monachos

Comites Montis fortis.

ab Episcopo, ita ut ipsi jam dominarentur in civilibus, sed tamen in spiritualibus subessent Episcopo. Sub hoc Comites Montis fortis, Cadolochus & Bertholdus, pater & filius, liberalissimi hujus cœnobii benefactores fuerunt: quorum liberi in monasterio educabantur. Ipse cœpit ex humili cella S. Galli facere & extruere spacio septennii Basilicam S. Othmari, quæ consecrata est anno Christi 834. in præsentia Constantiensis Episcopi Wolfolei, & Ulrici Episcopi Basilienſis, & Erlewaldi Abbatis Augiensis. Idem cœpit colligere Bibliothecam, ut erat literarum omnium mirifice studiosus: & sub hoc cœpit Cella S. Galli dici monasterium seu Basilica, de qua reperiuntur hi versiculi olim incisi templo:

Justitiæ Gosbertus heros, fratris Winibardi
Artibus eximiis, fasces portantibus omnes
Pauperibus monachis lapidum calcisq; & harenæ,
Ut quondam largus fecitq; Sisinnius almus,
Hanc struxit Ecclesiam.

Præfuit pius Abbas 21. annis, & fessus gubernationis plenusq; annorum resignavit Abbatiam fratribus, à quibus eam antea acceperat.

9. *Berewicus* conventualis eligitur in Abbatem cum consensu Ludovici Cæsaris anno 837. Exauthoratur tandem à Ludovico Austrasiæ & Germaniæ Rege, cum præfuisset annis tribus.

10. *Engelbertus* eligitur & constituitur Abbas à Lothario, Ludovici Pii Imp. filio, anno 840. Præfuit per annum, & mox à Ludovico, Rege Austrasiæ, Lotharii fratre, qui sacellanum suum Abbatiæ præfecit, vicissim deturbatur è cathedra.

11. *Grimobaldus*, Ludovici Austrasiæ Regis sacellanus, constituitur Abbas Sangallensis anno 841. ab ipso Rege, contra fratris sui Lotharii sententiam ac decretum. Is non solum præfuit, sed & profuit huic monasterio, & multa utilia monachis consequutus est apud Regem admodum sibi clementem ac propitium. Huic primum Abbatia condita est, vulgo Palatium Abbatis dicta, quæ variis picturis illustrata postea omnium Abbatum sedes fuit, excepto Diethelmo, qui sibi prope dormitorium propriam post-

postea Abbatiam extrui fecit. Sub hoc Abbate scripti sunt multi optimi libri magnis sumtibus, & erat tum temporis Abbatia hæc Sangallensis celeberrima schola, in qua & Principum & Nobilium liberi præclare informabantur, ut essent postea & sapientia instructi & ad omnes res gerendas aptiores. Præfuit Abbatiæ 31. annis. Obiit anno Christi 872. Sepelitur cum tali epitaphio:

Hic manet interius divinæ legis amator,
Grimwaldus humilis, templum hoc qui condere jussit.

12. *Hardmudus*, qui antea Grimbaldi administrator fuerat, Abbas designatus est à fratribus anno Domini 872. & confirmatur à Rege Austrasiæ, Ludovico. Erat doctus & amator sapientiæ, & librorum diligentissimus comparator, studiosissimusque Bibliothecæ locupletator. Huic Rex Ludovicus II. Meckhingum, Carolus vero Calvus Montem S. Victoris & Stammheim dedit. Cumq; bene præfuisset & plurimum profuisset cœnobio per 12. annos, resignavit Abbatiæ gubernationem, consentiente Imp. Carolo Crasso.

13. *Bernhardus*, nobilissimus juvenis, eligitur à fratribus anno 883. confirmatur à Carolo Crasso. Præfuit 7. annis, & male vexatus ab Hattone Moguntino resignavit Salomoni Episcopo. Erant tum Sangalli multi doctissimi monachi, & ferè omnes nobiles, optimæ vitæ & honestissimorum studiorum: præcipui vero inter hos, Nodkerus & Radopertus, erant insignes chronographi & poëtæ: Tutilo item, Hartmannus, Eccardus, & Geroldus &c. Nodgerus & Tutilo pro sanctis postea sunt habiti. Tutilo erat egregius ἀναγλυπτὴς, musicus vero etiam absolutissimus.

14. *Salomon*, Baro de Ramschwag, Rhætus, eligitur anno 891. Fuit vir eximie doctus & author dictionarii veteris, cujus exempla sunt & Sangalli adhuc & Constantiæ. Erat Imperatorius sacellanus, & qui ab Arnolpho Cæsare duodecim prælaturis, Episcopatibus videlicet & Abbatiis donabatur, Episcopus præcipue Constantiensis. Habuit sub se Sangalli 80. monachos: factus tandem & ipse monachus subjecit sibi Fabarianam etiam Abbatiam favore Cæsaris Arnolphi. Erat fundator præpositu- *S. Magni præpositura.*
ræ S. Magni, quæ erat è regione Sangallensis Basilicæ, & Præ-
posi-

Præpositura in Bischoffszell.

posituræ Episcopicellensis ad S. Pelagiam. Fuit Romæ & inde multas secum attulit Sanctorum reliquias. Obiit tandem anno Christi 919. aliis 921. cum præfuisset 30. annis. Vide de eo plura in nostris Episcopis Constantiensibus.

15. *Hartmannus* eligitur anno 921. vir pius, sapiens & musicæ amantissimus, piæ & inculpatæ vitæ, diligens in studio cum sacrarum, tum prophanarum literarum. Is præfuit per triennium non tamen integrum. Obiit anno 924.

16. *Engelbertus*, conventualis antea, eligitur anno Christi 924. Confirmatur ab Imperatore Henrico I. Sub hoc Abbate multas difficultates perpessa est Sangallensis Abbatia, quæ & ab Hunnis vastata est anno 925. quo Wibrada ab his ipsis trucidata & martyr Christi facta esse legitur. Sed tamen Abbas in Helvetiæ alpes avehi curarat è monasterio & Bibliothecam & alia, quæ erant monachis preciosiora & chariora. Abbas senio confectus resignat Thietoni anno Christi 933.

17. *Thieto* eligitur anno 933. Sub cujus gubernatione anno Christi 937. combustum est, & incendio per scholasticos excitato periit templum Sangallense maximum, quod postea S. Othmari Basilica dictum est, unà cum turri, quàm Abbas Hardmodus olim extruxerat. Præfuit per novennium, & resignavit Abbatiæ gubernationem fratribus suis senio jam gravatus.

18. *Cralo*, vir antiquæ disciplinæ ac magnæ severitatis, ex Decano in Abbatem eligitur ab unanimiter consentiente Conventu. Confirmatur ab Othone Magno, Imperatore anno Christi 942. ultima Maij. Erat is Thietonis germanus frater, qui de nimia severitate ac rigore à conventualibus accusatus, & quod Fabariensem Abbatiam, Sangallensi antea subjectam, amisisset, incidit in odium & inclementiam Ludolphi, Suevorum Ducis, quo ex Italia redeunte, ipse ex Abbatia cum magnis thesauris ad Cæsarem Othonem confugit: propterea Ludolphus Dux Annonem fratrem Cralonis Abbatem designavit. Cralo tandem obiit in Herisow, cum præfuisset 11. annis.

Sangallense cœnobium.

19. *Anno* eligitur anno Christi 953. à Ludolpho, Suevorum duce, vir bonus, omnibus benignusq; & beneficus. Is Hungarorum

rum metu munivit totum cœnobium, & omnes ei adhærentes ædes alias mœnibus turribusq; tredecim & amplis fossis circumdedit: atque hæc fuere initia oppidi Sangallensis. Præfuit per quinquennium. Obiit anno Domini 958. Post eum Cralochius seu Cralo reductus est ab Imperatore Othone ad Abbatiæ Sangallensis regimen eodem anno, intercedente S. Ulrico, Episcopo Augustano, sed fortunato ille suâ recte uti non potuit. Tyrannus enim durior factus, cuidam studioso Sangallensi, Comiti Victori oculos erui curavit, factus postea invisus omnibus hominibus, factusq; infortunatus & infelix uti corpore, sic etiam animo. Adhibebatur igitur ei in coadjutorem nobilis & eruditus vir, Eggardus de Jonschwil, ejusdem prius loci Decanus, usque in adventum & consensum Othonis Magni. Interim moriebatur Cralo Herisovii, petens, priusquam moreretur, ut sibi subrogaretur in gubernatione Abbatiæ Sangallensis Eccardus, quod factum esset, nisi is malo fato ex lapsu equi crus fregisset & claudus esset factus. Superbi enim monachi nolebant habere Abbatem claudicantem.

nobium munitur & fit etiam oppidum.

20. *Burcardus*, Comes de Lintzgow, Buchorn & Montefort, eligitur anno 959. maximus eleemosynarius, omniumq; pauperum pater fidissimus. Hujus Abbatis temporibus omnes monasterii res pacabantur & ad quietum statum pervenerunt. Vocabatur vulgo *Ingenitus*, quòd non consueto & naturali modo natus, sed ex utero mortuæ matris exectus esset, quales Cæsares antiquitus à cædendo dicti sunt. Confirmatus est, etsi juvenis, ab Othone Imperatore per baculum & ferulam. Ea enim tum cerimonia erat confirmationis Abbatum, cum Episcopi per annulum & baculum confirmarentur. Insidens aliquando ferociori equo graviter læsus est, ita ut postea per omnem ætatem claudicaret: habebat autem & claudicantem Decanum. Accidit vero, ut visitandi causa & inspiciendi mores & vitam ejus loci monachorum veniret ex mandato Imperatoris Kebo, Abbas Lauriscanus, qui videns Abbatem & Decanum claudos esse, dixit per jocum, serium tamen nec invenustum, *melius esse* clau-

Abbas ingenitus.

Confirmationis Abbatum & Episcoporum Cerimoniæ.

Melius claudica-

re Reges quam regna.

claudicare reges, quam ipsa regna. Cumq; Burcardus iste præfuisset honestissime 13. annis, resignata Abbatia, elegit cum fratrum suorum consensu unanimi Nodgerum, cui tamen citius mortuo ipse adhuc diutius supervixit.

Otto M. Juvenem Abbatem confirmat.

21. *Nodgerus* eligitur anno Domini 973. à Burcardo antecessore & fratribus omnibus, etsi juvenis, qui & homo hilaris & liberalis erat, ob quas causas verebatur & metuebat Burcardus, eum censuram Othonis Imperatoris severi principis sustinere non posse. Misit eum ergo Spiram ad Cæsarem Burcardus cum commendatitiis ac supplicibus literis, decemq; fratribus senioribus & canitie venerabilibus viris. Cumq; porrectam epistolam legisset Imperator, & jam præsentatus esset fratrum etiam commendatione Nodgerus juvenis, dixit clara voce Imperator: *is ne unus & solus est dignus Abbatiæ gubernatione existimatus, in tanto etiam canitie & ætate venerandorum senum, quos coram hic intueor, numero?* Nisi itaque intercessisset filius Imperatoris una cum missis fratribus Sangallensibus, non fuisset Nodgerus admissus ab Othone Magno ad Abbatiæ clavum. Datus est ei autem baculus pastoralis, additis plurimis conditionibus, ne videlicet quicquam in gravibus negotiis faceret aut statueret, nisi consulto prius & consentiente superstite adhuc Burcardo: item ut fratrum suorum collegium summo studio ad severe tenendam D. Benedicti professionem assuefaceret: quæ omnia diligentissime se facturum Nodgerus, addito etiam solenni juramento, pollicitus est, & ita præstitit, ut de eo, quemadmodum olim de *Cicerone*, ab Erhardo quodam, loci decano exclamatum sit:

O fortunatam Galli te consule cellam.

Sub eo Abbate aliquanto melius munitum est oppidum & monasterium Sangallense, & aliquandiu 160. viri laborarunt summa contentione in eximie muniendo loco contra omnes hostium insultus. Præfuit & profuit monasterio 8. annis, & decessit juvenis adhuc anno Christi 981. in Novembri. Post eum mox etiam mortuus est Abbas Burcardus, & Nodgerus medicus, ex cujus sorore iste Nodgerus Abbas natus erat; pater vero fuerat Cralonis superioris Abbatis frater.

22. *Him-*

22. *Himmo* post mortem Nodgeri eligitur anno Christi 982. cùm Imperator Otho II. in Italiam contra Saracenos proficisceretur. Is erat ceremoniarum & pomparum ecclesiasticarum amantissimus, adornabat varias vestes, varia clinodia, ornabatq; templum ubiq; variis picturis ingeniosisq; imaginibus, unde his versiculis celebrari meruit:

Hoc Abbas Himmo picturis comsit & auro:
Hanc, Othmare, domum tuus Himmo ornavit & auxit.

Præfuit Sangallensi Abbatiæ 8. annis, & obiit anno Christi 990. sexto anno imperii Othonis III. Monachi plangebant ejus mortem hoc versiculo:

Rectori summo nos te committimus, Himmo.

Ejus tumulo addita est hæc inscriptio:

Hic bene maturo transit Pater ille sub ævo
Ad patriæ requiem, hic obit Himmo diem.
Hinc merito nostri vigilanter habent memorari,
Plura loco Galli stant monumenta cui.

23. *Ulricus* primus hujus nominis, quem alii Wolricum vocant, eligitur anno 991. & confirmatur ab Othone III. vir pius & qui ceremoniarum etiam erat observantissimus & studiosissimus. Ædificavit sacellum S. sepulchri Dominici cum S. Ulrici subterranea crypta. Hujus temporibus exercebant se adhuc monachi omnis generis artificiis & opificiis, nec quisquam inveniebatur otiosus. Sed scholæ incipiebant jam aliquo modo frigere & collabi, quod nimium esset monachis negotii cum ceremoniis, parum cum literis. Et quia Otho III. erat juvenis & hilari animo præditus Princeps, facile sub ipsius gubernatione omnis disciplina monastica in deterius labi & paulatim extingui cœpit. Ulricus Abbas præfuit Abbatiæ 5. annis laudabiliter. Obiit anno 996. quo anno etiam Eccardus, celebris monachus, decessisse ex hac ad aliam vitam legitur.

Scholæ Monachorum incuria frigent.

24. *Gerardus*, à quibusdam Eckhenhardus, eligitur & confirmatur ab Othone III. Imp. anno 996. Erat superbus, temerarius ac vere nihili homo, nullius honestatis aut virtutis amans, deturbans statim in ingressu suæ gubernationis seniores & honestiores

Abbas nullius pretii sibi similes ministros eligit.

ſtiores omnes à ſuis officiis ac miniſteriis, & in horum locum ſubſtituens miniſtros juvenes, laſcivos, leves & domini per omnia non diſſimiles. Is omnia vendens, oppignorans & aliis donans, plurima miſere dilapidavit, ita ut idcirco graviter accuſatus ſit à fratribus apud Imperatorem Othonem III. cujus miniſterialem Comitem Mutzonem Abbas accuſatus pecunia jam ante corruperat, ita, ut monachi apud Cæſarem efficere nihil poſſent, aut certe hoc tantum, quod Cæſar ſe Abbatem reprehendiſſe dicebat, ſeque ſperare affirmabat, Abbatem poſthac meliorem futurum, quod niſi fieret, redirent & iterum referrent de ea re monachi, tum ſe eum exauthoraturum & dejecturum ex Abbatiæ faſtigio. Monachi itaque jam non Abbati ſolum, ſed & Imperatori parum propitii his verſibus ſatis barbaris injuriam ulti ſunt.

Monachi in Imperatorem injurii.

Otto Rex, tua lex quia ſemper venditur auro,
Hinc gentes fruſtra quærunt judicia juſta.
Otto, dum regnas, non ſunt judicia regni.
Otto, dum regnas, regnat pecunia tecum.
Plus eſt argentum tecum, quàm lex ſapientum.
Impie Rex Otto, cur fulmina te patiuntur?
Te regnare dolens cur non tibi terra dehiſcit?
Tu cum Gerardo noſtro, nimis ad bona tardo,
Et cum damnatis uterq; precor pereatis.

Sunt verſus quidem: ſed ferè his ſimiles, quos olim ædituus quidam compoſuiſſe dicitur de novo in aram poſito, &, vetere abjecto, Chriſtum repræſentante idolo, qui tales vulgo narrantur:

Verſus barbari.

O JESU vete, olim tibi plurima dete:
Jam Chriſtus novus tollit tibi flaxis & ovus.

Sed redamus ad Abbatem Gerardum. Poſt menſes paucios venit Muzo Comes, poſtulans, quæ promiſerat in ſua calamitate. Abbas, non volens ingratus dici, tradidit Muzoni præpoſituram S. Alexandri, quæ erat prope Adoffum in Thurgovia, in qua tunc temporis 12. Canonici victitabant. Sed quia vulgatum hoc eſt, quod

Præpoſitura S. Alexandri.

Non bene cum ſociis regna Venusq; manent,

Muzo

Muzo admodum impatiens monasticæ societatis, expulit illico omnes Canonicos, &

Solus ibi pulchra dominari cœpit in aula.

Monachi Sangallenses iterum id ægerrime ferentes, aliter se ulciſci, quàm his versibus non potuerunt, qui etsi meliores superioribus, tamen sui etiam seculi barbariem, (quæ jam ejectis verioribus studiis ubiq; dominabatur) mire redolent.

Cum tua te genitrix concepit, peſſime patrum,
Hoc ſcio, quod totum cœlum fuit imbribus atrum.
Sed cum te genuit, nox illa fuit tenebroſa,
Et quos ipſe premis, dum morte fremis, lachrymoſa.
In medio niſu ſi tum tua mater obiſſet,
In multis felix nimium locus ipſe fuiſſet.
Nunc gemit atq; tremit, pereat ne funditus à te,
Et miſeri miſere nos iſtic vivimus hac ſpe.

Præfuit Abbas iste annis undecim. Obiit anno Christi 1007. decima nona Junij.

25. *Burcardus*, secundus hujus nominis, eligitur anno Christi 1007. summo omnium gaudio. Is enim collatus cum Gerardo Lupo, agni nomen adipisci & hereditario jure obtinere potuisset: propterea congratulabantur ei fratres versifices tali epigrammate veterem barbariem redolente.

Burcardo noſtras Dominus commiſit habenas,
Quippe viro jam tum ſibimet per cuncta beato.

Profuit monasterio plurimum, & restituit omnia in integrum, refarciens ea diligentissime omnia, quæ à Gerardo cum neglecta tum dilapidata erant. Vocabatur ad expeditionem contra Saracenos ab Henrico II.: profectus igitur in militiam unà cum Episcopo Constantiensi Ruthardo, etsi invitus, obiit in itinere, peste è medio sublatus, sepultus in monasterio quodam Longobardiæ, cui erat nomen Francorum monasterium. Moriebatur in eodem itinere etiam Ruthardus Episcopus. Præfuit annis viginti & uno ferè integris.

26. *Thietwaldus* eligitur anno 1028. Confirmatur à Conrado II. cujus conjux, Domina Gisela, venit aliquando unà cum filio

filio suo Sangallum, ubi honorifice excepta, humanissime etiam, & uti decuit, est tractata, in plenissimamq; fraternitatem accepta: hæc & Abbati & singulis fratribus munuscula quædam donans, se precibus eorum diligenter commendavit. Fuit Theodowaldus iste bonus œconomus, & qui diligenti œconomiæ administratione plurimum profuit monasterio ad annum usque 1040. quo decessit ex hac vita plenus dierum cum magno omnium luctu & desiderio.

Abbas bellator.

27. *Nodbertus* vel Norbertus à Stoffeln eligitur anno 1040. primus inter Abbates bellator in ipsa etiam senectute extrema & propter caducorum bonorum possessionem retinendam. Gessit autem bellum contra Rumoldum, Episcopum Constantiensem. Fuit fundator parochiæ Abbatis Cellensis, & primus, qui in salutem animæ suæ voluit sibi celebrari post mortem exequias funebres. Ampliavit Basilicam Sangallensem. Resignat Abbatiam jam decrepitus, & orat pro eligendo præposito Ulrico, quod & obtinuit apud fratres & Imperatorem Henricum IV. Postea moritur cum magno omnium fratrum luctu, qui omnia optima de hoc Abbate suo loquebantur, ut & hi scripti de eo versiculi contestantur:

Constat Nodbertum, magna virtute refertum.
Lac fuit infantum, juvenum dux, norma piorum.
Ille timore Dei despexit cætera regni.

28. *Ulricus* secundus eligitur año Domini 1071. Hujus temporibus tota Germania erat in armis propter discordias, quæ erant inter Rom. Imp. & Pontificem, & quod Rudolphus Suevorum Dux, Comes Rinfeldensis, contra Henricum IV. erat electus Imperator, à quo ipse Rudolphus victus & cæsus est. Erat iste Ulricus inter medias etiam bellorum tempestates & procellas, pecuniarum ut nervi bellorum diligentissimus collector, sed quas Abbas Ulricus successor egregie perdidit & decoxit bellis nimirum ac diffidiis, dum se opponeret Rudolpho Suevorum Duci. Unde scholastici monasterii faciebant hos versiculos de utroq; Ulrico invicem succedentibus.

Ter-

Tertius Ulricus tenet aurum, quod sibi amicus
Præcedens cumulavit, mox quod & ipse voravit.
Extractum cella rapuerunt horrida bella.

29. Mortuo Ulrico secundo, eligebatur à quibusdam fratribus *Leutholdus*, quem etiam Rex Rudolphus (qui contra Henricum IV. Imperator designatus erat) confirmatum esse volebat. Eligebatur is anno Christi 1076. Adhærebat autem major pars fratrum Sangallensium Henrico Imperatori, apud quos non magnifiebat Leutholdus. Accidit itaq;, ut una dierum baculus pastoralis (per quem erat ei collata Abbatia per Regem Rudolphum) confractus inveniretur in Basilicæ choro. Ejectus igitur à Cæsareanis, ab Ecchardo Divitis Augiæ Abbate (qui regias partes fovebat) humaniter exceptus est. Is Ecchardus multa pollicebatur Leutholdo, defensionem videlicet & restitutionem: sed omnia hæc promissa

Et frustranea erant levibusq; similima fumis.

Igitur Leutholdus ille non numeratur inter ordinarios Abbates. Eligebatur autem ab ipso Imperatore Henrico & à fratribus Sangallensibus unanimi consilio Ulricus tertius, Marquardi, Carinthiæ Ducis filius, Imperatoris cognatus, anno Domini 1077. Is erat ferox juvenis & bellator, qui se Rudolpho Regi & Ecceberto, Abbati divitis Augiæ, aliisq; etiam Sueviæ regulis magnaniter opponens, egregie consumsit & dilapidavit omnes, quos antecessor Ulricus secundus post se reliquerat, ingentes pecuniarum thesauros. De his bellis omnibus consule *Stumpfium & Hermannum Contractum.* In his ipsis regni concertationibus ac bellis civilibus Rudolphi exercitus aliquoties armata manu invasit, oppugnavit, expugnavit & diripuit monasterium ac oppidum Sangallense, & ædificabatur in sublimi monte, quem Pernegiam vocant, castrum præsidiis munitum, ad retinendam oppidi & monasterii possessionem. Tandem vero Rudolpho in Turingia victo & ab Henrico IV. Mersenburgi cæso, castrum id à regiis extructum, iterum eversum & solo æquatum est. Sperabant jam omnes homines finem bellorum, &

Sangallum expugnatur & diripitur.

Post pluvias Solem nitidum post nubila Phœbum:

Sed longe majores turbæ subsequutæ sunt. Imperatoris enim Henrici IV. hostes à Pontifice magis excitati & incitati, designarunt rursus Imperat. alium contra Henricum, cæso etiam jam & quasi divinitus punito Rudolpho, Hermannum videlicet, Comitẽ Lutzelburgensem, cujus gubernatio etsi etiam non erat diuturna, tamen is quoq; ab aliis excitatus ejiciebat ex Abbatia Sangallensi Ulricum tertium illum, quem præfecerat Henricus Imp. & in ejus locum eligebat *Wernherum* quondam divitis Augiæ monachum, idq; anno Domini 1083. Laborabat vero Abbas Augiensis Ecchardus pro restituendo suo etiam Leutholdo, sed frustra. Nam Ulricus Abbas contra utriusq; & Hermanni & Ecchardi machinationes vicit, etsi interim tota Thurgovia, per hos tumultus decennales etiam miserrime vastaretur. Anno enim Christi 1086. Ulricus Abbas auxiliis Henrici Imperatoris Patriarcha Aquilejanus declaratus, potentissimus factus est, ita ut jam facile hostes suos vincere, & possessionem Abbatiæ Sangallensis retinere posset salvam & incolumem. Sub hoc ipso Patriarchatu suo ædificavit, fundavit & dotavit in Sangallensi suburbio templum S. Fidis: & tandem moriebatur in Decembri anni post natum Christum 1117. cum 40. penè annis Abbatiæ Sangallensi præfuisset.

Abbas fit Patriarcha Aquilejanus.

30. *Manigholdus* à Bottsteten eligitur per discordias anno Domini 1117. ab aliqua Conventualium parte: ab altera vero parte eligebatur frater *Henricus de Duello*. Hunc fingebant ab ipso vivente adhuc Patriarcha esse gubernationi destinatum, præsentatum igitur Henrico IV. confirmari eum petierunt, quod & facile impetrarunt. Interim Pontificii vociferabantur, non pertinere ad Cæsares, sed ad Pontifices Abbatum & Episcoporum confirmationes: hi auxiliis Conradi à Zeringen, ducentis equis juvenem monachum Mangoldum in monasterium introduxerunt. Quam pompam & violentiam cum videret Henricus, cessit ille isti furori, & per Lacum navigans, ad Zilium secessit, expecturus illic Tragœdiæ hujus castostrophen. Mangoldo introducto omnia jam commendabantur, etiam illa prædia quæ ultra Lacum sita illis erant. Audiens autem Henricus Imperator gravissimam

vissimam hanc dissensionem, & certior factus, quod Henricus fraude & falsa praxi sese in istam gubernationem intrudere voluisset, & ita temere Imperatori confirmandũ obtrusisset: Item, quod Mangoldus violentia rapuisset Abbatiam, introductus tot equis à Conrado de Zeringen; sustulit, cassavit, & irritam fecit communi omnium suffragio utriusq; electionem. Mangoldum tamen de novo confirmavit. Henricum autem ad duplicis aquæ monasterium redire jussit, & ibi expectare Mangoldi mortem. Præfuit autem Mangoldus undecim annis, & valedixit vitæ isti mortali anno 1128. sepultus in sacello S. Osvvaldi. Henricus post Mangoldi mortem rediit ad Sangallum, & successoris Wernheri vicetenens & coadjutor constitutus est.

31. *Wernherus* antea custos monasterii, nunc Abbas designatus, anno 1128. à Lothario Imperatore confirmatur. Erat vir sapiens ac admodum severus. Conabatur reformare monachos, qui jam multum remiserant de priori in studiis, diligentia, & honestate vitæ, & omnia injustum ordinem & pristinam harmoniam restituere, sed frustra omnia. Nam monachi jam nullam reformationem ferre volentes restiterunt ei fortiter, & summo eum odio sunt prosequuti. *Otho Frisingensis* scribit, monasterium hujus Wernheri temporibus opulentissimum fuisse, quod verisimile inde esse apparet, & colligi potest, quod Wernherus iste ante muros Sangallenses fundarit, & suis sumtibus extrui curarit præposituram S. Leonhardi, quæ erat regularium aliquot Canonicorum habitatio ac cœnobium: quod tamen Abbatis Cunonis tempore iterum propter bellicos tumultus desertum est, cum floruisset annis 350. Annui reditus sunt Sangallum translati. Postea eversum est penitus unanimi S. P. Q. Sangallensis sententia anno Christi 1530. Idem ex arce Ittingensi monialium cœnobium fecit, & Collegium 12. regularum Canonicorum. Præfuit annis 38. Obiit sexta Julii, anno à nato Christo 1166.

Præpositura S. Leonhardi.

Ittingen Cœnobium.

32 *Ulricus* quartus, Baro à Tegernfeld, in agro Tigurino natus, eligitur à fratribus communi omnium consensu, & confirmatur à Barbarossa Imp. anno Christi 1166. Erat homo superbus, amans pomparum & ambitiosus, ut nobiles ferè esse solent:

ita ut etiam ad Episcopatum Curensem aspirarit & ejus gubernaculum consequutus sit. Præfuit Abbatiæ 33. annis, & resignavit eam suo Vicetenenti seu præposito redituum cum consensu totius Conventus. Episcopatum non diu retinuit, detrusus per sententiam concilii, Romæ ab Alexandro III. Pont. celebrati, in quo decretum erat, ne quis prælatus duas pluresve haberet prælaturas, cui decreto nunquam tamen obtemperatum est, quemadmodum ne hoc quidem seculo obtemperatur.

33 *Ulricus* quintus, Comes Veringensis, eligitur & confirmatur anno Christi 1199. Erat sumtuosus & malus œconomus, dilapidator nimium prodigus bonorum Ecclesiasticorum ita, ut arbitrarentur monachi, Gerardum ex mortuis revixisse. Præfuit non per totum annum, sed paralysi tactus subitanea morte interiit. Et quia multa absumserat, oderant eum monachi pleriq;, qui ejus mortem tali celebrabant epigrammate:

Qui jam consumis terram, quàm nunc bene dormis?
Fortassis vivus trivisses tempus in hornis:
Sed te, ne damno calcares limina Galli,
Ira Dei jussit maturo funere tolli.

34. *Henricus*, Baro *de Klingen*, eligitur à Conventu & confirmatur à Philippo Imperatore, Friderici Barbarossæ filio, anno Christi 1200. Bonus œconomus, non quidem doctus, sed alioqui in satis digna authoritate. Præfuit 4. annis, quibus ab antecessore pro 200. marcis oppignoratas curtes redemit feliciter. Legitur in his 4. annis in regum expeditiones, sine tamen monasterii sui detrimento, octingentas & quadraginta marcas puri auri expendisse. Unde admiratione ducebantur monachi, eum tamen ab antecessore dilapidata tanta felicitate potuisse in tam brevi tempore recuperare. Obiit anno 1204. in Novembri.

35. *Ulricus* sextus, Baro de Saxen, Sangalli educatus & doctrina insigni præstans, eligitur in Abbatem omnium consensu anno Christi 1204. Studuerat diu Parisiis & Bononiæ. Basileæ confirmatur à Cæsare Philippo. Isq; primus fuit, quem diplomata & veteres scripturæ Principem vocant. *Conradus enim de Fabaria*, parochus templi ad S. Othmarum, sic de eo scriptum reliquit:

Apud

Apud Basileam Philippo Augusto præsentatus, honorifice ab ipso cum suis accipitur & in Principem promovetur. Bellum gessit contra Wernherum, Episcopum Constantiensem, in quo aliquoties pugnatum est post mortem Philippi Imperatoris. Missus est Romam aliquando à quibusdam Principibus, ubi ab Innocentio Pontifice infula Episcopali coronatus est: antea enim monachi hi nulla ornamenta Pontificalia habuisse leguntur. Præfuit 15. annis. Obiit anno Domini 1219. vicesima secunda Septembris. Sepelitur ante ædem S. Othmari cum tali epitaphio:

Invida petra, nimis cur tantum claudis honorem,
Æquiparem minimis, nec summis inferiorem.

36. *Rudolphus*, Baro *à Gutingen*, eligitur anno Domini 1219. Emit pecuniis etiam Episcopatum Curiensem, primus in hoc loco indulgentiarum distributor anno Christi 1225. Fuit negligens rerum suarum œconomus & dilapidator pecuniarum plurimarum, propter quod cum ei sui adversarentur, profecturus & querelas delaturus ad Cæsarem Fridericum (qui tum in Apulia bella gerebat) incidit in itinere in gravissimum morbum, quo Romæ obiit 17. Septembrium anni à nato Christo 1226. sepultus apud S. Joannem in Laterano. Reliquit monasterio debita mille & quadringentarum argenti marcarum.

37. *Conradus de Busnang* eligitur anno 1226. Confirmatur Uberlingæ ab Henrico Cæsare, Friderici secundi filio, cujus factus est Abbas iste etiam consiliarius & ministerialis, quia etsi non doctus, tamen egregia corporis statura & versutus, prudens & facundus erat, & ubi consilium deerat, ibi temeritate vincere non erubescebat. Cum rediret à confirmatione, exceptus est à fratribus his versiculis:

Lux fratrum, patriæ decus, & pater inclyte salve,
Ad caulas proprias venienti pangimus odas.

Monastica vita jam tota in deterius mutatur: à studiis enim literarum ad res profanas, ad œconomiam & ad multas ceremonias sese conferebant, quotquot cœnobio inerant. Erat Abbas iste homo superbus, inquietus, & adeò vindictæ cupidus, ut de eo monachus quidam scripserit, quòd nullius unquam hominis

fine

Abbas Principem se vocat.

sine talione susceperit injuriam. Erat insignis tyrannis, & primus, qui ipse se apertè coram regni etiam Principibus solebat Principem appellare. Obiit cum omnium suorum subditorum maximo gaudio Sangalli anno Domini 1238. circa finem Decembris. Sepelitur in monasterio Sabensvvilensi, ut ante expirationem petierat.

38. *Waltherus de Truttberg* eligitur non sine discordibus sententiis anno 1239. sed qui numerabat, facile vincebat. Confirmatur Ravensburgi à Conrado Imp. Friderici secundi filio. Resignat Abbatiam, quòd nollet bella gerere contra Comitem Dockhenburggensem se fortiorem, qui sibi eripuerat Wilense oppidum. Factus est monachus Ordinis Prædicatorum Constantiæ anno Domini 1245. Tum enim nuper cœperat ordo iste, & putabant miseri homines, se vivos mox volaturos in cœlum, si morerentur in eo professionis & vitæ genere.

Ordo Prædicatorũ quando cœpit.

39. *Bertholdus* à Falckenstein, ex Hercynio nemore ortus, eligitur anno Christi 1245. Confirmatur ab Henrico Rege Thuringiæ, pugnante tum in Suevia contra Conradi Imperatoris socios. Erat impiger & strenuus bellator, nihil habens monasticum, nisi cucullam. Obiit anno Christi 1271. sepultus sine omni honore, cum summo omnium suorum gaudio. Præfuit annis 26. quibus plurima gessit bella, homo seditionum & cædium avidissimus.

Abbas bellator.

40. *Ulricus* septimus, nobilis à Gutingen, eligitur anno Christi 1271. ab unâ parte fratrum; ab altera eligitur *Henricus à Wartenberg*. Ex illa discordi electione natum est bellum, quod tamen æternus Deus diremit, misertus tandem miseræ & sub talibus pastoribus male pastæ plebeculæ. Henricus enim Arbonæ agens moritur post biennium. Eligebatur autem contra Ulricum alius, *Rumo* dictus seu *Rumaldus*. At rejici se Ulricus non est passus. Præfuit igitur cum summa difficultate 4. annis & 8. mensibus, valedixitq; vitæ, anno Christi 1275. sub Rudolpho Habspurgio Imperatore.

41. *Rumo* seu *Rumoldus* à Ramstein eligitur jam concordibus omnium votis ac suffragiis anno Christi 1275. Erat invisus Rodolpho

dolpho Imperatori, quemadmodum & totum monasterium Sangallense, propterea quod antea etiam Abbates aliquoties ei nondum Imperatori fuerant injurii & molestissimi. Præfuit annis ferè quinq;, & cum ipse metueret exauthorationem, resignavit sua sponte (quæsita sibi requie) gubernationem anno Christi 1279. Sub hoc cœpit S. Catharinæ monialium collegium, quod erat tum apertum intra muros Sangallenses.

S. Catharinæ Cœnobium Sangallense.

42. *Gulielmus*, Comes de Monte forti, eligitur anno 1279. Fuit homo mire inquietus, & multarum seditionum bellorumq; author, de quibus vide *Stumffium*. Obiit tandem anno Christi 1299. cum extra & intra gubernationem præfuisset, aut Abbatis certe nomen sustinuisset annis viginti.

43. *Henricus* secundus, à Ramstein, præpositus antea portæ Sangallensis, eligitur anno Christi 1299. homo temerarius & audaculus, insignisq; tyrannus: liberalis alioqui & sumtuosus. Gessit etiam quædam bella: tandem in senectute pacificus & bonus œconomus factus. Præfuit annis 19. Obiit anno Domini 1318. anno vero ætatis suæ 90.

44. *Hildeboldus* à Werdenstein eligitur an. 1318. Erat vir pacis amans & quietus, quiq; mediocriter præfuit Sangallensi Abbatiæ, tandem paralysi & apoplexia tactus, etiam rationis factus est expers. Præfuit monasterio annis 12. penè, & obiit anno Domini 1329. Fuit liberalis in dandis eleemosynis.

45. *Rudolphus* secundus, Comes à Monte forti, antistes Constantiensis, vir industrius ac strenuus, præfuit summa cum laude 4. annis. Vocabat se tantum præfectum. Resignavit gubernationem anno Christi 1333. Erant hoc tempore tres electi, qui omnes passi sunt repulsam.

46. *Hermannus*, Baro de Bonstetten, eligitur anno Domini 1333. Confirmatur ab Episcopo Constantiensi. Obiit anno Christi 1360. cum præfuisset annis 27.

47. *Georgius* à Wildenstein & Wartenberg eligitur anno Dñi 1360. Obiit anno 1379. cum præfuisset annis penè 19.

48. *Cbuno à Stoffeln* eligitur anno Domini 1379. homo proceræ & insignis staturæ, robustus & longe ambitiosissimus. Ex-

citavit maximas seditiones, & author fuit maximarum vastationum. Bella gessit contra Abbatiscellenses, à quibus victus, captusq; & tandem iterum in gratiam receptus, suæ dignitati (intercedentibus tamen certis conditionibus) restitutus est. Obiit anno Christi 1411. cum præfuisset 32. annis.

49. *Henricus* tertius, Baro de Gundelfingen, eligitur ob Conventualium defectum à monasterii Vasallis & à fratre quodam converso in Abbatem, anno Domini 1412. quia diu nemo volebat suscipere loci tot dissensionibus occupati gubernationem tam laboriosam & plenam periculi. Confirmatur à summo Pontifice. Erat Abbas doctus, sed mundanarum rerum gubernationis ignarus. Potuisset esse egregius Abbas superioris seculi, quo adhuc florebant in monasteriis pietas & studia. Jam, quia bellis & armis tantum erant occupata monasteria, nihil valebat ille prorsus: erat omnibus hominibus blandus & amicus, omnibusq; ex æquo charus. Hujus temporibus congregata & celebrata est synodus Constantiensis illa magna, in qua combustus est *Joannes Huß*. Abbas iste rogatus misit ad concilium Constantiense multos bonos & maximi pretii libros, sed non rediere illi ad suam patriam. Erat vir mitis & pius, qui nec contendere nec bella gerere volebat: igitur accusabatur à fratribus suis in Concilio, quasi negligens rerum monasterii administrator & nimium benignus. Resignavit ergo Abbatiam ipsi concilio, & se quieti dedit anno Christi 1417. cum præfuisset quinq; annis dextre & optime. Mittebatur autem ex Concilio Conradus quidam Biganiensis, qui cum aliquandiu ibi versaretur & videret mores Sangallensium monachorum, qualesq; essent homines Abbatiscellenses (cum quibus erant bella intestina & dissensiones monasterio) relicta Abbatia, Constantiam rediit.

50. *Henricus* quartus, Misnensis ex Mangsdorffo natus, mittitur ad petitionem Vasallorum cœnobii, deficientibus jam monachis, ex concilio ab ipso Pontifice, & suscipitur eligiturq; anno Domini 1418. Proficiscitur ad concilium Basiliense, & moritur in itinere Friburgi sub cura medicorum ejus loci, anno Domini 1426. cum præfuisset 8. annis. Eodem hoc anno Franciscani insti-

instituti Beginarum domus, S. Leonhardo dicata, prope Sangallum cœpit, cujus fundatrix & author erat pia quædam fœmina Margareta Rudeckherina. *S. Leonhardi Cœnobiolum.*

51. *Egolphus Blaurerus*, patria Constantiensis, è S. Blasii cœnobio ex Hercinia assumtus, eligitur præsidente adhuc ægroto & graviter decumbente Henrico, anno Domini 1425. Ornavit is monasterium, præcipue vero Basilicam, novis & eximiis structuris. Obiit anno Christi 1442. in ipso festo Pentecostes, cum præfuisset mediocriter annis 17.

52. *Gaspar de lato Landenburgo*, familiæ insignis & opulentæ, eligitur anno Christi 1442. monachus primum divitis Augiæ, postea etiam Sangallensis, homo doctus, præcipue tamen Pontificiarum legum cognitione clarus, vir lenis & humanus, librorum & literarum amantissimus, contentionum hostis, pacis autem & tranquillitatis studiosissimus, quod monachis valde displicebat. Interrogatus, cur non amantior pomparum esset & paulo studiosior dignitatis & magnificentiæ suæ, respondit hac D. *Bernhardi* sententia: *Monachos debere esse monachos, hoc, est solitarios homines & soli Christo deditos, non opibus, contentionibus aut similibus studiis à Deo prohibitis.* Etsi verò pacis esset amantissimus, tamen à sedi- *Monachi quales esse debent.* tiosis fratribus ad contentiones cogitur, in quibus factum est, ut Pontificia authoritate deturbaretur ab officio, ita tamen, ut ipse nomen Abbatis retineret, alius autem rebus omnibus præesset, quod ipse literarum studiosior quàm administrationis curarum non difficulter accepit anno Christi 1458. cum solus præfuisset annis prius 16. Numerabantur ei annuatim trecenti aurei cum cibo & potu sufficienti & necessario. Præficitur autem gubernationi Ulricus Rösch / Wangensis cujusdam pistoris filius. Is non erat doctus, sed homo versutus & ad res civiles & mundanas gerendas præclare & cum omnium admiratione callidus. Is fuit præfectus monasterii & utilissimus œconomus ad annum usque 1467. Tum enim ab ipso D. Gaspare Abbate adhuc vivente, sed sene decrepito Abbas etiam eligitur Sangallensis.

53. *Ulricus* Rösch / Ruffus, eques, statim post electionem Romam petit & ibi confirmatur à Pontifice Pio II. Consecratur

à Cardinali Cusano 25. Martii anni 1467. Dum ille est Romæ, moritur Constantiæ Abbas Gaspar in ædibus fratris sui Hermanni à Landenburg. Is Sangallum vehitur & ibi sepelitur. Ulricus Roma reversus optime ac utilissime præfuit, emitq; ad monasterium totum Comitatum Dockenburgensem & alia multa. Erat mirus artifex acquirendorum bonorum temporalium & comparandarum pecuniarum, & homo in omnibus rebus perficiendis longe felicissimus. Cœpit tandem ædificare & de se nominare Præposituram Roschachianam, ad lacum Acronium sitam, anno Christi 1487. Ornavit monasterium multis picturis. Obiit in oppido suo Wil anno Domini 1491. cum præfuisset 28. annis, ætatis suæ 65. Sepelitur magnificentius, quàm ullus suorum antecessorum Sangalli: appellabatur vulgo der rodt Vli. De ejus magnificentia & vere heroicis actionibus lusit *Poëta quidam* sic:

Roschachiñ præpositura.

Wolrichum hunc dubito monachum dicam, anne monarcham.
Veste fuit monachus, corde monarcha fuit.
Terra parens igitur divisim excepit utrumq;,
Quando ipse in cœlis esse monarcha nequit.

Iste Abbas locupletavit monasterium, & ita profuit ei diligentissima sua gubernatione, ut monachi eum secundum fundatorem appellare non dubitarent.

54. *Gothardus à Glattburg*, ex vetustissima familia natus, eligitur anno Domini 1491. vir humanissimus, forma & statura corporis magnificentissimus. Petit statim Romam & ibi confirmatur à Pontifice. Erat bellator, pomparum, equorum, conviviorum & feminarum amantissimus. Roschachianum cœnobium à Sangallensibus civibus semel exustum reædificavit. Tumulum S. Galli refecit, auroque & argento ossa ejus decoravit. Præfuit monasterio 13. annis. Obiit morbo Gallico in oppido Wilensi anno 1504. Sepelitur Sangalli.

55. *Franciscus Geisbergerus*, Constantiensis cujusdam civis & militis aurati filius, eligitur anno Domini 1504. decima nona Aprilis, vir quietus & verecundus. Confirmatur Romæ à Pont. Max. Hujus temporibus anno nempe 1529. spoliata sunt templa San-

Sangallensia à Cinglianis iconomachis. Secessit igitur Abbas ad Roschachium: ibi obiit anno Domini 1529. hydropicus. Sepelitur Sangalli in festo Paschatis. Celebratus est propterea, quod mire esset pecuniarum avidus, tali disticho. *Cingliani iconomachi.*

Major hydrops animum tenuit, quum viveret: auri
Haud ullo potuit tinguere fonte sitim.

56. *Kilianus Germanus*, ex Comitatu Dockhenburgensi natus, eligitur apud Raperswilium prope lacum Tigurinum. Erat vir egregiæ formæ & staturæ, mitis & humanus erga omnes omnium ordinum homines. Habitabat in oppido Wil, propter suorum temporum tumultus ac mutatam in oppido Sangallensi religionem. Postea cum videret, in doctrina omnia ubiq; mutari, secessit Uberlingum, ubi consecratur ab Episcopo Constantiensi. Proficiscitur anno 1530. ad Comitia Augustana, ubi agebat coram Carolo V. Imp. ea, quibus ei opus erat ad recuperanda ea, quæ amiserat: sed inde rediens periit in Bregantio fluvio miserrime, ipsa 30. die Augusti, cum maximo suorum luctu & planctu, cum post electionem vixisset 15. saltem mensibus & aliquot diebus. Sepelitur in Augia Brigantina cum honorifico monumento.

57. *Diethelmus Blaurerus*, à Wartensee, ex nobili & antiqua familia ad lacum Acronium natus, eligitur anno Christi 1539. vir pulchræ & proceræ staturæ, corporis robusti & grandis, animi vero lenis ac humanissimi. Restituit Basilicæ Sangallensis ornamenta & ceremonias, præsidens Abbatiæ ac ditioni Sangallensi diligenter & summo studio hoc adhuc currente Jubileo.

❁ ❁ ❁

S. GEORGII monasterium, quod est intra muros urbis Augustanæ, ordinis Canonicorum regularium S. Augustini, fundatum legitur anno Christi 1135. absolutum vero anno 1142. à Walthero, Comite Palatino Tubingensi & Episcopo Augustano, ejusque Canonicis in honorem S. Georgii martyris. Est in ejus cœnobii templo præclarum sacellum familiæ Herwartorum cum talibus inscriptionibus.

Georgio Heerwortt, Lucæ filio, Patricio Augustano, Pontificii & Cæsarei Juris Doctori, Ratisbonensis Ecclesiæ Canonico, qui vixit annis 47. menses 9. dies 12. Obiit ad Aquam pendentem 4. Nonarum Augusti, anno salutis 1508. Christophorus Herwortt, Patricius Augustanus, fratri charissimo & de se bene merenti faciendum curavit.

Honesto & integro viro, Antonio Herwardo, Lucæ Herwardi senioris, Patricii Augustani filio, qui anno ætatis suæ 41. dum peregrinatur Hierosolymam & ad montana S. Catharinæ, in Alchiro, mense Aprili anni 1503. obiit, relicti fratres & testamentarii memoriæ ergò hoc monumentum posuerunt.

Huic monasterio præfuerunt ad hoc usque seculum hi sequentes Domini Præpositi, paucis amissis ex eorum ordine, qui primi fuerunt.

1. *Udalricus* præfuit circa annum Domini 1254.
2. *Henricus Kronbeer* circa annum Domini 1282.
3. *Conradus*, egregius benefactor sui monasterii, præfuit circa annum 1285.
4. *Hermannus Hardmidus* eligitur anno 1298.
5. *Eberhardus* eligitur anno Christi 1300.
6. *Ludovicus* anno Domini 1309.
7. *Rudolphus* anno salutis 1319.
8. *Luitboldus* anno gratiæ 1337.
9. *Gebhardus Vergius* anno Dominicæ incarnationis 1351.
10. *Joannes* anno virginei partus 1359.
11. *Udalricus Suß* anno instaurati generis humani 1379.
12. *Egelolfus*, assumtus de Rodt monasterio, eligitur anno Christianæ redemtionis 1395.
13. *Joannes Reicherus*, aliàs Geroldishoferus, eligitur anno Christi 1401. Fideliter & feliciter præfuit & profuit annis 29. Constituitur Episcopus Augustanus, sed non voluit recipere tantæ gubernationis onus potius, quam honorem.
14. *Petrus Ostermaier* eligitur anno Christianorum 1430. Præfuit 40. annis, & propter senectutem deponitur vel exauthoratur.

15. *Joan-*

15. *Joannes Huber* eligitur anno Domini 1470. Præfuit 5. annis, & profectus in thermas, somnoq; ibi victus in aquis mirabili fato submergitur.

16. *Nicolaus Bavarus*, aliàs *Steinerus*, eligitur anno 1475.

17. *Joannes Wendlinger* eligitur anno 1479.

18. *Michael Molitor* eligitur anno gratiæ 1480.

19. *Rudolphus Friboldus*, è sancto Gallo assumtus, eligitur anno 1482.

20. *Laurentius Feelmannus*, Augustanus, eligitur anno Christi 1489. & anno sequenti totius Ecclesiæ suæ restitutionem & ampliationem incœpit, qua perfecta chorum etiam renovavit. Obiit anno 1515. cum præcedente anno resignasset.

21. *Wolfgangus Molitor*, ex Bobinga natus, eligitur anno 1514. Is emit Guckhenbergũ arcem à Wolffgango Schieck, quæstore Augustani Episcopi. In eam secessêrunt cum suo Domino præposito omnes fratres Georgiani, sub *Joanne Stabero*, eo tempore, quo Augustani genus doctrinæ Ecclesiasticum immutarunt. Præfuit Wolfgangus annis 22. & aliquot mensibus, vir bonus & doctus, sed & optimus œconomus. *Guckbenbergum.*

22. *Joannes Staberus*, egregius musicus, eligitur anno Christi 1536. Obiit anno 1542. secunda Aprilis Guckhenbergi. Sepelitur in majori Aitingo.

23. *Eberhardus Wilfingus*, ex Partenkirchio natus, eligitur anno gratiæ 1542. Præfuit 29. tantum septimanis. Obiit anno gratiæ eodem.

24. *Georgius Wirsingus*, Augustanus, eligitur anno salutis 1541. undecima Octobris. Obiit in ipso tumultu Germanico apud Guckhenbergum anno 1547. decima tertia Decembrium. Sepelitur in Mechingensi templo. Post mortem Wirsingi, omnes Georgiani fratres apud Bollingum (quod ejusdem ordinis cœnobium est in Bavaris situm) exularunt. *Bollingum Cœnob.*

25. *Jacobus Salicetus*, vulgo *Widemannus*, ex Sueviæ Menchingo natus, anno Dominicæ Incarnationis 1547. eligitur Guckhenbergi, 23. Maij, vir corporis & ingenii bonis conspicuus, huma-

humanitate nemini secundus. Præsidet is hoc adhuc currente Jubileo, insignis Bibliothecæ collector & coemtor studiosissimus.

❁ ❁ ❁

S. LUCII antiquissimum olim Benedictinorum monachorum, postea Præmonstratensium cœnobium, extra muros Churensis apud Rhetos urbis, post Cathedralem Basilicam in umbilico ac declivi vitiferi ac amœnissimi collis situm, S. Lucii, primi Rheticarum provinciarum Apostoli, ac à Rhætorum præfectis trucidati illic tandem martyris oratorium initio fuit. Quando vero cœnobium fieri cœperit, aut à quibus sit donatum vel constructum, id in oblivionem venit & in fastos à nemine relatum est. Sepelitur in ejus templo (ut vetus cryptæ inscriptio testis est) Valentianus, septimus Churæ Rheticæ Episcopus, qui primus fortassis monachos Benedictinos in hunc locum collocavit, videturq; coætaneus fuisse S. Benedicti Abbatis & monachorum omnium patris primarii. Conversum est vero in Præmonstratensium monachorum domicilium tandem annum Christi circiter 1140. ejectis inde lascivientibus & luxuriantibus Benedictinis monachis, a Conrado, Comite de Bibregk, Churiensis Ecclesiæ Episcopo tricesimo octavo, qui è Rogkenburgensi, à parentibus suis fundato in Suevis cœnobio accersérat monachos instituti Præmonstratensis ad reformandum hoc S. Lucii monasterium. Hoc nostro tempore Xenodochium est & pauperum ægrotorumq; receptaculum, traditum nuper à Rom. Pontifice Paulo III. venerabili ac clarissimo viro, Domino *Bartholomæo de Castromuro*, Canonico ac Decano majoris Ecclesiæ Churensis, sedisque Apostolicæ Protonotario, in cujus gratiam tale aliquando lusi de hoc cœnobio Idyllion heroicum:

S. Lucius, primus Rhetorum Apostolus.

Cœnobium vetus est antiquæ ad mœnia Churæ
Colle situm, qui vitifer omni est parte, merumq;
Procreat eximium. Quod quis fundaverit olim
Primus, vix aliquid certi diclaret Apollo.
Hoc certum tamen est, quod quidam Lucius illic
Vir sanctus (plebem Christi qui verba docebat)

Vixt-

Vixerit, ædificans primum domicilia parva
Atque angusta sibi, tumido cum pulsus ab Istro
Bojorum ruditate, ad Rhætos venerat exul.
Sed quis Lucius hic fuerit, quo sanguine cretus,
Ex qua gente, potest mihi disceptatio oriri.
Sunt, quibus ille satus credatur gente Britanna,
Regis filius, Emeritæ fraterq; puellæ:
Quæ tamen est & habetur tantum fabula doctis.
Sunt alii, quorum sententia sanior esse
Creditur: bi (quod Lucius hic Cyrenaicus ejus
Filius extiterit senis ingenuiq; Simonis,
In cruce qui Christum gestanda juverit olim)
Affirmare audent: namq; is pia dogmata Christi
Sparsit apud Bojos primus, qui pulsus ab illis,
Rhætorum sibi sub montanis condidit exul
Exiguam sedem, Christum in qua rursus, ut ante, est
Concionatus: ab ipsa donec plebe feroci
Ingrataq;, & nec Christo credente, sub ipsa
Martiola arce trucidatus, quoq; sanguine Christum
Testaretur, & æternum Dominumq; Deumq;
Esse, & ab æterna meritis nos solius hujus
Morte ac perpetuis à flammis esse redemtos.
Istius laris Abbatum non integer extat
Amplius ordo, ut is antiquis intercidit annis.
At nunc, Pontificis nutu, ipsi præsidet heros
Bartholomæus, honorata de gente creatus
Castro Murensi, Churensium in æde Decanus,
Ingenio magnus, doctrina major & usu
Multarum rerum, scribensq; loquensq; latina
Non trivialiter omnia, quæ dicenda etiam amplo
In doctorum hominum cœtu sunt atq; senatu:
Ut senio venerandus, ita & pietate & honesti
Atque æqui studio nulli toto orbe secundus,
Nestoreos donet placidus cui Jupiter annos.

Ex Ratisbona videlicet, ubi concionatus est Christum.

D. Bartholomæus de Castro Muro.

S. MAGNI Faucense cœnobium, ordinis D. Benedicti, in alpestri Suevia ad Lycum amnem in ejusdem nominis Episcopali oppido situm, diœceseos Augustanæ, dictum olim Faucense, nunc parum mutata voce Fussense, quòd intra Sueviæ Alpium fauces quasi lateat: id, inquam, fundatum est anno Domini 720. ad preces S. Magni, unius etiam ex omnium primis Germaniæ Apostolis, à potentissimo Francorum Rege Pipino: postea auctum & locupletatum à Carolo Magno Rege, & à Wicterpo, Episcopo Augustano: donatum verò à Leopoldo, Austriæ Marchione, & Guelphone, Suevorum Duce, ut est in his veteribus versiculis *Jacobi Philomusi*, Poëtæ Laureati.

Cœnobium Fuessen regali dote Pipinus
Fundavit, sancti permotus numine Magni.
Vastatum Cæsar reparavit Carolus idem,
Atque Augustana Simbertus præsul in urbe.
Austriacæ post hæc Leopoldus Marchio terræ,
Guelpho Suevorum Dux ampliter augmentarunt.

Catalog. Abbatum. Hujus loci Abbatum talis reperitur catalogus.

1. *S. Magnus*, S. Galli discipulus, primus hujus cœnobii una cum Francorum Rege Pipino fundator, ejusdemq; primus Abbas, præfuit 25. annis, Pontificatum Stephano II. tenente, & feliciter obiit anno Christi 745. clarus miraculis tam in vita, quàm post mortem. Sepelitur in cœnobio suo, ubi hodie adhuc corpus ejus monstratur.

2. *Conradus*, qui in media Ecclesia Faucensis monasterii sepultus cernitur.

3. *Wolpoto.*

4. *Godeboldus.*

5. *Ortolphus.*

6. *Bertholdus.*

7. *Wilhelmus.*

8. *Adalberus*, alibi *Adilhalmus* dictus, non Faucensis tantum, sed & Utenburrhanus, Wingartensis, domus S. Petri Constantiensis & Neresheimianus Abbas, obiit anno Dñi 1094.

9. *Ruper-*

9. *Rupertus.*
10. *Bernoldus.*
11. *Guntherus.*
12. *Leutolphus.*
13. *Geſylo.*
14. *Egino.* Iſti tredecim Abbates præfuerunt monaſterio Faucenſi 445. annis. Tot enim effluxerunt anni à tempore S. Magni, usque ad ſequentem Abbatem: alioqui nihil de ipſis habetur ſcriptum.
15. *Henricus* cœpit præeſſe monaſterio Faucenſi anno Chriſti 1190. Præfuit laudabiliter annis 10.
16. *Gerungus* eligitur anno 1200. Præfuit annis 11. Obiit anno 1211.
17. *Conradus* præfuit annis 14. Obiit anno 1225.
18. *Diethо* præfuit annis 15. Deceſſit anno 1240.
19. *Ruggerus* præfuit annis ſex. Exuit hominem anno gratiæ 1246.
20. *Rudolphus* præfuit annis 12. Exceſſit è vivis anno ſalutis 1258.
21. *Albertus* præfuit annis ſex. Obiit anno 1264.
22. *Hermannus* præfuit annis octo. Moritur anno gratiæ 1272.
23. *Hildeboldus* præfuit annis 15. Deceſſit anno 1287.
24. *Conradus* præfuit annis 16. Evocatur ex hac vita anno ſalutis 1303.
25. *Hermannus* ſecundus hujus nominis præfuit annis 13. Obiit anno 1316.
26. *Hermannus* tertius præfuit annis 10. Obiit anno 1326.
27. *Goſwinus* præfuit annis 9. Valedixit hominum in terris viventium conſuetudini anno Chriſti 1335.
28. *Joannes* præfuit annis undecim. Obiit anno 1346.
29. *Henricus* præfuit annis 12. Deceſſit anno Dni 1358.
30. *Udalricus* præfuit annis ſeptem. Obiit anno incarnat. Verbi 1365.
31. *Luitbrandus* præfuit annis 16. Migravit ex ho[mi]no 1381.

32. *Joannes* præfuit annis 10. Obiit anno 1391.

33. *Fridericus* præfuit annis 13. Evocatur ex hac vita anno 1404.

34. *Joannes* annis 9. Deceſſit anno Chriſti 1414.

35. *Georgius* præfuit annis octo. Poſuit gubernationem anno gratiæ 1421.

36. *Ibanus*, forte Eobanus, præfuit annis 16. Erat nobilis à Rotenſtein, qui interfuit prius hujus cœnobii nomine Concilio Conſtantienſi: moxque poſtea Baſilienſi. Obiit anno Domini 1438.

37. *Joannes Schmeerlaib* præfuit annis 8. Hoc præſidente, magna pars Faucenſis oppidi incendio periit una cum monaſterio. Obiit anno 1446.

38. *Conradus Klammer* præfuit duobus penè annis. Deceſſit anno 1447.

39. *Joannes Algerus* ſeu *Algovius* præfuit annis 30. fideliter & feliciter. Is reædificavit Abbatiam & dormitorium, & fuit primus Abbas poſt reformationem monaſterii. Valedixit vitæ & Abbatiæ anno Domini 1477.

40. *Joannes Heſſus* præfuit annis 21. egregius monaſterii ſui ampliator, qui tandem propter ſenium gubernationem an. 1498. reſignavit.

41. *Benedictus Furtenbachius* præfuit annis 34. & reſignat anno 1532.

42. *Joannes Baptiſta Bentzingerus* præfuit annis 13. Obiit anno 1545.

43. *Gregorius Gerenboch* ſucceſſit Baptiſtæ, vir hoſpitalis ac munificus. Præſidet adhuc feliciter hoc currente Jubileo.

❁ ❁ ❁

S. MARIÆ mons Bodobrigius, vel monaſterium B. Virginis Mariæ in monte extra muros Boppardenſes paululum à Rheno ſupra civitatem verſus Hunnorum præſidia ſitum, Benedictinæ profeſſionis monialium à civibus ejus urbis primum cœ[illegible]m ac conditum eſſe legitur, privilegiatum vero à P. M. Gre[illegible]II. ſubjectū S. Matthiæ Trevirenſi cœnobio, temporibus Hen-

Henrici IV. Rom. Imperatoris. Postea vero à Friderico II. Imperatore liberaliter donatum est, qui cœnobium collapsum instaurari curavit & in tuitionem suam recepit 20. Kalend. Maij, anno Domini 1220. circa quæ tempora donatum etiam legitur ab Arnoldo, Trevirorum Archiepiscopo, ecclesia Nenningensi. Habuit olim gubernatrices magistras, hodie vero Abbatissas. Reformatum & clausum est anno Domini 1432. Ab eo tempore usq; ad hæc nostra præfuerunt illic sequentes Abbatissæ. *Abbatiss. series.*

1. *D. Isengardis*, nobilis à Greiffenkloe, Richardi Archiepiscopi Treverensis amita, quæ præfuit annis 37. & legitur ex hac vita emigrasse ad æternam anno Domini 1469.

2. *Christina à Greiffenkloe* præfuit annis 15. Obiit anno salutis 1484.

3. *D. Margareta*, Rheni Comitissa, præfuit 30. annis. Obiit anno Domini 1514.

4. *D. Cecilia Ingelnheim* præfuit annis 4. Obiit anno 1518.

5. *D. Apollonia à Dalburg Cameraria*, Wormatiensis, doctissimi Episcopi Wormatiensis Joannis ex fratre neptis, præfuit quinq; annis. Obiit anno Domini 1523.

6. *D. Maria*, Comitissa à Sunnenberg, præfuit annis 22. Obiit anno Domini 1546.

7. *D. Barbara*, Comitissa de Leiningen, Emichonis Comitis & Agnetis Comitissæ Eppensteinensis filia, eligitur in Kalendis Maij, anno Domini 1547. Domina longe formosissima & humanissima. Præest adhuc anno hoc Christi 1550. Est huic monasterio vicinum aliud etiam cœnobiolum monialium tertiæ regulæ Francisci S. Martino dicatum: & è regione ejus in altera Rheni ripa Campium, ejusdem ordinis ac professionis Franciscanæ monasterium: quæ utraque ex piorum hominum eleemosynis & collationibus potius, quàm Principum munificentia emerserunt. *S. Martini Cœnob. Campium Cœnobiolum.*

❁ ❁ ❁

S. MARTINI Colonienſe monasterium Benedictinæ professionis magnificum, in insulis Rheni olim, hodie non procul à Rheno intra urbis mœnia situm, fundatum legitur primum ab

Odgero, potentissimo Daciæ Duce: tandem vero reparatum & auctum, post primamq; ejus eversionem quasi de novo instauratum annum Christi circiter 986. sub Imperatore Othone III. ab Evergero, Archiepiscopo Colonienſi, S. Heriberti antecessore. Ejus loci talis mihi superiore anno (cum Coloniæ essem) exhibitus & ab ipso Abbate communicatus est catalogus.

Series Abbatum.

1. *Mimbrinus.*
2. *Chilianus.*
3. *Helias.*
4. *Majolus.*
5. *Felanus.*
6. *Wolfardus.*
7. *Hezelinus.*
8. *Isaac.*
9. *Alvoldus.*
10. *Gerhardus.*
11. *Albanus.*
12. *Wilhelmus.*
13. *Piligrinus.*
14. *Adelardus.*
15. *Godeschalcus.*
16. *Everhelmus.*
17. *Ortlinus.*
18. *Rudolphus.*
19. *Simon.*
20. *Bruno.*
21. *Ludolphus.*
22. *Hermannus* I.
23. *Bruno* II.
24. *Joannes.*
25. *Hermannus* II.
26. *Hermannus* III.
27. *Franco*, qui sedit annis duobus.
28. *Arnoldus*, qui sedit annis 46.
29. *Joannes* sedit annis 29.
30. *Theodoricus* annis 45.
31. *Constantinus de Baldenborch* præfuit Abbatiæ annis 11.
32. *Jacobus Wachendorpius* sedit annis 16. Assumsit observantiam regulæ. Obiit anno Domini 1454.
33. *Adamus Meier* sedit annis 44. Obiit anno Domini 1499. decima tertia Kalend. Martii. Sepelitur in medio choro.
34. *Henricus de Lippia* sedit annis sex. Decessit anno Domini 1505.
35. *Joannes de S. Trudone* sedit annis duobus ac mensibus totidem. Obiit anno 1507.
36. *Gerardus* præfuit annis penè 40. Emigravit ex hoc seculo anno Christi 1546. sub tumultu Germanico.
37. *Joannes* præfuit annis duobus. Obiit 1549.

38. *Bal-*

38. *Balthasar Tungrus*, vir procerus & elegantis staturæ, sed & doctus ac humanissimus, literarum omnium amantissimus, eligitur circa natalem Domini anno 1549. Præsidet feliciter hoc currente adhuc Jubileo.

❁ ❁ ❁

S. MARTINI Treverense monasterium, instituti Benedictini, extra & intra, hoc est, ad ipsos muros urbis infra saxeum pontem vetustissimum, in dextra Mosellæ fluminis situm, constructum & ex Tetradii Consularis viri privata domo in scholasticæ congregationis habitationem, in domum Dei & oratorium commutatum est annum Christi circiter 406. imperantibus Arcadio & Honorio, ab ipso S. Martino, Turonensi Episcopo, virtutibus pleno. Cum etiam Treverin is veniisset, & Tetradii Consulis servum ibi malo spiritu correptum à dæmonio liberasset, Consul, ut esset pro præstito sibi beneficio gratus, S. Martino domum suam dono dedit, hac lege, ut vir Dei ex ea ipsa oratorium & domum precationum S. Cruci dedicatam faceret. Extat hodie adhuc Vita S. Martini à *Severo* quodam eleganter descripta in hujus cœnobii perveteri Bibliotheca. Postea vero hanc ipsam precationum & disciplinæ domum, barbarorum crebris in Galliam Belgicam & Germaniam irruptionibus desolatam & plane collapsam auxit circa annum Christi 526. & monachis Benedictinæ professionis collegium & habitaculum fecit paulo amplius & augustius, quàm fuerat ante, quinquagesimus Trevirorum Episcopus, Magnericus, qui abolito S. Crucis prisco nomine S. Martini cœnobium novo titulo jam appellari jussit. Ejus antistitis in hoc ipso cœnobio ostenditur tumulus in subterranea videlicet templi crypta, post D. Virginis aram. Tandem post multorum annorum curricula, cum à Nordmannis vastaretur tota ferè Gallia, & in Treverin etiam (quæ tum Galliæ Belgicæ annumerabatur) misere sævitum esset, iterum periit S. Martini illud cœnobium universum. Sed mox ab Episcopo Trevirorum sexagesimo octavo, Rathbodone vel Rachabodo, circa annos Domini 880. præclare reædificatur. Tertio vero ab Hungaris etiam, toti Germaniæ vastitatem minantibus, incensum: rursus à Theoderico, septua-

S. Martinus Treveri dæmoniacum liberat.

ptuagesimo secundo Trevirorum Antistite instauratur circa annum Christi 960. Abbatum hujus loci talis extat, etsi aliquibus locis mancus, catalogus.

Catalog. Abbatum.

1. *Isengerus* vel *Ingerus* ab Episcopo Magnerico huic novo monasterio præficitur primus gubernator: sed quàmdiu is præfuerit, aut quando obierit, id vetustate intercidit. Hujus successores non relati sunt in fastos, aut si relati sunt, certe in bellicis tumultibus id omne iterum igne assumtum disperiit.

2. *Regino* vero Abbas præfuit circa annos Domini 888. constitutus post Nordmannicam vastationem à Rathbodone, Archiepiscopo Treverensi, tertio fundatore. Sed nec de isto quicquam amplius literis mandatum reperitur.

3. *Beroaldus* successit Reginoni: sed quo tempore aut quamdiu præfuerit, ignoratur.

4. *Albericus* præfuit sub Archiepiscopo Trevirorum, Henrico. Legitur præclare auxisse cœnobium rebus temporalibus. Post hunc iterum jam hiatus est & aliqui desiderantur. Tum enim ab Hunnis per omnes Rheni provincias crudeliter grassantibus iterum eversum est cœnobium.

5. *Augilbertus* vel *Egilbertus* à Theodorico, Treverensi præsule, quarto fundatore hujus loci, Abbas constitutus præfuit ante & post annum Domini 961. sub Othone I. Imperatore, & Benedicto VI. Pont. Max.

6. *Eberwinus* successit Egilberto. Præfuit anno Domini 995. sub Trevirorum Archiepiscopo, Ludolfo. Scripsit is vitas S. Magnerici Archiepiscopi, & Simeonis, monachi Treverensis, miraculis clari. Sub hoc Ebervvino Abbate Adalbero quidam de Lutzenburg, præpositus S. Paulini, sese in Episcopatum violenter intrudens annum Christi circiter 1006. S. Symphoriani monialium cœnobium, S. Martino vicinum, funditus evertit. Post Ebervvinum hunc iterum aliqui Abbates desiderantur.

S. Symphoriani Cœnobium.

7. *Sigeberinus* obiit anno Domini 1097. sub Archiepiscopo Trevirorum, Engelberto.

8. *Theodoricus* successit Sigeberino: sed quàm diu ad clavum sederit, ignoratur.

9. *Gode-*

9. *Godefridus* præfuit anno Domini 1154.
10. *Oliverus* anno Christi 1177.
11. *Godefridus* secundus successit Olivero: sed quo anno, non invenitur.
12. *Reinherus* præfuit anno 1181.
13. *Wilhelmus* anno Christi 1217.
14. *Richardus* eligitur anno 1218. sed quando decesserit, ignoratur. Sepelitur in templo S. Martini, honorifico Mausoleo, cui hoc hexametrum ac satis elegans epitaphion incisum legitur:

Quid laus, quid probitas, quid honor, quid forma, quid ætas
Prosunt? Incertas subeunt hæc omnia metas.
Clara stirpe satus, pietatis nectare plenus,
Moribus imbutus, animo vultuq; serenus,
Eloquio doctus, inopum pia cura, probatus
Abbas Richardus, hoc busto pausat humatus:
Pro quo devotus lector roget, ut prece matris
Hunc Deus eripiat Satanæ de faucibus atris.

15. *Baldwinus* præfuit anno Domini 1238.
16. *Theodoricus* anno Christi 1244.
17. *Regingerus* vel *Regnerius* anno 1249. Ejus in templo S. Martini tale legitur saxo incisum epitaphion:

Francigenæ stirpis & magnæ nobilitatis
Abbas Regnerius hic putret egregius.
Cunctorum festo Sanctorum carne soluto
Optamus votis, ut societur eis.

18. *Joannes*, Abbas S. Martini & suffraganeus Treverensis Episcopi, Henrici à Vinstingen, præfuit anno Domini 1261.
19. *Hugo* præsedit cœnobio huic anno gratiæ 1302.
20. *Joannes de Læsura* anno Domini 1335.
21. *Joannes de Meilio* anno 1359.
22. *Wernherus* anno 1362.
23. *Wilhelmus Zant* annis Christi 1364. & 1366.
24. *Wilhelmus de Merll* eligitur anno 1367. Præfuit 22. annis. Obiit anno Dominicæ Incarnationis 1389. feria quarta post festum Jacobi Apostoli.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

25. *Hugo de Ellentz* præfuit annis 27. Obiit anno 1416. in vigilia S. Dionysii.

26. *Joannes de Schwartzenburg* præfuit annis 11. Obiit anno 1427. in festo inventæ S. Crucis.

27. *Herbrandus* successit Joanni: sed quando decesserit vel secesserit, incertum est.

28. *Henricus de Gemunda* præfuit anno 1432.

29. *Matthias Rudigerus* præfuit anno 1441. Fuit consiliarius Imperatorius, sed parum felix œconomus. Ejicitur itaq; ex Abbatia, sed quo anno, id æquè incertum est. Obiit verò anno Domini 1482. pridie Kalendarum Novembrium.

30. *Joannes Blanckhenhardus*, reformationis author an. 1471. obiit anno Domini 1499. Idibus Decembribus.

31. *Conradus de Ratingen*, hamaxurgi cujusdam filius, construxit anno 1500. dormitorium & alia plurima de novo. Obiit anno Domini 1523. quinto Kalendarum Junii, cum præfuisset 24. annis laudabiliter.

32. *Nicolaus Reihelius*, ad Mosellam natus, successit Conrado. Præfuit annis 16. Condidit refectorium. Obiit in Kalendis Octobribus, anni Christianorum 1539.

33. *Rupertus de Heptenacria*, vir doctus, inprimis vero musicus eximius, statura corporis parvus, at humanitate longe maximus, mihiq; singulari benevolentia conjunctus, eligitur anno Domini 1539. Præsidet hoc adhuc currente Jubileo: qui de seipso sic lusit:

Has ædes vigili dum cura atq; arte reformo,
Rupertus numerum jam claudo ex ordine patrum.

Gebenna, Apollinis mons.

Eregione hujus Martiniani cœnobii est ultra fluvium mons Gebenna, quem à veteri Apollinis idolio Apollinis montem antiquitas vocabat: hoc verò seculum à Paulo quodam eremita, tandem Theologorum collegii Abbate & postea Virdunensi Episcopo, Paulinum montem (eo quòd ille oratorium illic sibi, deturbato in Mosellam Apollinis Idolo, fecerit) appellare solet.

Mos Trevirensium Laxiorū.

Ex eo monte hodie adhuc *Treverenses lanii* morem hunc retinent præcipitandæ singulis annis incensæ & ardentis rotæ in præterfluen-

fluentem Moſellam, ad deturbati inde Apollinis ac melioris Numinis ſuffecti memoriam ad poſteros conſervandam.

S. MATTHIÆ præpotens ac magnificum hodie extra muros Treverenſes cœnobium monachorum Benedictini inſtituti & reformationis Bursfeldenſis, inchoatum eſt annum Chriſti circiter 700. dictumq; antiquitus S. Eucharii cella, à S. Eucharo I. Trevirorum doctore & Epiſcopo, qui ex LXXII. Diſcipulis unus à S. Petro cum aliis duobus, Materno & Valerio, Treverin miſſus, cum ibi concionans ad Chriſtum Treviros duceret, Albanæ Senatricis cujusdam filium defunctum ex mortuis reſuſcitavit: pro quo beneficio cum dediſſet fœmina domum ſuam ſancto Dei viro, ipſe mox ex illa ipſa domo privata publicum eorum (qui jam Chriſto inſerti erant) templum faciens S. Joanni Evangeliſtæ idipſum dedicavit. In hac domo & in hoc ipſo templo S. Eucharius habitavit: in hac mortuus, mox ab auditoribus in ſubterraneam templi cryptam poſitus ibiq; humatus eſt, in quem locum omnes poſtea ejus ſucceſſores Epiſcopi Treverenſes usq; ad Valentinum, viceſimum ſextum Antiſtitem, collocati & deportati, ibiq; decenter humati ſunt, tumulis & Mauſoleis quindecim ampliſſimis parietis cryptæ eleganter inſertis, quæ nonniſi cum multa admiratione videri poſſunt. Extat hodie adhuc in cœmiterio quodam cœnobii hujus parieti inſertum idolum quoddam ſaxeum ſive *Dianæ*, ſive *Veneris*, à S. Eucharo dejectum & confractum: juxta id legitur hoc barbarum epigramma, etſi non integrum: perierunt enim aliqui verſus.

S. Eucharius I. doctor Trevirorum.

Dianæ idolum.

Me pridem Treberis prophanis coluit aris
Sacrilegi numinis: jam truncus ſpernor inanis.
Proſtrata ſpernor, piſcator dum legat, error
Tollitur, Eucharium, Maternum, Valerium tunc.

Addita eſt vero à recentioribus Abbatibus Germanica etiam epigraphe in hunc modum:

Wolt jr wiſſen/ was ich bin/
Ich bin geweßt ein Abgöttin.

Do S. Eucharius zů Trier quam/
Ehr mich zůbrach/ mein Eher abnam.
Jch was geehret/ als ein Gott/
Jetzt ſtan ich hie der Welt zů ſpott.

Cœmiterium vero S. Eucharii duas habet ſubterraneas cryptas, in quibus plurima veterum heroum & ſanctorum Dei amicorum cernuntur Mauſolea & magnifica ſepulchra: unum vero præcipue cum Liliis ſaxo inciſis, quæ Regem Galliæ ibi cubare teſtantur. Periit incendio hæc cella S. Eucharii circa annum Domini 330. ſed reſtituitur paulo poſt à S. Agricio, Archiepiſcopo Trevirorum XXVII. qui corpus S. Matthiæ Apoſtoli Treverin afferens in eam cellam transtulit, quam deinceps S. Matthiæ monaſterium appellandam cenſuit. Everſa vero tandem ab Attila, Hunnorum Rege (qui ſe metum orbis & flagellum Dei dicere non erubuit) tota ferè Treveri, cella hæc S. Matthiæ etiam ſolo æquata eſt, quam mox tamen Cyrillus, triceſimus ſeptimus Trevirorum Antiſtes, non ſolum reparavit, ſed & auxit & ampliavit, ſibiq; tumulum illic prope anteceſſores ſuos conſtituit. Monaſtica verò congregatio cœpit illic paulo poſt hujus Cyrilli tempora, & fuiſſe in ea multos eximie doctos ac admodum diligentes monachos, teſtatur hodie adhuc incomparabilis hujus monaſterii Bibliotheca. Mox Galliæ Regum & Epiſcoporum Treverenſium acceſſit liberalitas ac munificentia, qua & ditatum & egregie illuſtratum eſt gymnaſium S. Matthiæ. Habet hoc præ cæteris plurimis ornamentis, 28. fontes optimos ac limpidiſſimos, omnes ex una ſcaturigine ortum & initium ſumentes. Abbatum autem tam amœni loci primorum & vetuſtiorum omnia nomina interciderunt: qui vero ab Egberti Archiepiſcopi temporibus ad hæc noſtra usq; præfuerunt, eorum nomina hîc ſubjungere libuit, cum brevi cujusq; annalium commemoratione.

S. Matthiæ corpus.

Attila Hunnus.

Series Abbatum.

1. *Gotherius* Abbas, ex Gandenſi cœnobio accerſitus, anno 977. ab Archiepiſcopo Treverenſi Egberto ordinatur. Præfuit an. 13. Hoc regnante, donodedit prædictus Epiſcopus S. Materno villam Longoſuram cum attinentiis an. 979. anno Epiſcopatus Egberti V. Obiit Gotherius anno Domini 990. 2. Ri-

2. *Richardus* constituitur Abbas anno 991. Præfuit annis 33. Obiit octavo Idus Augusti anno Domini 1024.

3. *Bertholffus* eligitur anno 1024. Præfuit annis 26. Sub hoc Abbate donodedit Jutta, Duciſſa & Marchioniſſa Lotharingiæ, & maritus ejus Adalbertus Manendorffum cum attinentiis, & quasdam alias curtes sub Archiepiſcopo Poppone. Obiit Berthulffus anno Domini 1050.

4. *Reginhardus* succeſſit. Præfuit annis 12. Deceſſit anno salutis 1062.

5. *Robertus* eligitur in Reginardi succeſſorem anno 1062. Præfuit annis 12. Sub ejus gubernatione trucidatur S. Cono Epiſcopus à Treverenſibus anno Domini 1066. *Epiſcopus Trevirenſis trucidatur.*

6. *Bernardus* Abbas fit anno 1074. Præfuit annis 23. Obiit 8. Kalend. Martii anno Chriſti 1097. Sub eo concrematum eſt monaſterium S. Paulini (quod hodie Canonicorum collegium eſt) in Kalendis Auguſti anno 1093. *S. Paulini monaſterium.*

7. *Erwinus* vel *Everwinus* fit Abbas anno 1097. Præfuit annis 13.

8. *Eberhardus* primus, dictus de Kamberg, eligitur anno 1110. Præfuit annis 19. Obiit quinta Idus Martii. Fuit inſtaurator magnificus cœnobii, quod dejecto veteri renovavit, auxiliis Brunonis Epiſcopi anno Domini 1113. Ejusdem Abbatis temporibus inventum eſt corpus S. Matthiæ Apoſtoli, an. 1126. *Corpus S. Matthiæ Apoſtoli inventum.*

9. *Berthulffus* ſecundus eligitur anno 1129. Præfuit annis 26. Supplevit & abſolvit ædificia ab anteceſſore inchoata. Conſecrari fecit novum templum à Pontif. Max. Eugenio III. anno Domini 1148.

10. *Siboto* vel *Siboldus* fit Abbas anno 1155. Præfuit annis 32. Obiit in vigiliatrium Regum.

11. *Ludovicus* Abbatiæ præficitur anno 1187. Præfuit annis 20. Legitur fuiſſe fundator vicini ſuo cœnobio Hoſpitalis. Obiit ipſo die Sylveſtri Papæ. Præfuit Epternacenſi etiam cœnobio ab anno Chriſti 1173. usq; ad annum 1181. per octennium nempe, & Treverin redit.

12. *Godefridus* ſucceſſit Ludovico anno 1207. Præfuit annis 4. Obiit 4. Idus Martii.

13. *Jacobus* fit Abbas anno Domini 1211. Præfuit annis 46. Conſtruxit ſacellum B. virginis, in quo ſepultus eſt. Obiit tertia Nonarum Julii. Sub hoc Abbate dono dedit Arnoldus, Archiepiſcopus Trevirorum, monaſterio montis S. Mariæ juxta Bodobrigam, hodie Poppardiam vocant, Eccleſiam Nenningenſem, ut per id monialium paupertas ſublevaretur.

14. *Theodoricus* Abbas factus eſt anno Domini 1257. Præfuit annis 30. Expellitur cum fratribus ex monaſterio per Henricum Archiepiſcopum, qui expulſo ſubrogarat quendam S. Maximini cœnobitam, D. Guilielmum de Meiſenborch: ſed à Pontifice Romano Urbano IV. reſtitutus cum honore rediit tandem, qui erat injuſte expulſus.

15. *Alexander* eligitur anno 1287. Præfuit annis 19. Obiit ſeptimo Kalend. Junii.

16. *Fridericus* primus eligitur anno 1306. Præfuit annis 12. Obiit in Kalendis Novembribus. Sub eo tanta fuit anno Domini 1315. fames & peſtilentia in diœceſibus Treverenſi, Colonienſi & Moguntinenſi, ut multi homines etiam fame perierint, ne quid dicam de pecudibus, quia per duos annos continuæ penè pluviæ nimium inundarant & obruerant terram.

17. *Eberardus de Warnesberg* deſignatur Abbas anno Domini 1318. Præfuit annis 15. Obiit anno Domini 1333. in profeſto Urbani Papæ. Sepelitur in ſiniſtra parte ad aram omnium Sanctorum à ſe conditam. Fecit ſedilia in choro & campanam maximam, quam vulgo Benedictam (quod in honorem ejus monachorum patris fuſa ſit) incolæ vocant.

18. *Fridericus de Heinſenberg* eligitur anno 1333. Præfuit annis 11. Obiit 16. Kalendarum Septembrium.

19. *Henricus*, natus *de Rodenmachern*, fit Abbas anno 1344. Præfuit annis 7. Obiit ipſo die Converſionis Pauli, ſepultus ad S. Benedictum.

20. *Waltherus de Menga vel Megingen* eligitur anno 1351. Præfuit annis ſex. Obiit 5. Septembrium anno Domini 1357. Sepultus in ſiniſtro latere altaris omnium Sanctorum.

21. *Joan-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

21. *Joannes de Walderſingen* ſucceſſit Walthero anno 1357. Præfuit annis 9. Obiit in die Nicomedis.

22. *Jofridus*, Comes da Leiningen, deſignatur Abbas anno 1366. Præfuit annis 44. Obiit anno Domini 1410. altera Valerii Epiſcopi: ſepultus in latere ſiniſtro altaris S. Helenæ ſub Chunone, Archiepiſcopo Trevirorum. Reliquias omnes auro & argento veſtivit, quarum oſtenſionem primus cœnobio iſti introduxit cum Chunonis Archiepiſcopi conſenſu, à Papa Bonifacio IX. impetratam, apud quem pontificalia etiam ornamenta omnia obtinuit.

23. *Eberhardus de Hohenegk* eligitur anno 1410. Præfuit annis ſex. Obiit in die S. Cæciliæ. Sepelitur ad aram S. Helenes ad caput Gotfridi Abbatis.

24. *Herbrandus de Gulſa* eligitur anno 1416. Præfuit annis duntaxat 3. & propter reformationem reſignavit, Priorq; factus eſt ad S. Maximinum, ubi in ambitu ſepultus eſt juxta gradus verſus introitum chori.

25. *Ioannes Rhodius* de Treveri eligitur anno 1419. vir ſacrarum literarum ſtudioſiſſimus & doctiſſimus, Juris item Canonici peritiſſimus, moribus & converſatione devotus, regularis obſervantiæ Burſfeldenſis per totam Germaniam inſtaurator & utriusq; ſexus monaſteriorum per totam Rhenenſem provinciam reformator celeberrimus. Studuit Heidelbergæ, ubi ſacræ Theologiæ Baccalaureus & Pontificiorum Canonum Licentiatus effectus, tandem Eccleſiæ Metenſis Canonicus & S. Simeonis apud Treverin Decanus, curiæq; Trevericæ officialis deſignatus eſt. Tandem pro Chriſti amore omnia mundi contemnens Carthuſiam extra Treverin ſitam ingreſſus, poſt aliquot annos ab Archiepiſcopo, juſſu & authoritate Papæ Martini V. inde extractus & Abbatiæ S. Matthiæ præfectus eſt, introductus anno 1421. Præfuit ab eo tempore 18. annis feliciter & utiliſſime. Scripſit multa opuſcula, pro reformatione monachorum conſtitutiones utiles, librum unum: de qualitate Abbatis librum unum: In Geneſin librum imperfectum: & alia plurima. Obiit extra monaſterium in oppido Monthabur: revectus tamen anno Domini 1439. Kalen-

Kalendis Decembribus: sepultus ante aram S. Stephani Protomartyris cum tali epitaphio:

Hic jacet in tumba vas ordinis, alta columna,
Abbas donatus Joannes Rode vocatus.
Collectis membris primo succumbo Decembris,
Tricesimo nono C quater M quoq; solo.

Sub ejusdem gubernatione cives Treverenses anno Domini 1432. plurimum fuerunt injurii cœnobio S. Matthiæ. Pater vero hujus Abbatis, Joannes Rode, civis Treverensis, & mater Catharina dono dederunt cœnobio 400. Rhenenses & alia plurima.

26. *Joannes Vorst* designatur Abbas año Domini 1439. Præfuit 4. annis, & Coloniam avocatur à monastica congregatione S. Pantaleonis, ubi Abbas designatus est.

27. *Henricus Wolffius de Spanheim*, monachus B. Mariæ ad Martyres, cœnobii extra Treverin siti, eligitur Abbas anno 1443. Præfuit annis 8. Obiit 8. Iduum Aprilis. Sepelitur prope aram S. Stephani cum tali epitaphio rudi & barbaro:

Anno milleno cum C quater, L quoq; primo,
De Spanheim natus, Henricus Wolff vocitatus
Hic conservatus, & vermibus esca paratus,
Abbas Mariæ translatus eratq; Mathiæ.

Himmelrode Cœnobium.

28. *Joannes Donorius*, à tonitru dictus, de Aldewasser oppido juxta inferius Trajectum sito oriundus, monachus in Himmelrode ordinis Cisterciensis præpotenti Eifliæ cœnobio, profectus postea ad S. Matthiam sub Abbate Henrico Lupo, fit Abbas tandem anno 1451. ad instantiam & petitionem Domini Jacobi Sirgk, Archiepiscopi Treverensis. Præfuit annis 33. Obiit Coloniæ ipso die Bernhardi Abbatis, sepultus in monasterio S. Martini Coloniæ, in medio choro prope Abbatem ejus loci Adamum.

S. Germani cœnobium & Gymnasium Trevereuse.

Sub eo incorporatum est monasterio S. Matthiæ cœnobium Benedictinæ professionis monialium S. Germani, intra urbis Treverensis muros situm, in cujus templo honorifice sepulta cubat Domina Gerasina, Siciliæ regina, matertera S. Ursulæ. Incorporatio hæc facta est anno Domini 1478. Nunc abolito monia-

monialium cœtu insignis ibi schola est, in qua hoc tempore docti aliquot viri, Canonici seculares, publice sacras & philosophicas literas magna laude profitentur, quorum rector erat, quo hæc scripsi tempore, egregie doctus vir, *D. Joannes Oenipontanus*, liberalium artium magister. Anno 1464. data fuit Domus dotis ad S. Medardum, vulgariter dicta der Wedemhoff/ sororibus ibidem volentibus habitare, ab hoc Domino Joanne Tonitru Abbate, pro sex tantum personis illic Deo servituris. Primæ sorores fuere Elisa & Agnes de Bacharacho, filiæ Ewaldi de Bacharach, civis cujusdam Colonienſis. Postea anno Domini 1496. data est iisdem sororibus, in vicinia S. Matthiæ ad S. Medardum habitantibus, potestas recipiendi in recens inchoatum monasteriolum 32. sorores. *S. Medardi monialium cœnobium.*

29. *Antonius Lewenius* de Trajecto inferiori eligitur in Abbatem S. Matthiæ anno Domini 1484. in profesto S. Bartholomæi. Præfuit laudabiliter & utilissime annis 35. & mensibus sex. Obiit anno restitutæ & denuo patefactæ gratiæ 1519. decimo Kalend. Aprilis. Sepultus est ante aram S. Antonii à se constructam. Is templi adhuc præsentis ac incolumis longeq; magnificentissimi conditor est, quemadmodum & Bibliothecæ: item insignis & eleganter ac sumtuose fabrefactæ vereq; admirandi operis tabulæ, quæ est triplex in ara S. Matthiæ.

30. *Eberhardus de Campis*, Abbas doctus & moribus optimis præditus, qui & plurima scripsit, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam cum summa laude ac gloria transmisit, eligitur in Abbatem anno 1519. ipso die Annunciationis Dominicæ. Præfuit laudabiliter annis 7. Obiit anno 1526. eodem die, quo antea electus fuerat in Abbatem. Sepelitur ad aram S. Agathæ.

31. *Petrus Oliviæ* succeſſit Abbati Eberhardo. Præfuit annis 7. mensibus 3. laudabiliter. Construxit novam Abbatiam & alia multa: plurima ab antecessoribus amissa recuperavit. Obiit anno 1533. Kalendis Junii.

32. *Joannes à Witlich*, Vitelliaco arce Trevirorum Archiepiscopi, quam Vitellius Imperator condidisse legitur, vir doctissimus, eligitur ipso die Barnabæ, 11. Junii anno 1533. Præfuit annis quatuor & undecim hebdomadis. Obiit anno 1537.

33, *Lambertus à Falckenburg* eligitur año 1537. viceſima Auguſti. Præfuit utiliter annis quinq;. Obiit peſte unà cum ſeptem fratribus officiatis, penultima Julii anno 1542. Fuit vir doctus & bonus ſui cœnobii gubernator.

34. *Henricus à Confluentia* eligitur anno Domini 1542. nona Septembrium. Præeſt adhuc currente hoc Jubileo fideliter & laudabiliter. Habet germanum fratrem Andream, Abbatem cœnobii Erbacenſis in Ringovia longe potentiſſimi. Et ingreſſi ſunt hi duo fratres uno ac eodem anno in ordinem, uno etiam eodemq; anno quaſi ſingulari fato duabus diverſi tamen ordinis Abbatiis potentiſſimis præfecti.

Erbachium Cœnobium.

Pontis Leonini Cœnobium.

Eſt medio ferè itinere inter urbem Treverenſem & hoc S. Matthiæ cœnobium, aliud etiam monaſterium Ciſtertienſis inſtituti nobilium monialium ad Oleachium, ſeu, ut hodie barbarum vulgus vocat, Lewichium fluviolum ſitum, antiquitus Pons Olei, ab oleo, quod ibi fluxiſſe legitur, quando S. Eucharius & Maternus, primi doctores & Epiſcopi Trevirorum urbis, in hoc ipſo fluviolo baptiſarent: poſtea vero *Pons Leonis* dictum, quod ad hunc fluviolum, & in ipſo duorum fornicum ſaxeo ponticulo, Leo IX. P. M. patria Germanus & Comes à Dagſpurg, Treverin ingreſſurus, ab Archiepiſcopo, clero & populo Treverenſi exceptus & inde illuſtri pompa in urbem deductus eſt. De hujus tamen cœnobii, quod quinquaginta olim nobiles puellas aluit, prima origine nihil certi dici poteſt, niſi quod ante trecentos annos aliquando vaſtatum, paulo poſt reſtitutum dicitur à Domino Ortolpho Schulero, Scabino Treverenſi, tandem etiam Treverenſium Scabinorum magiſtro, qui obiit anno Domini 1322. Nonis Martii. Is in hoc ipſo cœnobio honorifice ſepultus habetur pro ſecundario ejus loci fundatore, cujus Abbatiſſarum talis à me annotatus eſt catalogus.

Abbatiſſarum deſcriptio.

1. *D. Gertrudis.*
2. *D. Agnes* à Dann } nobiles.
3. *D. Eliſabeta* à Dannen }
4. *D. Catharina* de Auffheim, Treverica.
5. *D. Eliſabeta* à Keimich, nobilis.

6. *D. Mar-*

6. *D. Margareta* à Threis, nobiliſſima ædificatrix chori & refectorii, anno Domini 1474. bene de hac monialium congregatione merita.

7. *D. Maria de Bringen*, nobilis.

8. *D. Hildegardis* à Stetziis præfuit quinq; annis, laudabiliter reſtituens collapſum & ad pauperiem redactum monaſterium ſuum.

9. *D. Anna* Treverenſis, patre Scabino & conſule Schleishoff dicto nata, præfuit ut optima gubernatrix annis 37. Obiit anno Domini 1542.

10. *D. Margareta* ſucceſſit ſtatim D. Annæ, nobilis & magnifica Domina à Zweifel, egregia ſui cœnobii illuſtratrix, quæ præſidet hoc adhuc currente Jubileo. Data ſunt huic cœnobio privilegia anno 1289. à Pont. Max. Nicolao IV. & à Gerardo, Archiepiſcopo Moguntino, ac Boemundo, Archiepiſcopo Trevirorum. Oleachius fluviolus ponte ſaxeo connexus confluit cum Moſella paululum ſupra pontem Moſellanum perveterem (à Dagoberto enim Francorum Rege conditus legitur) ac ex quadrato ſolidoq; lapide maxime inſignem. In hoc ſaxeo ducentorum paſſuum longitudinis & quinq; ampliſſimorum fornicum ponte fama eſt, & ex aliquibus in Moſella ab utraq; parte prope pontem hodie adhuc ſtantibus ſaxeis columnis liquido apparet, extitiſſe antiquitus unius tantum teſtudinati arcus pervium viatoribus ſacellum, in quo ferreum Mercurii Idolum inter duos attrahentes ferrum magnetes pependit cum hac inſcriptione:

Pons Trevericus.

Sacellum Mercurii in Ponte.

Ferreus in vacuis pendens Caducifer auris.

Inter hos duos pontes, Oleachii videlicet & Moſellæ, extat & hac adhuc ætate viſitur omnium Treverenſium templorum vetuſtiſſimum, *Pontis templum* vulgo, antiquitus *Centiphanum* dictum. Id à Trebeta, Nini Aſſyriorum Regis filio & Semiramidis Reginæ privigno, primo Treverenſis urbis authore conditum ac centum dæmonibus dicatum fuiſſe legitur. In hujus fani vicinia extant hodie adhuc altiſſimi muri, ex coctili lapide in ſublime educti, maximæq; ruinæ vetuſtæ arcis & regii cujusdam

dam domicilii longe ampliſſimi, à Galliarum regibus olim conditi ac habitati.

Theologorum ſchola. Wendelin.

S. MAURICII Tholegienſe cœnobium, inſtituti Benedictini, antiquitus Schola & Eccleſia Theologorum dictum, prope S. Wendelinum (quod oppidum Lotharingiæ eſt, à S. Wendelino, Scotorum Regis cujusdam filio ac Theologienſi monacho, conditum ac cognominatum) ſub veteri Schaumburgo Lotharingiæ Ducum præclaro caſtro ſitum, olim inſignis ac celebris academia, in qua vigebant & ſacræ & prophanæ literæ, nunc Benedictinorum monachorum ampliſſimum monaſterium Trevericæ diœceſeos, fundatum ac munificentiſſime donatum legitur anno Domini 627. à Dagoberto, Galliarum & Auſtraſiæ Rege potentiſſimo, conſilio & auxiliis B. Modoaldi, Trevirorum Archiepiſcopi: abſolutum vero à filio hujus Dagoberti, Domino Sigiberto, Auſtraſiæ Rege: tandem etiam à S. Pirminio Epiſcopo & monacho præclare decoratum. Cubat in hujus cœnobii media eccleſia D. Chuno, alibi Chunradus dictus, Archiepiſcopus Treverenſis, patria & natione Suevus: qui aliquandiu incarceratus, tandem anno Domini 1066. in Urtzeck à tyrannis quibusdam plebeiis, ſubditis ſuis, trucidatus & ſecuri percuſſus eſt. Catalogus hujus gymnaſii rectorum & Abbatum talis extat.

Catalog. Abbatum.

1. Primi nomen intercidit: etſi ſint, qui S. Wendelinum pro primo Abbate hujus loci habeant.

2. *S. Paulus*, Eremita primum in monte Gebenna prope Treverin, qui poſtea ab eo mons S. Pauli cognominatus eſt. Is Germani, Pariſienſis Epiſcopi, germanus frater fuiſſe legitur. Factus eſt ex eremita Abbas ſecundus Theologienſis, tandem etiam Epiſcopus Virdunenſis, cujus caput in Tholeja in magnis deliciis habetur & plebi certis feſtis oſtendi ſolet.

3. *Grimo*, Regis Francorum Dagoberti frater, alio nomine Adelgeſilus dictus.

4. *Leo.*
5. *Chiethmericus.*
6. *Granderigus.*
7. *Frodonius.*
8. *Herbertus.*
9. *Anodo.*

10. *Fide-*

10. *Fidenardus.*
11. *Anno.*
12. *Buermerus.*
13. *Hildi*, Abbas & Episcopus Virdunensis.
14. *Theodofridus*, Abbas Episcopus Virdunensis.
15. *Guilhibarius.*
16. *Rogobertus.*
17. *Figebardus.*
18. *Eberinus.*
19. *Ermonandus.*
20. *Adalelmus.*
21. *Stephanus.*
22. *Berthebadus*, qui & Episcopus Virdunens.
23. *Hildinus.*
24. *Hato.*
25. *Gerhardus.*
26. *Frido.*
27. *Bernomus.*
28. *Bernigerus.*

Abbates & Episcopi Virdunenses omnes.

29. *Bernhardus.*
30. *Adolo.*
31. *Rupertus.*
32. *Elicherius.*
33. *Elironius.*
34. *Gerhardus.*
35. *Eberwinus.*
36. *Folradus.*
37. *Conradus.*
38. *Aberherdus.*
39. *Arnoldus.*
40. *Fliernominius.*
41. *Bertolffus.*
42. *Hildericus.*
43. *Bertoldus.*
44. *Rudolfus.*
45. *Theodericus.*
46. *Gregorius.*
47. *Viricus.*
48. *Thomas.*
49. *Henricus.*
50. *Henricus* secundus.
51. *Hugo*, qui totum monasterium de novo ex imis fundamentis reædificavit.
52. *Wilhelmus*, Abbas & Episcopus Virdunensis.
53. *Henricus de Indagine* Abbas præfuit anno 1238.
54. *Folmarus.*
55. *Emicho* de superiori lapide.
56. *Betzelinus* de Sœtteren.
57. *Reinoldus.*
58. *Philippus de Indagine* præfuit anno 1346.
59. *Reimoldus de Sœtteren.*
60. *Thomas de Sœtteren.*
61. *Joannes de Ellenbach.*

62. *Nicolaus de Lebenſtein* præfuit anno 1474.

63. *Caſparus de Dalem.*

64. *Damianus de Lommersweiler* eligitur anno 1489. Præfuit annis 28.

65. *Gerhardus de Haſſelt* conſtituitur Abbas anno 1517. Præfuit 3. tantum annis.

66. *Jodocus de Colonia* deſignatur Abbas anno 1520. Præfuit per ſexennium.

67. *Thilmannus de Embrica* vel Emeraco præficitur Abbatiæ anno 1526. Præfuit quinq; annis.

68. *Balthaſar de Trajecto* inferiori fit Abbas anno 1531. Præfuit 4. annis.

69. *Gerhardus de Gonda* Abbas eligitur anno 1535. Præfuit annis quinq;.

70. *Rupertus de Wick* eligitur & confirmatur anno 1540. Præſidet hoc adhuc currente Jubileo, vir humanitate & hoſpitalitate nemini ſecundus.

❁ ❁ ❁

S. MAXIMINI potentiſſima vetuſtiſſimaq; Benedictinæ profeſſionis monachorum Abbatia extra urbis Trevericæ nigram vel Martiam portam, in ipſo campo Martio è regione cœnobii Mariæ ad Martyres, prope Divi Paulini antiquitus antiquitus cœnobium, nunc vero Canonicorum ſecularium collegium ſita, ex regio Divæ Helenæ palatio templum ac Dei domicilium factum, inchoatur & pro pauperibus Deo ſervituris fundatur, ſecundum ipſum etiam D. *Hieronymum* & *Oroſium* anno Domini 333. imperii videlicet Conſtantini Magni año 23. ab ipſo Chriſtianiſſimo ac optimo Imperatore Conſtantino Magno adpetitionem matris ſuæ Dominæ Helenes, ejus, quæ ſanctam crucem Dominicam inveniſſe legitur, eo ipſo nimirum tempore, quo Agritium, Patriarcham Antiochenum, Treverin accerſitum ejusdem urbis Epiſcopatui præfeciſſet. Et hanc iſtius cœnobii originem veram ac certam eſſe, Dagoberti Galliarum Regis ſubſequens diploma, Memiliano decimo tertio ejus loci Abbati anno 643. datum, abunde & luculenter teſtabitur.

Agritius, Patriarcha Antiochenus, ſit Archiepiſcopus Trevirorum.

In

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Omnium Christianorum noverit industria, qualiter ego Dagobertus Rex potentissimus, cum convenienti consilio Episcoporum meorum Comitumq; , legatos de mea parte ad Abbatem Memilianum direxi, mandans ei, ut diligenter inquireret indeq; per seipsum indicaret, quibus authoribus illud monasterium S. Maximini constructum, vel cujus Imperio à pristinis temporibus esset subjectũ. Hanc legationem Abbas cum fratribus sollicite percipiens, perlectisq; in eodem loco quibusdam vetustissimis chartulis inventum est, id ipsum monasterium Constantini Imperatoris fuisse regale templum, atque jussu ejus dedicatum in honore S. Joannis Evangelistæ à S. Agritio, venerabili Archiepiscopo, in quo videlicet templo (ut idem pater monasterii nostræ Regalitati patefecit certa relatione) Helena sacra Dei famula petente & favente, supra dictus Imperator pauperes Christi congregavit, eisq; virum Dei Joannem præposuit, ut in servitio Dei semper vacarent & pro se orationibus insisterent: & insuper illius loci habitationem aliæ personæ nolint subdere, nec suæ successorumq; Imperatorum potestati. His rebus ita esse firmiter intellectis, regio more constituo atq; firmissima jussione præcipio, ut nullus unquàm proterve illud monasterium, in quo Abbas supradictus præesse videtur, audeat inire vel ullam inhumanitatẽ illi violenter inferre. Igitur ut assidua recordatio mei meorumq; præsentium maneret in prædicto monasterio, ipsorum S. Maximini præbendariorum victualia, sub præmemorato Imperatore constituta, meis ex parte prædiis augere curavi, quorum nomina hæc sunt: Kannis, Crastiacum, Luntwich, Regiodola, Vallis, Polich, Budeliacum, Talevanc, Loania. Hæc loca ad regiam curtem, quæ dicitur decima, pertinent: quam curtem cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, hoc est, quicquid prædii visus sum habere à fluvio, qui nuncupatur Rubera, usq; ad silvam, quæ dicitur Ider, S. Maximino præsuli in perpetuam hereditatem contradidi. Insuper etiam cum consilio & rogatu meorum Principum, catervis ibi Deo deservituris hanc legem firmiter & perpetualiter in posterum habendam decrevi, scil. ut centenorum ibidem monachorum semper integra maneat

Donatio Dagoberti Regis.

maneat & inconvulsa congregatio, excepto, si Imperatorum Principumvè per secula succedentium benevolentia prædiis augmentetur vel thesauris. Et, si propter paganorum vel infidelium Christianorum devastationem eisdem Christi servitoribus penuria ultra modum ingruerit, & per thesauri effusionem expelli nequiverit, Dei omnipotentis & mei meorumque successorum habeant licentiam, allodium cum familia à fidelibus nullo contradicente dandi & vendendi, antequam Dei destruantur servitia. Et ut istius chartulæ confirmatio firma in ævum permaneat, describi eam præcepi & nostro sigillo eam inde firmavi. Actum pridie Nonarum Aprilis, anno regni nostri duodecimo, Moguntiæ feliciter, Amen. Signum Dagoberti Regis.

Privilegia monasterii S. Maximini.

Monasterium hoc ordinis primum & regulæ orientalium monachorum, ab Imperatore Constantino sub perpetuo duraturam tuitionem Imperatoriam susceptum est, ita ut hodie adhuc ab omni Archiepiscopali & Episcopali jugo exemtum, in temporalibus soli Imperatori Romano, in spiritualibus soli summo Pontifici immediate subsit. Abbas vero hujus loci ita privilegiis & dignitatibus, ac singularibus prærogativis insignitus ac donatus est, ut Decanus plerumq; septem præcipuarum Ecclesiarum Trevirensium & Imperatricis Augustæ archisacellanus esse debeat. Devastatum est aliquoties à barbaris post tempora Dagoberti in Germaniam & Gallias excursiones facientibus: sed ex imis fundamentis renovatum ac de integro præclare restitutum legitur & denuo consecratum, Benedictinæq; professionis monachis habitandum datum ab Hildulffo, beato Archiepiscopo Trevirorum, annum Christi circiter 764. quo Trevirorum Archiepiscopi, Agricius, Maximinus, Nicetius ac Basinus de prioribus tumulis levati & unà cum trecentis Thebææ legionis martyribus honorificentius in recens instauratæ S. Maximini Basilicæ minore crypta, quæ est sub summo altari, humati sunt. Sub Arnulffo etiam Imperatore à Normandis vastatum ac solotenus deletum, mox ab Ogone Abbate præclare reædificatum est, ut infra amplius sequetur in ejusdem amplissimæ Abbatiæ gubernatorum catalogo, qui talis Treveri à me collectus est:

Catalog. Abbatum

1. Joan-

1. *Joannes Antiochenus*, Agricii Patriarchæ discipulus & itinerum comes, ab ipsa S. Helena Imperatrice collectorum discipulorum rector & Abbas primus designatus, cœpit præsidere anno 333.

2. *Fibicius* secundus Abbas verè fuit, de quo nihil tamen amplius in fastos relatum est.

3. *Odilardus* tertius Abbas, sub quo latuit per integrum fere octennium in S. Maximini inferiore crypta ad puteum (quem hæc adhuc ætas Athanasianum vocat) Alexandrinæ urbis Episcopus, *S. Athanasius*, à Constantio Imperatore Arianæ hæreseos defensore acerrimo proscriptus, qui eodem loco dicitur Symbolum suum contra Arianismi assecias composuisse. *S. Athanasius latet Treveri.*

4. *Tranquillus*. Sub hoc Abbate humatus est in hoc cœnobio S. Maximinus, Episcopus Trevirorum, à quo mox cœnobium cognominatum est, quod prius S. Joannis titulo notum erat.

5. *Emerentianus*.

6. *Maurelianus*.

7. *Honestus*.

8. *Remigius*.

9. *Fibicius* secundus. Constituitur postea ex Abbate Trevirorum Archiepiscopus anno 498. sub Anastasio II. Pontifice Maximo.

10. *Volmarus*.

11. *Rodingus*.

12. *Hundilandus*.

13. *Memilianus* tempore Dagoberti Regis præfuit, à quo ille privilegium supra positum consequutus est anno 643.

14. *Bernhardus*.

15. *Herinnus*.

16. *Basinus*, Dux Lotharingiæ. Huic Abbati, morum & vitæ sanctimonia singulari coruscanti, dedit Pont. Max. Gregorius II. potestatem, ut & ipse & successores ejus Abbates ad sacrum processuri uterentur omnibus pontificalibus ornamentis. Is postea Trevirorum Archiepiscopus circa annum Domini 715. factus, sepelitur apud S. Maximinum, unde ad Episcopatum assumtus erat.

17. *Odilardus* præfuit tempore Pipini regis.

18. *Weomadus*, primum Abbas S. Maximini, postea Trevirorum Archiepiscopus anno Domini 753. De quo plura leges in magno opere nostro de omnibus Germaniæ Episcopatibus.

19. *Heberardus* præfuit anno Christi 809.

20. *Wernolphus* anno 4. Caroli Magni.

21. *Helizachar* tempore Ludovici I.

22. *Williherius* anno Christi 880. sub Carolo Crasso Rom. Imperatore.

23. *Hattaboldus*.

24. *Waldo* anno Christi 896.

25. *Erckenbertus* præfuit sub Imperatore Arnolffo Bavaro.

26. *Ogo*, vir prudentissimus ac perspicacissimi ingenii, maximeq; industrius, ab aliis Hugo dictus, ex præposito eligitur in Abbatem. Præfuit utiliter 12. annis, quibus post Nordmandicam devastationem totum cœnobium renovavit & à Rotberto Archiepiscopo Trevirorum dedicari fecit anno 942. Posteà Leodiensis Episcopus factus esse legitur anno Christi 945. Extat ejus tale epitaphion:

Obsecro te, frater, titulum qui conspicis istum,
Quo memor esse mei corde velis humili.
Ogo vocatus eram, dum carnis mole premebar,
Cœnobio huic dictus à puero monachus.
Nunc cinis & pulvis, miseræ contagia vitæ
Valde perhorrescens, dic precor ex animo:
Factura, Deus alme, tuæ clemens miserere,
Ogoni requiem dans pie perpetuam.

27. *Willerus* successit abeunti ad Leodiensem Ecclesiam Ogoni anno 946. Obiit anno Domini 958. Sepelitur cum talibus virtutum suarum elogiis.

Hac est Willerus fossa pius Abba sepultus,
Quem bonus à puero nutrivit episcopus Ogo,
Et successorem sibi dignificavit herilem:
Qui bona quæq; studens, fuit omni dogmate prudens,
Et sibi subjectis præbens documenta salutis

Fit

Fit miserando pater, sed condiscendo minister,
Nonis Octobris persolvit debita mortis.

Aliud ejusdem Epitaphion:

Quisquis ad hunc tumulum succedes forte videndum,
Conditione mea (quæ tua sit) memora:
Floridus & juvenis lætabar in indole carnis,
Sed, caro dum vivit, mors inopina subit.
En, cinis immundus jaceo modo, verme vorandus,
Consumtus tabo, heu malefacta gemo.
Unde precor Christum, supplex deposco benignum,
Ut mihi Willero det veniam misero.

28. *Wickherus* obiit anno salutis 966. cum præfuisset 8. annis.

29. *Asolffus* obiit anno Christi 967.

30. *Thietfridus* Diaconus obiit anno 979. cum præfuisset 12. annis.

31. *Ogo*, Diaconus primum, postea Abbas, obiit anno 987.

32. *Folmarus*, alibi Volcardus, fontis vel vasis lavatorii insignis & ex ære facti conditor, præfuit anno 993.

33. *Ostradus* præfuit anno Christi 1000.

34. *Winrichus* præfuit anno Domini 1018.

35. *Harichus*, alibi Henricus, præfuit tempore Henrici II. cujus Imperii anno 18. Hierosolymam petens, in itinere apud Myræam obiit, ubi ad pedes S. Nicolai Patarensis Episcopi honorifice depositus & terræ parenti redditus est anno 1023.

36. *S. Poppo*, & hujus cœnobii & alterius, Stabulensis videlicet monasterii Abbas, successit Henrico. Peregrinatus est Hierosolymam cum Archiepiscopo Poppone anno Christi 1026. Obiit anno Domini 1048. ætatis suæ 60. cum laudabiliter præfuisset annis 25. Legitur fuisse conditor insignis coronæ, pendentis supra Dominam Adam, Caroli Magni sororem, in medio choro Ecclesiæ S. Maximini sub niveo marmore cum tali inscriptione humatam: *Stabulenſe monaſt.*

Ada ancilla Christi soror Caroli Magni. *& tumulus.*

Evangelia Evangeliſtarum auro ſcripta.

Hæc dono dedit monaſterio librum quatuor Evangeliſtarum puriſſimo auro ſcriptum in macrocolo, cui hi verſus inſcripti & à me ſuperiore anno exſcripti ſunt:

Hic liber eſt vitæ, Paradiſi quatuor amnes,
Clara ſalutiferi pandens miracula Chriſti,
Quæ pius ob noſtram voluit feciſſe ſalutem.
Quem devota Deo juſſit perſcribere mater
Ada, ancilla Dei, pulchriſq; ornare metallis:
Pro qua (quisq; legas verſus) orare memento.

37. *Joannes* ſecundus præfuit ſub Poppone Archiepiſcopo, cujus tale legitur epitaphion:

Fundite corda preces, putret hic pius Abba Joannes,
Heu gravis illa dies te, pater, hinc rapiens.
Eccleſiæ paucis huic poſtquam præfuit annis,
Ψυχὴ judicium, Σῶμα ſubit tumulum.
Idibus in quinis, dum fervet Julius arvis,
Translatus medio redditur in tumulo.
Hunc pie πανοκράτος, vitæ, non mortis amator,
Poſcentum votis cœtibus adde tuis.

38. *Bernhardus*, & hic ſub Poppone, Archiepiſcopo Trevirorum, Auſtriæ Duce præfuit.
39. *Theodoricus* præfuit anno 1066.
40. *Henricus* primus.
41. *Henricus* ſecundus.
42. *Focelinus* præfuit anno 1101.
43. *Beriengoſus* præfuit circa annum Chriſti 1112. & 1125.
44. *Gerardus* circa annum Chriſti 1131. & 1137.
45. *Sigerus* anno Chriſtianorum 1140. & 1164.
46. *Arnoldus* anno 1169.
47. *Conradus* anno Chriſti 1184. & 1191.
48. *Anshelmus* tempore Joannis, Epiſcopi Treverenſis, anno 1210.
49. *Bartholomæus* anno 1227. & 1229.

50. *Hen-*

50. *Henricus Bruchius*, fundator & conditor Xenodochii sive Hospitalis, quod monasterio vicinum est, præfuit anno Christi 1237. quo incendio absumtum est cœnobium, sed reparavit præclare idipsum Henricus totum, fecitq; consecrari templum anno Domini 1245. à Conrado, Archiepiscopo Colonienſi, præsentibus etiam Arnoldo Treverico & Sifrido Moguntino. Obiit anno 1257. Sepelitur cum tali monumento:

Abba, vir insignis, velut aurum, quod probat ignis,
E meritus meritis, clarus titulis, homo mitis,
Henricus lecto putret hoc in pulvere secto,
Quem Deus evexit hinc, dum Februarius exit.
Flebile præsentes præsens epigramma legentes
Implorent Christum, superis coadunet ut istum.
Exanimes artus patris Angelus excipit ortus,
Anno milleno Domini decies duodeno,
Bis quinquageno, septeno, ter quoq; deno.

51. *Henricus de Castro Dune* successit Bruchio: sed quamdiu is præfuerit, scriptum non reperitur. Tumulo ejus hoc adhuc inscriptum legitur epitaphium:

Hic pater Henricus, vitæ melioris amicus,
Pausat: quam meruit, hanc ubi deseruit.
Idus dum mensem cogunt transire Decembrem,
Ambivit requiem, quam Deus huic det. Amen.

Richardo vero cuidam, Nobili viro à Duna, ultimo hujus gentis, in summa Basilica Treverensi sepulto, tale adscriptum legitur epitaphion:

Annis quingentis bis, & octo bis, atq; trecentis
Præteritis Domini, terna quoq; luce Remigi,
Richardus, Dominus Dunæ non laude supinus,
Vitam finivit, quem præsens tumba polivit.

52. *Godefridus* Abbas, Henrico subrogatus, obiit anno 1303.

53. *Theodoricus*, liber Baro de Brunshorn, resignavit & postea obiit anno 1358. die depositionis S. Maximini.

54. *Otho* cœpit præsidere S. Maximini monasticis laribus anno 1352. Præfuit annis 15.

55. *Roricus de Eppelborn* cœpit anno 1367. Præfuit annis 44. Obiit anno 1411. 23. Maji. Rorico defuncto succedere per discordem nimirum ac disentientem electionem Abbates tres, de quibus scriptum invenitur: *præfuere, sed non profuere.* Primus Dominus....

56. *Henricus Sajen*, secundus.

57. *Henricus Muel* de novo Castro, tertius.

58. *Lambertus* de Sassenhusen, qui reliquis exauthoratis obtinuit, & obiit anno Domini 1443.

59. *Joannes Forst* præfuit annis novem & obiit anno 1452.

60. *Antonius de Tribulis*, vir nobilis (de quo vide Ethensheim monasterienses Abbates) substantiæ monasterii præclarus reparator, obiit anno 1482. cui tale epitaphion gratitudinis ergò positum est:

Anno 1482. ultima Julii obiit Antonius Abbas, qui 30. annis huic loco religiosè præfuit, ejusq; plura impignorata redemit.

61. *Theodoricus* obiit anno 1483. cum sedisset ad Abbatiæ clavum per unum saltem annum.

62. *Otho* præfuit annis 19. & valedixit huic mortali vitæ anno 1502.

63. *Thomas de Huisden*, Brabantinus, egregius reparator substantiæ, obiit anno Domini 1514. die Martis post visitationem Marianam, cum sedisset annis 12.

64. *Vincentius de Kochem* successit Thomæ. Præfuit annis 10. Hujus ætate, in bello Sickhingensi misere exustum & vastatum est cœnobium. Ejus prope S. Athanasii cryptam in ipso descensu sepulti, tale legitur epitaphion, authore *Bartholomæo Latomo.*

Conditur hîc Abbas Vincentius, invida postquam
Cessarunt summo ledere fata die.
Incensam hanc Divum sedem clarosq; penates
Vidit & hostili tecta furore rapi.

Cete-

Cetera ſat fœlix: niſi reddere lapſa parantem
Preſſiſſet dura parca citata manu.
Nunc meliora tenet cœleſti ſede potitus,
Et, quem ſperamus, contigit ante locum.

65. *Joannes de Cellis* ſucceſſit Abbati Vincentio anno Domini 1525. Is cum tale epitaphio terræ parenti redditus eſt:

D. Joanni à Cellis, Abbati, reparatori hujus monaſterii, qui per annos 23. monachorum gregi ſibi commiſſo feliciter præfuit, atq; illius commodis, quieti & fortunis vigilantiſſime proſpexit, Joannes ex Comitibus de Iſemburg, Archiepiſcopus Trevirenſis, & prius coadjutor, deinde Commendatarius & ſucceſſor P. Vixit annis 74. Obiit anno 1548. 11. Julii.

66. *D. Joannes*, illuſtris Comes Iſemburgius, Gerlaci ex Domina Anaſtaſia Sarwerdenſi Comitiſſa filius, Archiepiſcopus Trevirorum urbis digniſſimus, ſacriq; Romani Imperii Princeps Elector, adminiſtrator S. Maximini aſſumtus eſt anno Chriſti 1548. Is ſequente anno Domini 1549. locum tenentem deſignavit & conſtituit in cœnobio S. Maximini, Reverendum ac genere & virtute nobiliſſimum virum, D. Joannem de Petra, archidiaconum vel chorepiſcopum (ut vocant) Trevirenſem majorem.

❁ ❁ ❁

S. MICHAELIS Archangeli Wengenſe cœnobium, ordinis & inſtituti regularium Canonicorum S. Auguſtini, quod nunc tertio loco intra ipſa civitatis Ulmenſis mœnia ſitum eſt, in monte urbi vicino & hodie adhuc S. Michaelis titulo accolis noto, primum cœpit anno Chriſti 1183. indictione ſecunda, Imperante Friderico Barbaroſſa, Romanæ vero cathedræ præſidente Pont. Max. Lucio III. ad Epiſcopatum autem Conſtantienſem & Abbatiam Augienſem ſedente Diethelmo, fundatum & conſtructum à nobili ac generoſo viro, Wittigovo, Comite de Albegkhe, & ejus conjuge Domina Bertha, in hoc ipſo cœnobio quieſcentibus & ſub honorifico tumulo humatis: quod è ſequentis transſumti ab Henrico Antiſtite Conſtantienſi dati honeſto teſtimonio ita veriſſimum eſſe liquet, ex quo finis etiam & ratio conſtructæ talis domus pulchre videri ac deprehendi poteſt.

In

In Christi nomine, Amen. Nos Henricus, Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Constantiensis, notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris, ad quos præsentes literæ pervenerint, quod sub anno Domini 1357. feria tertia ante festum S. Michaelis proxima, pro parte religiosorum in Christo Præpositi & Capituli Canonicorum regularium, monasterii ac præposituræ in Insulis prope Ulmam nostræ Constantiensis diœceseos, cum reverentia (qua decuit) literæ infrascriptæ nobis præsentatæ fuerunt, & petitum, ut, visis & perlectis eisdem literis cum sigillis earum authenticis, literas easdem cum sigillorum descriptionibus exemplari & describi mandaremus, ipsarumque totum tenorem cum ipsarum sigillis eisdem literis impendentibus authoritate ordinaria approbando & authenticando (ut pro nunc & etiam in posterum, sicut & ipsa originalia, in judiciis & extra fidem facere possent) confirmare dignaremur. Nos vero attendentes, quod summa ratio est, quæ pro religione sacra facit, & quia dicta instrumenta integra & illæsa invenimus, idcirco ea exemplari & ipsarum totum tenorem cum sigillis earum authenticis describi mandavimus, approbavimus & cõfirmavimus, ac etiam præsentibus confirmamus & approbamus, decernentes, ut dicta exempla eandem fidem, quam & ipsa originalia, in judiciis & extra perpetuo sortiantur. Tenor autem dictorum instrumentorum sive literarum est talis.

Literæ fundationis in se.

In nomine S. & Individuæ Trinitatis. Cùm ex verbis ipsius Domini discamus (Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis) notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod nobilis quidam, Witigoweus de Albegkhe pro salute & remedio animæ suæ & omnium parentum suorum, à quodam monasteriali Augiensis Ecclesiæ (pretio interveniente) obtinuit montem & domum S. Michaelis apud Ulmam situm cum omnibus appendentiis suis, quem usque ad hæc tempora jure proprietatis possedit, ut in usus Augiensis ecclesiæ conferret, & omne jus ac proprietatem & possessionem in ecclesiam transferret. Ex consilio autem religiosorum illius temporis virorum instituit, ut præ-

prædictus locus, domus Hospitalis, pauperum refocillatio & asylum peregrinorum in æternum permaneat. Eidem domui præpositum cum aliis Canonicis, sub S. Augustini regula devote degentibus, præficiendum ordinavit. Ut autem peregrinantes in eodem loco (quia propter ipsos præcipue est fundatus) honestam consolationem de communi alimonia fratrum assidue inveniant, præpositus ejusdem loci personas ad serviendum Deo congruas recipiat, & in recipiendo modum non excedat, ne pauperum consolatio decrescat. Fratres in præfato loco sibi præpositum libere eligant, & electum suo Domino, Abbati Augiensi pro investitura ab ipso suscipienda quantocius (ne locus desoletur) repræsentent. Si vero (quod Deus avertat) in dicta electione partes fuerint, Abbas Augiensis, consilio Advocati domus illius, charitatis sanioris electum investiat. Sin autem fratres sine rationabili causa electionem distulerint, Abbas Augiensis consensu Advocati (ne domus pauperum destituatur) citatis fratribus, ubi Advocatus fuerit præsens, causam dilationis diligenter inquirat & ad eligendum præpositum in Deo persuadeat. Sin autem injuste renunciaverit Abbas, cum Advocato de regula Augustini honestam personam ipsis præficiat. Notum sit etiam omnibus, quod Witogoveus, fundator ipsius loci, pro defensione, absq; omni exactione, jure dominii ab Abbate Augiensi suscipiat Advocatiam, & eadem Advocatia ut ad omnem suam posteritatem, scilicet ad seniorem masculum transeat, instituit. Item dictus loci fundator omnibus suis hominibus pro remedio animæ suæ res suas, tam mobiles quàm immobiles, ad montem Michaelis conferendi libertatem ordinavit. Similiter dictæ domus author pro honestate & utilitate loci, ab ipso loco & ab omnibus pertinentibus, ad ipsam congregationem mulierum commodam, removere firmiter ordinavit & instituit, videlicet, ne secundum consuetudinem aliorum cœnobiorum sorores in consortium fratrum assumantur. Ego Diethelmus, Abbas Augiensis, consensu fratrum meorum & ministerialium communicato consilio, ut hujus ordinationis Witogovæi constitutio, quam honestam & rationabilem & intuitu Dei inceptam vidimus, firmum

Hospitale peregrinorum pauperum.

mum apud nos & successores nostros suæ perfectionis tenorem obtineat: & domus B. Michaelis de immutabili donatione gaudeat, placuit nobis præfatas traditiones sigillo Ecclesiæ nostræ communire. Concedimus etiam, ut liceat omni familiæ Augiensis domus, servorum & ministerialium facere commercium vobiscum rerum suarum, mobilium & immobilium, per donationem, commutationem & venditionem. Hujus rei testes sunt Leopoldus Dux Austriæ, Rudolphus Palatinus de Tubingen, Mangoldus Comes de Veringen, & filius suus Eberhardus: Burcardus Comes de Hohenberg, Conradus de Schussenried, Diemo de Gundelfingen, Ernestus de Stusselingen, & alii quàm plurimi. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis 1183. indictione secunda, regnante Friderico, Imperatore Romanorum invictissimo & semper Augusto, in ipsius conspectu apud Ulmam. Characteres autem sigilli suprascripti instrumenti hoc sonant: Sancta Maria Dei genitrix. Ipsumque sigillum rotundum, & in medio sigilli effigies sive imago S. Mariæ est desculpta, & filum de sericis gilvis & rubeis est ipsi instrumento appensum. Datum & actum Constantiæ anno Domini 1357. quarto Kalend. Octobr. Indictione decima.

Comites de Albegk, vel Alpium. Sueviæ angulo, cujus nominis oppidum abest per unum saltem milliare ab urbe Ulmenji, cujus S. P. Q. paret.

Benefecerunt huic cœnobio aut peregrinorum hospitio hi quoque sequentes reguli & Domini, quorum memoriam ad posteros etiam servari, cum boni fuerint & utiles Reipubl. dignum nostro studio, quin & æquum ac justum est. Beringerus Comes de Albegk frater fundatoris contulit eidem monasterio anno Domini 1219. ecclesiam seu sacellum S. Andreæ in villa Stotzingen. Hanc collationem Gregorius IX. Pont. Max. confirmavit.

Siboto de Albegg Comes, qui & ipse fundatoris frater germanus fuit, unà cum filio suo Witogovio, eidem monasterio tradidit ecclesiam S. Martini in Hervelsingen, cum jure patronatus & aliis ad eam Ecclesiam pertinentibus possessionibus & immunitatibus anno 1219. sub Friderico II. Imperatore, & Honorio III. Pont. Max. & Sifrido, Episcopo Augustano, eam ipsam donationem sua authoritate confirmantibus. S. P. Q. Ulmensis dono dedit

dedit eidem Ecclesiam S. Barbaræ in Holtzkirchen anno Christi 1398. cùm antecedentibus annis (quibus Carolus IV. & Wenzeslaus Imperatores urbem obsidione cinxerant) cœnobium extra urbem in Insulis, vulgo in den Wengen vocatis, situm fregissent & solotenus vastassent, ne Imperatoris exercitus inde Ulmensiurbi aliquid damni inferre posset. Dedit idem S. P. Q. Ulmensis pro eodem loco extra urbem sito spacium illud, in quo nunc exstita Ecclesia Wengensis, cujus fundamenta jacta & posita sunt anno Domini 1399. ab Hartmanno Ehingero, Consule Ulmensi. Alii benefactores hujus cœnobii fuerunt

Albertus, Comes de Tillingen.

Rudolphus, Comes de Werdenberg in Albegg, anno 1343.

Witogovus Advocatus, cujus uxor Luiburgis.

Henricus, Marchio Burgovienſis probissimus

Philippa, Comitissa de Sevelingen.

Gisela, soror Lotharii Regis.

Eberhardus, nobilis de Eringstein.

Adelheidis, Comitissa de Kirchberg.

Conradus, Comes de Werdenberg, filius Henrici apud Wengenses sepulti, qui vendidit Comitatum Albecensem S. P. Q. Ulmensi. *Comitatus Albecensis venditur.*

Luicardis, de Arneck advocatissa.

Henricus, Comes *de Werdenberg*, & ejus conjux relicta D. Imagina.

Philippus, Rex. Rom. Barbarossæ filius.

Otho Dux.

Ulricus, Comes junior de Wirtemberg, qui obiit anno 1335.

Adelheidis, Marchionissa Burgoviana.

Adelheidis, Comitissa de Helffenstein.

Stephanus, *Fridericus* } *de Holtzkirchen*, magni benefactores & apud monachos Wengenses sepulti.

Rudolphus de Klingenstein.

Gerwicus de Stotzingen, miles.

Habuit hoc monasterium semper gubernatores Præpositos, quorum talis extat catalogus.

Præpositorum Ordo.

1. Primi nomen ignotum est, qui anno 1183. ex Marbacensi Alsatiæ cœnobio, prope Colmariam sito, assumtus esse legitur.

2. Secundi itidem ignotum, qui electus fuit anno 1190. Obiit anno 1200.

3. *Sifridus* tertius, ultimus in Monte & primus in Insulis Blavi amnis. Siquidem ejus temporibus, anno videlicet 1215. facta translatione, inchoatum est monasterium S. Michaelis in Insula sub Sibothone, Comite de Albegg, monasterii Advocato, temporibus Philippi & Othonis Imperatorum, inter quos grave erat schisma. Præfuit is huic loco 26. annis. Obiit anno 1227.

4. *Diepoldus* eligitur anno 1227. Præfuit annis novem.

5. *Lutho* eligitur anno Christi 1236. Sedit ad gubernaculum annis 12.

6. *Henricus* eligitur anno 1248. non diu post electionem superstes.

7. *Otho Arelopusius*, septimus Præpositus, præfuit anno 1250. quo consecratum est monasterium, in Insulas translatum à Sibotone Augustano & Eberhardo Constantiensi Episcopis, sub Witigoveo, Comite Albecensi, Sibotonis filio, Advocato.

8. *Martinus* eligitur anno 1270. Præfuit 28. annis.

9. *Conradus* eligitur anno 1298. Præfuit annis 14.

10. *Joannes Straß* Præpositus eligitur anno 1312. Præfuit annis 23. & obiit anno 1335.

11. *Truchbelinus* eligitur anno 1336. & obiit anno 1341. cum sedisset annis quinq;.

12. *Bertholdus*, duodecimus Præpositus, præfuit ab anno Domini 1341. usq; ad annum 1353. quo exauthoratus cessit, obtenta tamen annua pensione.

13. *Conradus* Præpositus præfuit usq; ad annum Domini 1381.

Sub

Sub hujus Præpositi gubernatione parochiale templum omnium Sanctorum (quod erat in suburbio Ulmensi amplissimum) anno Domini 1377. dejectum soloq; æquatum & in ipsam urbem translatum est. Frater *Felix Fabri*, Ulmensis monachus & chronographus diligentissimus, has affert causas. Timuisse Ulmenses, ne festis diebus (universo populo foris sacra audiente) urbs interim proditione ac perfidia aliqua ipsis interciperetur. Deinde, quod pauci ex opulentioribus civibus ad parochiale templum extra urbem situm, sed plerumq; ad cœnobia, intra urbem sita, commeare soliti fuissent: quò omnem etiam suam liberalitatem suasq; eleemosynas vertissent, ibiq; cum sibi, tum posteris suis sepulchra legissent, neglecta interim parochiali ecclesia: commodum itaq; ipsis ac utile visum, ut templum parochiale in civitatem transferretur. Emto igitur partim à S. Claræ monialibus & Franciscanis monachis, partim vero à Duce Wirtembergensi (qui propter Bebenhusianos monachos aliquid juris in civitate habebat) justo spacio, eoq; pulchre æquato & repurgato, fundamenta futuri templi maximi strenue fodi cœpta sunt. In quæ primis lapis ab urbis clero S. P. Q. singulari reverentia & pompa positus est ultima Junii, anno, quem supra dixi. Lapidem funibus demissum in ipsis fundamentorum fossis excepit Ludovicus Crato Consul cum quibusdam Nobilibus civitatis: demittebant vero eundem Johannes Ehingerus cognomento Habfastus, & Conradus Besserer, præcipui civitatis Capitanei, aliiq; præcipui Senatores ac Patricii. Posito primo saxo in fundamenta, obtulit illico super idem, tanquam in aram, centum aureos Rhenenses Ludovicus Crato Consul: cujus exemplum & cæteri non tantum Nobiles & Senatores, sed & plebeji cives omnes imitati, singuli sua symbola in auro & argento (non enim obulis & denariis res agebatur) quisq; tamen pro suarum facultatum modulo ad novam Basilicam extruendam liberaliter conferebant. Ex hac insigni collatione (accedentibus interim aliis etiam potentiorum civium, & equos & servos suos ad facienda opera paratis animis accommodantium, subsidiis) constructa & in spacio centum ac undecim annorum erecta, tecta,

Parochiale templum Ulmense omnium Sanctorũ, cur fuerit solo æquatum.

Lapis parochialis templi Ulmensis, à quo positus.

Beatæ Virginis Mariæ Parochialis Basilica & Turris Ulmensis.

ac in universum absoluta, arisque insuper una & quinquaginta elegantissime decorata est, incomparabilis & magnificentissima illa Divæ Virginis Matris Basilica Ulmensis, una cum adjuncta memorabili ac maxime insigni turri: ajunctque urbis ipsi etiam Senatores, novies centena aureorum nummum millia collocata esse in exædificationem & ornatum parochialis hujus Ecclesiæ, qua verè nulla est spatiosior, nulla sumtuosior, nulla augustior in universa Germania: imò neque ullum aliud sumtuosius ædificium (excepta sola turre & Basilica Argentinensi) in tam brevi temporis spacio in sublime eductum & cum tanta admiratione absolutum est.

14. *Petrus Neger* dictus, in Insulis ultimus & in civitate primus præpositus. Is anno 1399. invenit in Insulis ollam plenam Blabhardis; est hæc moneta argentea valoris trium cruciferorum. Sub hoc destructum est totum cœnobium in Insulis: lapides Ulmam vecti ad ædificationem cum murorum, tum majoris Basilicæ. Sub eo ipso (secunda translatione propter bellicos tumultus facta) inchoatum est monasterium Wengense intra muros Ulmenses, eodem anno 1399. ipsa die S. Leonhardi, qua positus est primus lapis, post concordiam inter Ulmenses & Præpositum factam per Episcopum Constantiensem, Burcardum, & Abbatem Creutzlingensem, Eberhardum. Obiit tandem anno Domini 1405.

Blabhard moneta.

15. *Bertholdus*, decimus quintus Præpositus, at secundus in civitate, & ipse Neger dictus, aliàs Pistor, vel Græco vocabulo Artopæus, qui secundus quasi Wengensis monasterii extitit fundator, eligitur anno 1405. Præfuit 22. annis. Obiit anno Domini 1427. Erat vir gravis & strenuus, monasterii vero sui absolutor & illustrator egregis.

16. *Udalricus Strobelius*, aliàs Maier, ex Langenaw pago Ulmensi natus, eligitur anno 1425. superstite adhuc antecessore. Præfuit 20. annis. Obiit anno 1445. Sepelitur in medio choro. Fuit vir religiosus & divini cultus studiosissimus, quiq; multis ædificiis cœnobium suum illustravit.

17. *Conradus*, vir nobilis, patre Joanne de Plintheim, matre vero

vero Anna de Liechtenstein natus, artium Baccalaureus, eligitur anno 1445. Præfuit annis 19. Obiit anno 1464. Vir eximie prudens, bonusq; œconomus & cœnobii sui pulchris ac utilibus ædificiis diligens illustrator. Interfuit Concilio Basilienſi, in quo consecutus est confirmationem.

18. *Sigismundus Ehinger*, Patricius Ulmensis, successit Conrado. Obiit anno 1468. cum præfuisset annis tribus cum dimidio. Homo prodigus, qui quod anteceſſor corraſerat, decoxit & dilapidavit misere.

19. *Ulricus Krafft*, & ipse Patricius Ulmensis, eligitur an. 1468. Præfuit annis 12. Obiit an. 1480. paralysi. Accepit coadjutorem Matthæum anno Dñi 1479. tactus apoplexia 13. Febr.

20. *Matthæus Zimmermann* constituitur Præpositus anno 1480. Præfuit annis 9. utiliter. Reformavit cœnobium cum auxiliis Raymundi Legati Pontificii, & Ulrici Brodkorb, Præpositi in Undersdorff. Tandem retenta annua pensione resignavit anno 1489. Obiit postea anno 1505.

21. *Vitus Deselius*, Austriacus, primus Præpositus in reformatione, ex Underdorffo assumtus, eligitur anno 1489. & eodem die contra Juris consuetudinem confirmatur. Fuit studiosus collector Bibliothecæ, ædificia vero egregie ornavit. Erat homo afflictæ valetudinis, manuum & pedum tandem beneficio destitutus, qui totum triennium sedendo in sella consumsit, donec vitam finiret ei

Advenies tandem lugubri funere Parca.

Quinq; mensibus ante mortem libere resignavit, nihil sibi pensionis annuæ reservans, quàm victum & amictum, instar alterius cujusdam vel infimi ex conventu.

22. *Joannes Man* eligitur anno Christi 1497. Resignavit gubernationem anno Christi 1509. cum præfuisset 12. annis. Obiit vero anno 1514.

23. *Michaël Otterlin* de Wolmatingen, Constantiensis, Helveticus cognominatus: eligitur anno 1509. Præfuit annis 12. Reædificavit anno Christi 1519. collapsum fanum Erbacense, ad Danubium situm. Obiit anno 1521.

24. *Am-*

24. *Ambrosius Khaut*, patria Ulmensis, successit Michaeli, legitime electus & constitutus anno supradicto, quo antecessor ex hac vita emigravit. Præfuit prudenter & utiliter annis jam 29. Nam & hoc adhuc Jubileo currente ad clavum ejusdem loci sedet. Secesserat propter mutatum ecclesiasticæ doctrinæ genus Uberlingam, ad lacum Acronianum anno Domini 1530. ubi laboravit per 16. annos in camera Imperiali pro cœnobii sui recuperatione: tantumq; effecit, ut tandem ab ipso Senatu Ulmensi revocaretur. Rediit itaque Ulmam anno 1549. ubi cœnobium partim lacerum, partim in bellicis tumultibus ad alias ac profanas res usurpatum admodumq; mutatum, reformat ac instaurat: ut ex his sequentibus inscriptionibus (quas parietibus templi apposuit) patet:

Vitus Deselius, quem Pannonis ora crearat,
Præpositus templi provida hujus erat.
Ille reformavit clerum hic, construxerat huncq;
Ingenti studio & sedulitate chorum:
Quem cum fœdassent tandem quidam undiq;, nostræ
Fautores qui non relligionis erant,
Instauravit eum præclare rursus honestus,
Ambrosius Cautus nomine, Præpositus.
Quod factum est illo ipso fausto scilicet anno,
Qui latiis Jubilus dicitur esse viris,
Quoq; anno electus Romana Præsul in urbe,
Julius, hoc titulo tertius ipse fuit.

Alia inscriptio.

Hoc opus Ambrosius feci, qui nomine Cautus
Dictus eram patrio, Præpositusq; fui.
Quisquis id intueris, mihi læta & fausta precare,
Susceptumq; iterum carpe, viator, iter!

Alia.

Ambrosius patrio Kaut nomine dictus, in Ulma
Natus, Præpositus istius ædis eram.

Resti-

Restitui quam post Germani funera belli :
Tu miserere animæ, maxime Christe, meæ.

S. NABORIS cœnobium Benedictinum, in ejusdem nominis præclaro apud Lotharingos oppido situm, Hilariacum antiquitus vel nova S. Hilarii cella, à primi oratorii conditore, S. Fridelino Scoto, Hilarii istius discipulo, dictum, fundatum est & eximis fundamentis solerti studio constructum à Sigisboldo tricesimo sexto, potentissimæ Mediomatricum urbis Episcopo. Dedicatum est in honorem D. Pauli, gentium doctoris, anno Domini 714. sub Gregorio III. & Zacharia, piscatoriæ navis temonem apud Romanam urbem moderantibus, Imperatore vero Leone III. Donatum est corpore S. Naboris martyris anno Domini 765. à Crodegando, tricesimo septimo Metensis Ecclesiæ Antistite, qui Romam petens à Paulo Pontifice tria obtinuit sanctorum martyrum corpora, S. Gorgonii, quod in Gorzia monasterio, S. Naboris, quod in nova hac cella, B. item Nazarii, quod in monasterio Lorsheim venerabiliter condidit. S. Naboris à terra elevati & post summam aram collocati tumulus subscriptos habet versiculos: *Gorziæ, & Lorsheim, cœnobia.*

Martyris egregii contentas cerne Naboris
Relliquias tumba hac, præclaro stemmate nati.
Quem, quia sacra Jovi nollet deferre profano,
Verberibus diris collisum Maximianus
Cœlicolis addens, testem necat ense cruento.
Ast tandem, nutu Tiberinæ sedis alumni,
Mirifice nostras duxit Crodegandus ad ædes.
Quem Mediomatrica pastorem Ecclesia habebat,
Secula bissenis septem superaddita lustris, *Hoc est, anno 765.*
Nec non Olympiadi : quando per amœna saluti
Tempora signarent nostræ per grataq; semper.

Supremam tandem manum huic cœnobio adjecit, idque & opibus & privilegiis auxit Angilramus, tricesimus octavus Metensium Episcopus, summus cœnobialis vitæ alumnus, in eodem monasterio unà cum primo ejus fundatore, Episcopo Sigis-

gisboldo sepultus. Abbates, ejus loci mortilogio inscripti, sine tamen annorum numero aut certo ordine hi inveniuntur.

1. *Adelardus.*
2. *Amandus.*
3. *Rabigardus.*
4. *Wasco.*
5. *Aldricus.*
6. *Contzemannus.*
7. *Constantinus.*
8. *Tilomannus.*
9. *Bertramus.*
10. *Reinerus.*
11. *Carolus.*
12. *Helpradus.*
13. *Theopertus.*
14. *Collinus.*
15. *Theodoricus.*
16. *Willericus.*
17. *Wadolphus.*
18. *Tempertus.*
19. *Adelmodus.*
20. *Volmarus.*
21. *Rudolphus.*
22. *Albertus.*
23. *Joannes.*
24. *Fridericus.*
25. *Daniel.*
26. *Nicolaus.*
27. *Ulricus.*
28. *Adamus* eligitur an. 1484. Præfuit laudabiliter annis 30. Fuit inchoator reformationis: tandem resignavit Abbatiam Matthiæ anno Domini 1513. Ejus tale ibi legitur in pariete templi epitaphion:

Qui modo marmorea requiesco crepidine tectus,
Lustris sex Abbæ pondera sustinui.
Maximineum mystam, Matthiam nomine, nobis
Sufficio: nostras & subit ille vices.
Cumq; magistratum posui, monachosq; renormo,
Injiciunt diras ferrea fata manus.
At peto, ne pigeat precibus pulsare Tonantem,
Adami sit mens ut bene grata Deo.

Obiit 21. Octobrium anni 1514.

29. *Matthias*, è S. Maximini Trevirensi monasterio postulatus, præficitur Abbatiæ S. Naboris anno 1513. quo cœnobium reformavit. Præfuit annis 5. laudabiliter. Obiit anno Domini 1518.

30. *Nicolaus Aldegundius* præfuit annis 14. Obiit anno 1532. Ejus tale ibi legitur parieti inciſum satis etiam rude epitaphion:

Mille

Mille & quingenta effluxerunt tempora grata
Partus virginei atq; triginta duo,
Dum superis placuit, pastor decessit amandus,
Nutantem qui ædem struxerat ipse suam.
Annos bis septem Abbas fuit hic Nicolaus,
Sanctæ Adelgundis villa paterna fuit.
Sideras sedes teneat nunc spiritus ejus,
Omnes optamus; maxime præsta Deus.

31. *Henricus* Trajectensis successit Nicolao. Præfuit 14. annis. Decessit ex hac mortali vita anno Domini 1545.

32. *Valentinus de Castelleto*, Gallus natione, præfuit annis tribus & aliquot mensibus. Exuit hominem & ad aliam patriam ex mortali emigravit anno 1549.

33. *Amandus* Leodiensis, vir doctus, statura corporis mediocri, eligitur anno Domini 1549. Præest hoc adhuc currente Jubileo.

S. Martini Cœnobium Longivillariense.

Est in hac vicinia ad dimidium scilicet milliare à S. Naboris oppido, & cœnobio S. Martini Glandariensis in Villalonga aliud & magnificum sane monasterium ordinis D. Benedicti, quod fundatum legitur à Franciæ Regibus, Digno, Bodagislo & Ondone. Habet hoc tempore Abbatem Sebastianum, natione Gallum: amplius enim de hoc cœnobio nihil habeo.

❁ ❁ ❁

S. PETRI vetustissima potentissimaq; intra Salisburgensis urbis muros sita Abbatia, ordinis D. Benedicti, ex qua, tanquam ex equo Trojano, plurimi egregii & excellentes viri ad gubernandos varios Germaniæ Episcopatus prodierunt, inchoata & fundata legitur anno Christi 580. unà cum ipso Episcopatu Salisburgensi, à S. Rudoberto, ex nobili prosapia Franciæ Regum ac Scotiæ Ducum oriundo: auxiliis tamen & munificentia Theodonis, inclyti Bavarorum Ducis, quem sanctus Dei vir Rudobertus, ex Wormatiensi Ecclesia & Episcopatu ejectus & in Bavaria circumquaq; docens, Ratisbonæ in Christianismo instituit, & cum ipsius optimatibus sacro regenerationis lavacro abluit.

Theodo Bojorum Dux fit Christianus.

Ibi cum liberam prædicandi Christi potestatem nactus esset vir Dei, perrexit ad Noricos, & per omnia castella & oppida Christum intrepide concionatus est. Venit vero & Salisburgum (quæ urbs paulo ante solotenus penè ab Attila & Hunnis eversa erat) hanc vepribus & virgultis jam coopertam, situ & ruinis deformatam, Theodonis venia & pace sibi concessam ac donatam, primus de novo emundavit & instaurare cœpit, construens initio monasterium hoc S. Petri, in quo ipse etiam primum sedem suam Episcopalem habens collectos discipulos fideliter docebat. Præfuit vero & Episcopatui & Abbatiæ huic laudabiliter, utiliter & pie annis pene 44. Obiit anno Christi 623. ipsa Dominicâ Resurrectionis Christi. Sepelitur in Ecclesia S. Petri honorifice, præsidentibus Romano Pontificatui D. Honorio: Romano vero Imperio D. Heraclio.

Salisburgum eruinis restauratur.

2. *Beatus* Vitalis successit S. Ruperto in utraq; gubernatione, Episcopatus videlicet & Abbatiæ, vir vitæ innocentia & sanctimonia eximie clarus. Præfuit annis 23. Obiit anno Domini 646. Sepelitur in cœnobio S. Petri.

3. *S. Ansologus* subrogatur Domino Vitali. Sedit adutriusque Ecclesiæ gubernationem, Episcopus videlicet & congregatorum discipulorum fidelis magister annis 20. Sepelitur ad S. Petrum in hoc ipso suo cœnobio anno Domini 666.

4. *Savolus* eligitur in Episcopum Salisburgensem & Abbatem S. Petri anno Domini 666. Præfuit utriq; dignitati laudabiliter 14. annis. Decessit ex hac lachrymarum valle ad æternæ vitæ consortium anno Domini 680. Sepelitur in monasterio S. Petri.

5. *Ezius* vel Essius & Abbatiæ huic & Episcopatui Salisburgensi præficitur anno 680. Præsedit utriq; loco fideliter & laudabiliter annis 23. Obiit anno Domini 703. Sepelitur cum antecessoribus suis in Abbatiæ S. Petri Basilica.

6. *Flobargisius* successit Domino Ezio. Præfuit utriq; dignitati & loco, commissæ plebis Episcopus & collectæ scholæ Abbas annis 37. Valedixit dignitatibus mundanis & vitæ mortali anno Dñi 740. Humatur prope antecessores apud S. Petrum.

7. *Joan-*

7. *Joannes*, vir & eruditione & morum sanctitate insignis, à S. Bonifacio Apostolicæ sedis legato constituitur in locum defuncti Flobargisii, & Episcopus & Abbas designatus anno 740. præfuit annis 14. Obiit anno 754. Sepelitur apud S. Petrum.

8. *S. Virgilius*, ex Hiberniæ nobili gente & familia prognatus, vir pietate & doctrina clarus, præficitur & Episcopatui & Abbatiæ S. Petri ab Odilone, præpotenti Bavarorum Duce, anno 754. Præfuit Episcopatui 30. annis, Abbatiæ vero tantum 20. substituens sibi in Abbatiæ gubernatione pium & doctum quendam monachum, Bertricum. Virgilius anno Domini 764. videns fideles Dei in Juvavienſi Episcopatu & ditione valde crevisse, pluribus templis opus esse ratus, aliam sedem Episcopalem erexit, & insignem Basilicam novam in honorem S. Ruperti, primi Salisburgensium Doctoris & Antistitis, construxit, quam anno Domini 774. absolutam ipse consecravit, & in eam S. Rupertum, duosq; ejus sacellanos, sanctos viros, Gisillarium & Chunialdum, ex æde S. Petri unà cum Episcopali sede transtulit. *Conditur Basilica S. Ruperti, & transfertur sedes Episcopalis.*

9. *Bertricus* eligitur in Abbatem S. Petri ab ipso Episcopo S. Virgilio anno Domini 774. Præfuit Abbatiæ 11. annis, Episcopatui vero etiam, post rebus humanis exemtum Virgilium, annotantum uno, & emigravit ex hoc seculo anno Domini 785. Sepelitur apud D. Petrum.

10. *Ammilonius* successit Bertrico, sed tantum in Abbatiæ gubernatione anno Domini 785. Præfuit 36. annis laudabiliter: & mortuo primo Salisburgensis ecclesiæ cathedralis Archiepiscopo Arnone, eidem unanimibus & Cleri & populi suffragiis subrogatur & Archiepiscopus designatur. Cùm vero sedisset ad Episcopatus clavum per menses tantum 8. decessit ex hac vita lugubri ad eam, quæ omni tristitia & dolore vacat, anno Domini 821. Sepelitur in S. Ruperti crypta. Huic in Episcopatus gubernatione successit Adelramus, prius archidiaconus summæ ecclesiæ: sed quis in Abbatia S. Petri, id incertum est. Nam de hujus cœnobii præsidibus & gubernatoribus nihil amplius in fastos relatum invenitur usq; ad annum Domini 987. Tum enim *Titus* quidam, S. Ruperti præpositus, monachus ad S. Petrum factus,

eodemq; anno Abbatiæ huic præfectus esse legitur, ubi cum 38. annis laudabiliter præfuisset, commutavit secularem & momentaneam vitam cum cœlesti ac meliore anno Domini 1025.

12. *Maselinus* succesſit Tito in Abbatia : quamdiu vero præfuerit, nescitur.

13. *Reimbardus* præfuit anno Domini 1074. quo ex ejus cœnobio Arnoldus quidam monachus evocatus est ad gubernandam Abbatiam Admontensem, in Styria sitam, à S. Gebhardo, Salisburgensi Archiepiscopo fundatam. Obiit Reimbardus Abbas anno Christianæ salutis 1077.

Admontensis Abbatia.

14. *Irmbertus* succesſit Reimbardo. Præfuit tantum 2. annis, & afflicta valetudine coactus resignavit Abbatiam his iterum, à quorum manibus eam prius acceperat, anno Domini 1079.

15. *Thiemo* monachus, vir honestæ vitæ ac multarum scientiarum laude clarus ac celebris, ex inferioris Altachii celebri apud Bavaros Abbatia evocatus, assumitur in locum Irmberti resignantis anno suprascripto. Præfuit XI. annis & anno Domini 1090. ad Archiepiscopatum Salisburgensem gubernandum vocatur, ubi ab Urbano Papa palliatus, cum iterum laudabiliter præfuisset XI. annis, profectus ad terram Sanctam, prope Corozaim civitatem à Saracenis captus, post omnium membrorum detruncationem trucidatus, martyr Dei factus est anno Domini 1102.

Inferius Altachium.

Archiepiscopus Salisburgensis trucidatur.

16. *Albertus*, monachus S. Petri, à Thiemone in Archiepiscopum electo, Abbatiæ præficitur: sed quo id anno factum sit, aut quamdiu is federit ad cœnobii clavum, ignoratur. Obiit vero anno 1104.

17. *Weselinus* subrogatur Alberto anno 1104. Præfuit 6. annis. Obiit anno Domini 1110.

18. *Reimbertus*, multarum rerum & literarum experientia maximus, electus in Abbatem post Weselinum præfuit similiter 6. annis, & evocatur anno salutis 1116. ad Brixienſis Episcopatus gubernationem. De quo plura leges in opere nostro Episcopatuum.

19. *Wel-*

19. *Waldericus*, vir bonus & honestus, successit Reimberto anno 1117. Præfuit laudabiliter & præclare annis 30. Obiit anno 1147. Sepelitur in Ecclesia S. Petri.

20. *Henricus* venerabilis pater subrogatur Walderico. Præfuit 20. annis prudentissime ac utilissime, ac anno Domini 1167. evocatus ex Abbatia, defuncto Romano, Gurczensi Episcopo substituitur.

21. *Henricus* secundus eligitur, discedente Henrico primo ad Gurcensem Episcopatum. Præfuit annis 21. Reddidit Abbatiam conventui valetudine adversa impeditus anno 1188. decima tertia Kalend. Augusti.

22. *Widpoto* eligitur, præsente Archiepiscopo Adalberto, qui liberrimam electionem approbavit, & quarto die post electionem in domo S. Petri eundem consecravit. Præfuit 5. annis. Obiit anno 1193. sexta Iduum Octobris.

23. *Pilegrinus* eligitur, eodem Archiepiscopo præsente & liberam electionem approbante, anno Domini 1193. à quo etiam consecratur in ipsis Kalendis Novembribus. Præfuit 2. annis, quibus cum plurimum premeretur ab eodem Alberto Archiepiscopo, resignavit Abbatiam anno Christi 1195.

24. *Conradus*, Abbas de Seidenstetten, præficitur Abbatiæ etiam S. Petri anno 1196. sed & ipse ab Archiepiscopo Alberto plurimum vexatus, mox Pilegrino antecessori Abbatiam reddidit, sesq; ad pristinum locum suum recepit. Pilegrinus paucis annis post obiit. *Seidenstetten Cœnob.*

25. *Simon* Pilegrino defuncto anno Domini 1199. subrogatur unanimi conventualium S. Petri consensu. Præfuit is laudabiliter 32. annis. Decessit ex hac mortali vita anno 1231.

26. *Magister Bertholdus*, Abbas prius Admontensis, præficitur & S. Petri huic monasterio, post sublatum è medio Simonem. Præfuit annis undecim, & obiit anno 1242.

27. *Rickherus*, ex Priore S. Petri factus Abbas anno præscripto, sedit ad clavum annis 17. Decessit anno gratiæ per Christum restitutæ 1259.

28. *Albertus*, Prior S. Petri, designatur Abbas post mortuum Rigk-

Rigkherum. Tenuit Abbatiæ temonem per triennium tantum, & obiit anno Domini 1262.

29. *Chuno* eligitur mox in Alberti succeſſorem. Præſidet 5. annis, & reſignat anno Chriſti 1267.

30. *Simon*, monachus S. Petri, ejusdem loci deſignatur Abbas anno 1267. ſed & ipſe mox difficilis & plenæ contentionibus gubernationis pertæſus, anno 1270. magiſtratu ſeſe abdicavit.

31. *Diethmarus* eligitur anno 1270. Præfuit annis 18. & ambulavit viam univerſæ carnis anno Domini 1288.

32. *Engelbertus* ſucceſſit Diethmaro. Præfuit utiliſſime, admodum beneficus monaſterio, ſed quamdiu, id in faſtos non eſt relatum.

33. *Rudbertus* Engelberto ſubſtituitur. Deceſſit ex hac vita anno ſalutis 1314. ſeptima Iduum Julii.

34. *Conradus* præfuit annis 32. Obiit anno Chriſti 1346.

35. *Otho* eligitur anno, quo deceſſit Conradus. Sedit in Abbatia annis 18. Obiit anno gratiæ 1364.

36. *Joannes Roſſius* ſucceſſit Othoni. Sedit ad clavum Abbatiæ annis undecim. Deceſſit anno ſalutis 1375.

37. *Otho Kallenbergerus* eligitur canonicè & concorditer anno 1375. Præfuit feliciter annis 38. Obiit anno Chriſti 1414.

38. *Leonhardus* ſubrogatur Othoni. Præfuit 2. ſaltem annis. Obiit anno 1416. Sepelitur in ſacello S. Viti.

39. *Udalricus Blanckenfeelſer* præfuit annis 4. Deceſſit ex hac vita anno 1420.

40. *Joannes Notzenhuſerus* canonica electione Ulrico ſucceſſit. Præfuit annis ſeptem. Obiit anno Domini 1427.

41. *Georgius Ballerus* præfuit annis 8. Exuit hominem anno Verbi Incarnati 1435.

42. *Erhardus de Lamnitz* ex Priore S. Petri Abbas deſignatur anno Domini 1435. Præfuit paucis menſibus, & eodem anno ex hoc ſeculo emigravit.

43. *Petrus Klugheimerus* concordibus omnium Conventualium ſuffragiis eligitur eodem anno (quo duo anteceſſores obierunt) ipſa vero die conceptionis B. Mariæ Virginis. Præfuit laudabiliter 31. annis. Obiit anno 1466.

44. *Ru-*

44. *Rudopertus Keutzelius* succeſſit Petro. Præfuit 29. annis. Obiit anno 1495.

45. *Virgilius*, prior S. Petri, eligitur in ejusdem loci Abbatem anno Domini 1495. Præfuit annis ſex tantum & paucis menſibus: deceſſit anno Chriſtianorum 1502.

46. *Wolfgangus de Roſchingen* succeſſit octavo Kalendarum Jani ejusdem anni, quo obiit anteceſſor. Præfuit 16. annis. Obiit anno 1518.

47. *Simon*, ex cuſtode factus Abbas, præfuit annis 4. Exauthoratur iterum à Matthæo Langio, Cardinale & Archiepiſcopo Salisburgenſi, circa feſtum S. Jacobi anno Chriſti 1522.

48. *Joannes Staupicius*, Eremitarum domus Auguſtinianæ præfectus, doctor ſacrarum ſcripturarum eximius & Matthæi Cardinalis conſiliarius, eligitur concordibus fratrum S. Petri ſuffragiis anno 1522. Confirmatur à Cardinale Archiepiſcopo. Præfuit 2. ſaltem annis. Obiit anno Dominicæ Incarnationis 1524. ipſa die Innocentum.

49. *Chilianus* ex Priore Abbas deſignatur in ipſa Innocentum octava anni 1525. Præfuit 10. annis. Deceſſit ex hoc lugubri ſeculo anno redemti orbis 1535.

50. *Georgius Oeller* succeſſit Chiliano. Præfuit undecim tantum diebus, & pleuritide è medio ſublatus eſt.

51. *Egidius* ex cuſtode templi Abbas deſignatur anno Chriſti 1535. Præſidet laudabiliter hoc adhuc currente Jubileo, ſub Archiepiſcopo Salisburgenſi quinquageſimo octavo, Arioniſto, inclyto ac illuſtriſſimo Bavarorum Duce.

Quem precor, annales ſtudioſus ut augeat iſtos:
Plurima nam dubio priſca habet ille procul.
Hinc laudem, decus atq; ſibi nomenq; parabit:
Succeſſoribus hic gratus eritq; labor.

S STEPHANI nobili genere natarum, non equidem monacharum, ſed Canoniſſarum, ab omni jugo & profeſſione liberarum, collegium potius, quàm cœnobium, intra potentiſſimæ urbis Auguſtanæ mœnia verſus ſeptentriones penè, eo

ipso loco situm, ubi ab Imperatore Othone Magno Hunni olim magna virtute cæsi sunt, fundatum & constructum est annum Christi circiter 966. à S. Ulrico, Augustanæ urbis Episcopo, Comite de Kiburg & Dillingen, cujus frater germanus Theobaldus Cæsaris castra sequutus ab Hunnis eodem loco cæsus erat. Dictum est S. Stephani cœnobium, quod Hunnorum Rex ibi à S. Ulrico baptisatus, Stephanus appellatus fuisset. Ejus loci Abbatissarum talis, etsi mancus & imperfectus, extat catalogus.

1. *D. Eleusinia*. Comitissa Dillingensis, germana soror S. Ulrici Episcopi, prima gubernatrix & Abbatissa hujus loci, humata jacet in vicino S. Galli sacello, quod ipsa primum condidisse legitur. Tumulum ejus tali ego honoravi epitaphio:

Corpus Eleusiniæ jacet hac tellure repostum,
Rectricis primæ hac in meliore domo.
Spiritus ingenuæ castæq; piæq; puellæ
Additus est superis Angelicisq; choris.

2. *D. Agnes* successit Eleusiniæ: sed quo anno præesse cœperit, vel ex hac vita emigrarit, ignotum est. Successorum ejus Abbatissarum nomina interciderunt & ex omni hominum memoria in oblivionem venerunt.

3. *D. Wilbirgis* à Thierheim, nobilis & genere & moribus Domina, legitur decessisse anno Domini 1344.

4. *D. Catharina à Liechtenegk* præfuit anno 1350.

5. *D. Catharina*, ex celebri ac prænobili familia Pincernarum de Winterstetten nata.

6. *D. Agnes ab Ostenheim.*

7. *D. Elisabeta à Lichtenau* decessit ex hac vita anno Domini 1438.

8. *D. Ursula à Wiler*, Burcardi nobilis viri nobilissima filia, eligitur in Abbatissam Canonissarum S. Stephani an. 1438. Præfuit laudabiliter & utilissime annis 36. Obiit anno Domini 1475.

9. *D. Anna Harscherin* successit Dominæ Ursulæ. Præfuit 13. annis utiliter & prudentissime. Obiit anno Dñi 1488.

10. *D. Anna à Werdenstein* præfuit 9. annis & exauthoratur.

11. *D. Ur-*

11. *D. Ursula à Berenstetten* eligitur anno Domini 1497. Præfuit annis 20. summa cum laude & utilissime. Obiit anno Domini 1517. tertia Februarii.

12. *D. Anna ab Ostenheim* præfuit quinq; penè annis. Obiit anno 1521.

13. *D. Agnes à Giltlingen* eligitur tertia Jani anno 1522. Præfuit per unum saltem annum & menses quinq;. Obiit anno Domini 1523. Sepulta in ambitu S. Stephani.

14. *D. Anna à Freiberg*, patre Joanne, Equite aurato, matre vero Geneva de Rodt nata, eligitur in Abbatissam duodecima Junii anno Christi 1523. Secessit propter mutatam religionem ex Augusta Hochstadum (quod oppidum Palatinorum ditionis tum erat, hodie belli jure Cæsareæ Majestati paret, ad Danubium situm) anno 1537. Rediit Augustam anno 1548. circa festum S. Galli, ubi hoc adhuc currente Jubileo feliciter præsidet. Vixit ejus ætate in hoc cœnobio corporis & ingenii bonis præclarissima Domina, Catharina à Fridingen, Hegoviana, quæ anno Christi 1538. prodiit & Doctori *Paulo Phrigioni* nupsit, diligentissimo chronographo ac sacrarum scripturarum in Academia Tubingensi eximio Professori, hero & alumno olim de me optime merito, quem honoris causa & gratitudinis ergo huic loco inferendum censui. Honoravi utriusq; tumulum piis epitaphiis, extantibus in silvarum mearum libro primo, Lipsiæ olim excuso. *Hochstätt.* *Paulus Phrigio.*

Est vero & aliud monialium cœnobium longe pulcherrimum, amœnissimumq;, & sumtuosissime extructum in Augusta Vindelicorum, post Dominorum Fuggarorum magnificentissimas in vinario foro sitas, & à Divo Carolo V. Imp. Aug. hodie habitatas ædes, S. Catharinæ dicatum, ordinis Prædicatorii vel S. Dominici. Id extra urbis mœnia & octo lapidibus ad urbe, in loco auf dem Grieß dicto, cœpit: sed in urbem receptum & translatum, ibiq; denuo quasi fundatum est anno Christi 1250. à Domina Christina de Wellemburg, quæ in hoc ipso cœnobio suo vixit & vitam in terris mortalem absolvit, ibidemq; decenter humata est in ambitu Ecclesiæ ante domum capitularem, ubi cubat etiam illustris Principissa, Domina Agnes, Marchionissa *S. Catharinæ Cœnobium.*

Burgovienſis, quæ in eodem cœnobio monaſticen profeſſa eſt, & ex mortalis vitæ hujus turbulento pelago ad æternæ ſalutis portum enatavit anno gratiæ per Chriſti meritum nobis reſtitutæ 1263. Habuit hoc cœnobium ſemper gubernatrices Prioriſſas, quarum talis eſt ſeries & catalogus.

Catalog. Prioriſſarum.

1. *Agnes Harſchnerin*, civis Auguſtana.
2. *Lucia Langenmentlin*, & ipſa civis ac Patricia.
3. *Anna Endorfferin*, civis.
4. *Eliſabeta Egina.*
5. *Eliſabeta Warreiſin.*
6. *Anna Waltherin.*
7. *Veronica Welſerin.*
8. *Felicitas Endorfferin*, ſub cujus gubernatione cœpit mutari genus doctrinæ & religio. Deceſſit illa anno Domini 1547.
9. *D. Suſanna Ehingerin*, Patricia Ulmenſis, procera, facunda & præclara herois, præſidet hoc adhuc anno Chriſti 1551. quo potentiſſimus Romanorum, Germaniæ, Hungariæ ac Bohemiæ Rex, Divus Ferdinandus, regium ſacellum ſuum in hoc ipſo cœnobio habuit, in cujus honorem talem luſi ſub ipſis Comitiis in Amicorum (quos ibi etſi rudi & vere extemporanea Muſa celebravi) gratiam, encomiaſticam hanc elegiam, reverendo patri ac clariſſimo viro, Domino *Primo Lacunario*, Styro, Canonico Viennenſi & Vice eleemoſynario regio, amico meo ſingulari, ſic dicatam.

PRime Lacunari, vir docte, vir optime, Muſæ
O decus, ô magnum præſidiumq; meæ,
Accipe de Regis noſtri cantata ſacello
Carmina, quæ chari muneris inſtar habe.
Tu jam (nomine primus ut es) ſic re quoq; primum
Præcipuumq; hujus diceris eſſe decus.
Namq; abſente Labacenſi, tu maxime Prime,
Omne geris tanti Præſulis officium.
Sacra facis coram ſacrato Rege, ſtipemq;
Porrigis ejusdem nomine pauperibus.

At

At venit hora, ubi te fulgere videbimus omnes,
Et veste ornatum Præsulis ire pii.
Tum (quem marmoreum saltem isto tempore feci)
Aureus in nostro carmine totus eris.
Et cui nunc pro auri precioso munere chartas,
Victuras tamen in secula longa, damus:
Huic aliquando aurum sacras ponemus ad aras,
Auri si nobis copia major erit.
Nunc præter chartas habet hæc nil nostra supellex:
Ergo quod est, damus: & turba parata damus.
Tu leve munus amore tuo dignabere clemens,
Ingq; tuis charis rebus habere voles.
Sic mihi scribendi melioris carminis ad te
Omnino dabitur non levis ansa. Vale.

22. Novembr. A. à nato Christo 1550.

ENCOMION REGII SACELLI.

Lusimus Augusti nuper de Regis honesta — *Propositio figurata translatione.*
Conveniens pueris carmen inersq; schola.
Lusimus, ut Regi gratum faceremus & aulæ,
Qua vix sub toto mitior ulla polo est.
Lusimus, ut pueros exhortaremur ad artes
Discendas (quarum est author Apollo) bonas.
Hoc quoniam placuisse viris doctisq; bonisq;
Audio, quos habet hæc Principis aula mei,
Conabor simili nunc illustrare sacellum — *Invocatio.*
Laude, in quo fieri regia sacra solent.
Tu mihi, Musa, fave, facili quæ ludere plectro
Semper amans, vivum in carmine Numen habes.
Augustanæ urbis jacet intra mœnia templum — *Narratio inchoata à Topographia.*
Non procul a magni Cæsaris hospitio.
Id divæ sacrum Catharinæ: virginitatis
Nympharum æternæ dicitur esse domus.

In qua Patricio Vestales sanguine natæ
Canonica Divos relligione colunt.
Templum ipsum tanquam niveo est ex marmore factum,
Sublime & vario munere conspicuum:
Omnibus ornatum rebus, quas Seres & Indi,
Aut reliquæ gentes totius orbis habent.
Illic conveniunt festis ad sacra diebus
Rex, Electorum turbaq; diva Ducum.
Divus Ferdinandus Rom. & Germaniæ Rex. *Fernandus positæ lævam Rex occupat aræ,*
Imperii Cæsar maximus ipse sacri,
Quo nihil æquè Augustum aut æquè nobile tellus
Christiadum (latè quàm patet illa) videt.
Electores ac cæteri Principes. *Pone Moguntinæ magnus stat Episcopus urbis,*
Quem sequitur Trevir, & cætera turba Ducum.
A dextris aræ stat Maximilianus, & hujus
Fernandus frater, charus uterq; Diis.
Regii filii. *Quorum hic è regno Moltavi nuper ad urbem,*
Ille sed Hispano venit ab orbe procul.
Austriacæ decora alta domus, duo lumina terræ,
Per quam se medii Rhenus & Ister agunt.
D. Nicolaus Olabus. *His vicinus adest Agriensis Episcopus ipse,*
Olahus, Ungarici maxima fama soli.
Regis ut orator, sic consiliarius ingens,
Heros eloquio consilioq; gravis.
D. Christophorus Werdwinius. *Quem prope Christophorus noster Werdwinius astat,*
Phorcensi clara Doctor in urbe satus.
Doctrina, eloquio, virtuteq; nobilis heros,
Heroa serie corporis eximius,
Quo doctum os referante, omnes Regesq; Ducesq;
Non secus, ac cœli Rege loquente, stupent.
Surgentem tumidasq; virum mirantur in iras,
Iras, quas zelus concitat acer ei:
Dum Divorum ardenter opus facit, increpat atq;
Peccati, ceu œstro percitus, omne genus,

Non

Non cuiquam parcens, imò nec regibus ipsis,
Si quid designent forte ferantq; mali.
Proximè ad aram in conspectu Regisq; Ducumq;,
Docta sacerdotum turba stat ante Deos.
Quorum est Antistes doctrina & nomine magnus,
Urbanus, meritis maximus atq; fide. — *D. Urbanus, Episcopus Labacensis.*
Ipse Lavacensis venerandus Episcopus urbis,
Quem veluti numen regia tota colit.
Quo sacrum faciente, & Rex applaudit & ipsa
Tota Electorum concio sacra Ducum.
Nam velut ad patrios è mundi carcere cœlos
Sublatus, summos & velut ante Deos
Non aliter secus, Angelicum quàm Numen, ad aram,
Augusto recitans mystica verba sono.
Talis in æde sacra est, foris autem nomine Regis
Pauperibus placidus porrigit ille stipem.
Ipsius hinc nunquam non est ad tecta sacrasq;
Oppressæ plebis magna caterva fores,
Ex æquo cui distribuit, quæ regia cura
Pauperibus mandat munera larga dari.
Huic est proximus & veluti successor habendus — *D. Primus Lacunarius.*
Distribuendæ hujus in stipis officio,
Eximia dominus Primus virtute coruscus,
Ille Lacunaris nomina prisca tenens:
E Cylensi ipso Comitatu natus, in urbe
Stirensi, parva, non tamen incelebri.
Vir doctus, placidus, gravis, ingeniosus, honestus,
Integer, & verè candidus atque bonus,
Munificusq; pater, verè & dignissimus, olim
Qui præclarum aliquod Præsul ovile regat.
Et facundus ut, eloquii sic munere clarus,
Æternas mea cui Musa precatur opes.
Quem mihi amicitia conor dum jungere vera,
Sacra vi illustri hæc carmina nostra viro.

Car-

Carmina magnanimi Regis quibus orno ſacellum,
Quo quicquam auguſtum non habet aula magis.

D. Andreas Kebeſinus.

Tertius, Andreas Kebeſinus, natus in ipſis
Auriferis regnis, Pannonis ora, tuis.
Præpoſitus Budæ Regalis ſcilicet olim,
Quæ canis eſt Getici facta rapina modo.
Mox reparata manu forti Regisq; Ducumq;
Chriſtiadum fiet rurſus, ut ante, ſoror.
Vir mira lucens morum gravitate, favorem
Qua ſibi conciliat regis ubiq; ſui.
Sed doctus quoq; & omnigena virtute decorus,
Et cui barbaricæ nil ſeritatis ineſt.

D. Stephan. Pirckheimerus.

Quartus in ordine, Stephanus eſt, vir honeſtus & oris
Gratia & ingenii nobilitate potens.
Ex regione ſupra ipſum Anaſum ſatus, excipit illum
Uberior Trauni factus ubi Iſter aquis.
Is Pirckheimero Wilibaldo ſanguine junctus,
Non eſt huic ſtirpi gloria parva ſuæ.
Muſicus inſignis, Muſas non pectore falſo
Diligit, & doctum quicquid Apollo docet.
In pulchro probitas, pudor atq; modeſtia vultu,
In ſacro pietas pectore vera ſedet.

D. Vincentius Xinthus.

Quintus in hoc cœtu meus eſt Vincentius, ille
Doctrina juvenis & pietate gravis.
Stemmatis à priſci dictus cognomine Xinthus,
Cum quo communis patria penè mihi eſt.
Ille Bohemorum namq; in prædivite natus
Eſt regno, armipotens urbs ubi Sara jacet.
Ipſe mea Egranæ ditioni debeo & urbi
Auſpicia & vitæ ſemina prima meæ.
Quos patriæ ergo amor atq; fides conjungit, eosdem
Junxit amicitiæ non malè laude Deus.

D. Joannes Gaſpar Rudlandus.

Sextus at hos ſequitur Gaſpar Rudlandus, is ortus
Eſt patre præfecto, parvula Bretta, tuo.

Vir

Vir doctusq́, bonusq́, & doctis sanguine junctus
Eximiis aliquot laude fideq́, viris.
Qui non Palladis est tantum (quæ diligit artes
Ingenuas omnes) castra sequutus iners:
Istius at quoq́ Palladis, & quæ præsidet armis,
Et quæ præclarum nil sine Marte facit.
Cæsaris hinc regisq́, est martia castra sequutus
In variis terris per duo lustra ferè.
Testes sunt Ister, Savusq́ & Pannonis ora, &
Westphala Saxonico terra propinqua solo.
Testes sunt Albis rapidus vitreusq́ Visurgis,
Quantus in hostiles iverit ipse manus.
Qua peperit virtute sibi nomenq́, decusq́,
Et laudem, extinguet quam mala nulla dies.
Nuper Romulea dum Jubilus annus in urbe
Floret, ubiq́ suas Romaq́ spargit opes,
Ipse valedicens Marti, se ad sacra Deorum
Contulit, addq́ aras (quas habet aula) pias.
Hi Psalmos & sacra canunt æqualibus omnes
Vocibus, unisona sub ratione situs.
Cetera turba, quibus cantorum dispare Musa — *Cantores Regii.*
Ac variis reddit læta parerga modis,
Cantorum Regis chorus inquam maximus, in quo
Præcipuæ laudis nomina Petrus habet
Massenus, latio Moderatus nomine dictus, — *D. Petrus Massenus magister sacelli.*
Quem gnatum agnoscit Flandria docta suum.
Totius ille chori cantus qui digerit omnes,
Ad cujus nutum cetera cuncta cadunt.
Nobile Gandavum quo sese jactat alumno,
Qui multorum urbes vidit & ora virum.
In quem unum concluſit opes soror inclyta divum
Omnigenasq́ artes Musica tota suas.
Quem prope & ipse sedens studiose observat Jopas,
Ejusdem fidus compatriota Petri,

D. Jacobus Bobuſo Organicen.

Clarus Jacobus ingenio, quem à nomine gentis
Tota Bohuſonem muſica turba vocat.
Quo vix componit pia cantica promtius alter,
Sub cujus digitis barbitos apta crepat,
Barbitos exhilarans vario modulamine & almi
Regis & aſtantum pectora celſa Ducum.

Apoſtrophe ad Carolum Archiducem.

Quos inter medius tu, Princeps Carole, fulges,
Editiore tamen conſpiciende loco:
Carole, Fernandi regis ter maxime fili,
Qui Cæſar nobis Carole ſextus eris:
In quem defigunt unum ſua lumina, templi
Quicunq; hæc ſacri limina ſacra petunt.
In puero q; putant ſe Auguſtum cernere quidam,
Quo terrarum orbis debeat ipſe regi.
Orbis (dico) per Auſtriacos Dominosq; Ducesq;,
Qui mundi ad fines usq; regendus erit.

Epilogus per adynaton.

Cetera totius ſi vellem numina templi
Dicere, deficerent tempus & hora mihi.
Non mihi ſi linguæ centum & totidem ora ſuperſint,
Cuncta auſim numeris commemorare meis.
Hæc tibi de multis vero pauciſſima, lector,
Sufficiant modo: quæ ſi, velut opto, probas,
Plura aliquando leges de ſacro utriusq; ſacello
Cæſaris & regis condita ſcripta. Vale.

Eſt & tertium monialium, ſed Franciſcani ſaltem inſtituti paupercularum, aut certe non tam (ut ſunt aliæ) opulentarum ſororum elegans cœnobiolum in urbe Auguſtana ad Lycum amnem ſitum, ac S. Urſulæ dicatum. Id ex mendicitate emerſit, & nuper adeo ab Epiſcopo Auguſtanæ eccleſiæ laudatiſſimo ac optimo, Domino Chriſtophoro à Stadion, auctum ac liberaliter eſt donatum: quem ſolum ejus loci ſorores pro fundatore ac præcipuo benefactore ſuo jactare ſolent.

S. Urſulæ Cœnob.

S. THEODORI cœnobium Bambergenſe, quod incolæ urbis corrupta & abbreviata voce **Sandt Oders** vocant, Nobilium

bilium puellarum perpetuæ virginitatis voto astrictarum magnificum ac præpotens monasterium, inchoatum est primum Michelsfeldi in S. Nicolai colle, ubi hodie adhuc primarum monialium templum & locus visitur, annum Christi circiter 1135. postea vero Bambergam in locum, quo hodie adhuc extat, translatum anno Domini 1150. ibiq; in honore S. Theodori Martyris quasi de novo fundatum est à Gertrude, Palatinissa quadam, Conradi Marchionis Misnensis filia, quæ defuncto marito hoc ipsum cœnobium ingressa per annos aliquot sancte illic vixisse & præfuisse cæteris virginibus legitur. Sepultus est in eo Hermannus secundus, Bambergensis Episcopus, qui obiit anno 1177. & & creditur fuisse Marchio Misnensis & hujus fundatricis germanus frater. Abbatissarum hujus loci Benedictini talis extat catalogus. *Michelsfeld.* *Abbatissarum descriptio.*

1. *D. Gertrudis*, Palatinissa, prima ejus loci fundatrix, obiit anno 1191. fidelis ancilla Christi, cui datum est hospitale vicinum ab Hermanno Episcopo, quod ab Eberhardo Episcopo primo pro peregrinis & orphanis constructum erat.
2. *Bertha.*
3. *Mechtildis.*
4. *Clara Lisbergerina.*
5. *Elisabeta à Zugenreuth.*
6. *Margareta Grossina* à Drogkau.
7. *Elisabeta* à Braunwart, utilissima gubernatrix & secunda monasterii fundatrix, præfuit circa annum Christi 1390.
8. *Christina* à Rabenstein.
9. *Catharina Stibarina* obiit anno 1436.
10. *Gertrudis* ab Aufffess præfuit annis 23. Obiit anno 1459. germana soror D. Friderici, Episcopi Bambergensis.
11. *Kbunigundis*, Dapifera à Wetzhausen, quæ laudabiliter præfuit annis pene 40. Decessit ex hac vita anno 1498.
12. *Catharina Schoffstalerin* præfuit 22. annis. Obiit anno Domini 1520.
13. *Magdalena à Liechtenstein* præfuit tempore seditionis rusticæ. Obiit anno 1528.

14. *Dorothea à Miſtelwegk* obiit anno gratiæ 1540. cum præfuiſſet annis 12.

15. *Urſula à Roſenau* eligitur anno Chriſti 1540. Præeſt adhuc currente hoc Jubileo.

S. Claræ Cœnobium Bambergenſe.

Eſt in eadem amœniſſima civitate Epiſcopali S. Claræ etiam præclarum virginum Deo dicatarum cœnobium, fundatum anno Chriſti 1341. ſub Leopoldo, Bambergenſi Epiſcopo, à Domina Catharina, honeſtiſſima quadam puella Babenbergenſi, ejus gentis ac familiæ civium, quos Zolleros ad Titionem, vulgo die Zoller am Brandt/ ad differentiam alterius familiæ Zolleriorum, & à domo præclara Titione ſignata, & à Carolo IV. ſacratiſſimo Imperatore, in gratiam Henrici Zolleri (cujus gener Guntherus Doglerus, Imperatorius erat ſecretarius) anno Chriſti 1357. maximis immunitatibus donata, & ab omnibus exactionibus ac oneribus civilibus ſingulariter exemta, omnes civitatis incolæ vocant. Prima hujus cœnobii Abbatiſſa legitur fuiſſe illa ipſa Domina, fundatrix Catharina, quæ Divarum numero inſcripta, honorifico & de terra in altum educto Mauſoleo condita eſt in ipſo ambitus ſacello. In hoc ipſo cœnobio monaſticen & perpetuam virginitatem profeſſa eſt, tandemque Abbatiſſa deſignata legitur illuſtriſſima Domina Dorothea, Alberti Marchionis Brandenburgenſis filia, quæ obiit anno Chriſti 1529.

Zum Brandt.

S. Dominici ſepulchri Cœnobium Bambergenſe.

Eſt vero & tertium monialium cœnobium Bambergæ ordinis Prædicatorii, ad S. Dominicum ſepulchrum dictum. Id anno Domini 1314. Wulfingi Babenbergenſis Epiſcopi temporibus conſtructum ac fundatum eſt ab honeſto Bambergenſis urbis cive, Franciſco Monetario, qui cum egregie id perfeciſſet, obiit tandem anno Domini 1355. ipſo die S. Luciæ, in media iſta ſua Eccleſia honorifice depoſitus ac ſepultus. Condidit vero in honorem corporis Dominici, cujus particula argenteo vaſi incluſa ab improbo quodam ſcholaſtico, Simone, omnium paternæ domus bonorum abliguritore, è templo S. Martini furtim ſubtracta, &, vendito dilapidatoque argento, in agrum projecta erat: ad quam cum veniſſet cuſtodis templorum ſerva, excæcata (ut fertur) ejus claritate, in urbem rediit, ac ſuum luctum, & quod vidiſſet,

disset, Episcopo narrat. Episcopus vir religiosus prodit cum sacerdotum & monachorum cœtu, agnoscit particulam furto alienatam, quam mox cum reverentia sublevat & sacellum illic construere incipit. Id statim ab Henrico quodam, alio cive, & ejus uxore Guta, postea vero aliorum piorum hominum eleemosynis cumulatim accedentibus præclare ditatum, & à Francisco, cive supranominato, magis auctum & in cœnobii formam ac statum redactum, reliquiisq; S. Jodoci ornatum, pluribusq; structuris pulchre decoratum est. Primæ hujus loci moniales ex Dominarum Aurachio introductæ sunt, Elisa Frowiniana, Elisa Holdschuherina, patre Patricio viro apud Noricos nata, Catharina Cameraria Bambergensis, cum aliis 12. virginibus, quarum prima gubernatrix vel priorissa fuit Domina Khunigundis, Francisci Monetarii fundatoris conjux, quæ 19. annis laudabiliter huic societati præfuit, & anno 1375. ex hoc seculo emigravit. Reformatum est cœnobium hoc anno Domini 1457. temporibus Antonii, Episcopi Bambergensis, à pia & venerabili Domina, Dorothea Perlina, è S. Claræ Noribergensi cœnobio missa, quæ hujus loci Priorissa designata est. Præfuit autem huic ipsi monialium congregationi anno Domini 1513. insignis Domina, Domina Euphrosyne à Schaumberg, quæ octo sorores misit eodem anno in Misniam ad S. Mariæ Magdalenæ Widense cœnobium reformandum: cui præfecta legitur gubernatrix Domina Margareta ab Hutten, nobilis genere, sed virtute morumq; & vitæ probitate longe nobilior Domina.

S. Mariæ Magdalenæ Widense Cœnobium.

S. UDALRICI magnificentissimum Benedictinæ professionis monachorum cœnobium, intra Augustanæ urbis mœnia versus meridiem sublimi & augusto loco situm, ex Divæ Afræ vetustissimo templo in monasterium conversum est ab ipso S. Ulrico, Augustano Episcopo, post cæsos ibi ab Imperatore Othone Magno Hunnos anno Domini 965. Instituit vero S. Ulricus ibi Canonicos primum regulares. Postea vero à Brunone Episcopo, Imperatoris Henrici II. germano fratre, Abbatia Benedictinorum monachorum ejectis Canonicis facta, S. Ulrico

augustum ejus templum dedicatum est, quod prius S. Afræ exiguum tantum fuerat sacellum, idque factum legitur anno Christi 1012.

Abbatum Ordo.

Abbatum hujus amplissimi cœnobii talis à me collectus & ex variis annotationibus consutus est catalogus.

1. *Reginboldus*, illustris Comes à Dillingen, ex primi fundatoris S. Ulrici posteritate natus, à Brunone Episcopo, secundo fundatore, ejusq; fratre, S. Henrico Imperatore constituitur primus Abbas collectæ Benedictini instituti congregationis monasticæ anno Domini 1012. Præfuit 3. annis, & magistratu sese abdicans alteri gubernationem commisit. Ipse privatus vixit pie ac religiose ad annum usq; 1032. Tum enim ab unanimiter consentiente Spirensis Ecclesiæ clero in ejus urbis antistitem ac Episcopum postulatur, ubi magna virtute & summa cum laude legitur præfuisse annis penè octo: emigrasse vero ex hac mortali vita anno Domini 1039. quo Conradus etiam, Imperator ejus nominis secundus, apud Trajectum in Hollandia diem extremum clausit.

2. *Dego* successit Reginboldo, resignanti anno Domini 1015. factus ex conventuali Abbas. Præfuit 3. annis, vir singularis virtutis & meriti longe maximi, Divinarum vero scripturarum cognitione insignis, ac earundem explicator & interpres facundus, & cum multa laude & authoritate celebris. Obiit anno Domini 1018.

3. *Godesgenus* subrogatur Degoni anno 1018. Præfuit annis duobus vix integris. Decessit anno Christi 1020. 13. Kalendarum Januarii.

4. *Frideboldus*, conventualis & senior hujus loci, eligitur in Abbatem anno 1020. Præfuit 10. annis & aliquot mensibus. Erat vir imprimis religiosus & præclare doctus, S. Henrico Imperatori confessor longe charissimus. Donatus est amplissime & privilegiis & possessionibus cum ab hoc Imperatore, tum ab aliis plurimis Germaniæ Principibus, ita ut sub ejus felici gubernatione præclare emerserit S. Ulrici cœnobium. Obiit venerandus senex anno Domini 1030.

5. Hen-

5. *Henricus* ex loci hujus priore Abbas designatus est post sublatum ex hoc seculo Frideboldum. Præfuit laudabiliter 14. annis, homo humilis ac vere mitis, eleemosynarum elargitor liberalissimus, nunquam malum pro malo reddens: ita enim de eo scriptum reperitur. Obiit 15. Kalendarum Julii anno Domini 1044.

6. *Theodo*, vir Deo & hominibus gratus, successit Henrico. Præfuit utiliter & prudenter, ac idcirco etiam profuit annis 6.

7. *Adalbero*, vir in S. literis apprime eruditus, eligitur anno 1050. Præfuit laudabiliter annis 15. Cinxit cœnobium suum primo, sed & humili tantum muro: condidit sacellum S. Agnetis parochiali suæ ecclesiæ annexum. Ea tempestate monachi sine exemplo majorum uxores ducebant, in quos idcirco Pontifex Gregorius VII. excommunicationis fulmine graviter animadvertit. Profectus Romam Abbas, quod ab Augustano Episcopo premeretur gravius, quam decebat, in itinere diem obiit extremum anno Domini 1065. *Monachi uxores ducunt.*

8. *Theodomarus* novitius, ut vocant, hoc est, nec clericus nec monachus, homo prorsus juvenis, absente Adalberone in odium ejus constituitur Abbas ab Episcopo Embricone anno Domini 1064. Præfuit annis 16. sed non admodum profuit. Decessit ex hac vita anno Domini 1080. decima tertia Kalendarum Decembrium.

9. *Sigehardus* è vestigio à conventualibus electus, ne iterum alius ab Episcopo intruderetur, successit mortuo Theodomaro, vir honestæ vitæ, circa religionis curam strenuus, nec in temporalibus acquirendis segnis aut male providus. Præfuit 14. annis præclare & laudabiliter. Obiit anno Domini 1094. Misit in Hispanias ad Berengarium, Episcopum Gerundensem, fratrem quendam sui cœnobii conversum ad explorandam plenam S. Afræ historiam, & pro apportandis S. Narcissi, primi Augustanorum doctoris, reliquiis ac monumentis.

10. *Hartmannus* intruditur ab Episcopo Augustano schismatico, desumtus ex cœnobio Gottwigensi, vir admodum prudens & eruditus. Is videns sese conventualibus parum esse gratum, *Gotwigense cœnob.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tum, post biennium, anno videlicet 1096. Campidonam concessit. Periit paulo post in Danubio, unde inventus Campidonam reportatus ac ibi sepultura donatus est.

11. *Berengarius*, monachus Fuldensis, ab eodem schismatico Episcopo monachis S. Ulrici obtruditur. Præfuit 11. annis, & resignans Fuldam rediit anno Domini 1107. ubi reliquum vitæ studiis deditus transegit & in quiete literaria absolvit.

12. *Guntherus* ex Abbate Wessenbrunnensi Abbas S. Udalrici etiam fit, violentia potius, quàm electione ano Domini 1107. Præfuit vix duobus annis, &, qui seipsum intruserat, cedere iterum non sine multa ignominia cogitur anno Dñi 1109.

13. *Egino*, vir sanctus, patria Augustanus, & à pueris in hoc cœnobio alitus ac educatus, egregius concionator, eligitur in Abbatem anno Domini 1109. Præfuit 13. annis. Habuit valde injurium & male propitium Hermannum, Episcopum Augustanum, à quo ex Abbatia expulsus est. Secessit igitur bonus pater Romam, ubi apud Pontificem sententiam contra Episcopum obtinuit, qua armatus dum redit, obiit Pisis in Camaldulensi monasterio, ubi in S. Michaëlis Ecclesia in ipso etiam ejus urbis Episcoporum Mausoleo honorifice depositus ac humatus est. Cui Udalscalcus, doctus hujus loci cœnobita & egregius versificator, tale fecit ad confratres suos epicedion, quod tamen mendosum esse suspicor.

Hic patris occasus, dum veri Solis ad ortum,
Tendit & ad portum, quia nescit tempora casus.
Est tibi gaudendum pro tam præstante corona
Fili mente bona: simul est quoq; mente dolendum.
Nam velut orbatus remanes patre spirituali,
Et tibi caussa mali: reputatur is unde beatus.
Sic tamen est pia spes, hic qua dolor alleviatur:
Est operum quoq; res, qua justus quisq; beatur.
Nato reddit ubi patrem sinus ille paternus,
Illic jungat ei quoq; nos Pater ipse supernus.

14. *Wollemarus*, monachus S. Ulrici doctrina & religionis studio reliquos antecellens, ætate etiam senioq; venerandus, eligitur

gitur in Eginonis succeſſorem anno Domini 1122. Præfuit utiliter 4. annis & aliquot menſibus. Obiit anno 1126.

15. *Udalſcalcus*, ex familia honeſta nobilium virorum de Maiſack natus, monachus ad S. Ulricum, Abbatis Eginonis individuus comes, vir religioſus & præclare doctus, verſificator non pœnitendus, muſicus & componiſta eximius, Theologus vero ſui ſeculi nominatiſſimus, eligitur in Abbatem anno Domini 1126. Præfuit prudenter & fideliter annis 25. Scripſit librum de Muſica, hiſtoriam multorum ſanctorum, imprimis vero S. Afræ, S. Udalrici, S. Mauricii, & S. Mariæ Magdalenæ, varii generis verſibus. Extant multa ipſius epigrammata ſparſim hinc inde parietibus inſcripta, quæ ipſius ingenium admodum ſecundum, doctrinam vero non vulgarem præclare & luculenter produnt. Obiit anno Domini 1151. Imperante Conrado II. Sepelitur cum tali epitaphio:

Mors animæ triplex, ſed in hoc eſt corpore ſimplex:
Nam moritur vitiis, poſt rea ſuppliciis.
Tertio damnatur, dum corpus ei ſociatur.
Ergo movendo perit, quod male ſemper erit.
Sed tria juſtorum ſunt vitæ dona, laborum
Exſpes amor, & ſpes, quæ Deus ipſemet eſt.
Hic dum ſperatur, patriæ requies & amatur,
Illic percipitur, qua Deus aſpicitur.
Viſio deinde Dei ſummum confert requiei:
Quæ, dum ſine caret, gaudia ſemper habet.
Vos ergo, patres, vos in Domino rogo, fratres,
Ut memores ſitis, quem cinerem teritis.
Viva mei tranſit, pars vivificanda remanſit:
Ut ſpes unius vita ſit alterius.

16. *Hezilo*, vir optimus & œconomus utiliſſimus, eligitur anno Domini 1151. Præfuit annis 13. Emit multa prædia S. Ulrici cœnobio. Obiit anno Domini 1164. Sub ejus gubernatione vixit in hoc cœnobio ſub regula D. Benedicti reverendiſſ. antiſtes, Conradus, Comes à Lutzelnſtein, Epiſcopus Auguſtanus, nihilominus Epiſcopatum ſapientiſſime ac utiliſſime ſine

ulla pompa & aulico apparatu administrans ad finem usque vitæ suæ. Is obiit anno tandem 1167. sepeliturq; apud S. Ulricum in loco capitulari.

17. *Udalricus* de Biberach, vir nobilis, successit Heziloni. Præfuit annis 10. laudabiliter. Auxit Bibliothecam & emit multas villas. Obiit anno Dñi 1174. quarta Nonarum Martii.

18. *Henricus* de Meisick, arce & pago prope Monacum sito, vir genere nobilis, sed nobilior virtute, castus, literarumq; scientia & sapientia præditus singulari, subrogatur Udalrico. Præfuit & profuit annis 7. Donatur liberalissime à Welfone, Spoleti duce & Marchione Tusciæ Sardiniæq; Principe, sub Imperatore Friderico I. Obiit anno Domini 1181.

19. *Menigoldus*, Prior S. Ulrici per annos ferè 50. constituitur nunc etiam Abbas in extrema penè senectute. Præfuit annis 6. mensibus 8. diebus 11. Sub ejus gubernatione ortum est anno Domini 1183. ipsa die S. Alexii incendium quoddam in vicina monasterio fabrica, quod in magno etiam Solis æstu ita invaluit, ut & vicinas domos & cœnobium ipsum quoq; corriperet & invaderet, totumq; unà cum ecclesia in cineres ac favillas redigeret, adeo ut non unum supereſſet tugurium, in quo monachi quiescere aut cibum capere potuissent. Id pius pater, dum summo studio restaurare conatur, evocatur ex hac vita anno Domini 1188.

20. *Henricus* tertius, monachus pius ac doctus, à pueris; in monasterio educatus & diligenter institutus, eligitur in Abbatem unanimi fratrum consensu anno 1188. Præfuit utiliter annis sex, mensibus totidem, quibus monasterium egregie reædificavit. Obiit anno Domini 1195.

21. *Erchenboldus*, vir & formæ honestate & morum elegantia præclara præditus, successit Henrico. Præfuit annis 8. quibus cœnobium plurimis ornamentis & marmoreis & aureis argenteisq; præclare auxit & illustravit, imprimis vero lapideis pilis per ambitum undiquaq; positis. Obiit 10. Kalendarum Februarii anni à nato Christo 1203.

22. *Udalricus*, vir decrepitæ penè ætatis, ex Priore Abbas con-

constituitur anno 1203. Præfuit annis sex & resignavit Abbatiam anno Domini 1209. Emit villas Lomaringen & Gregenhofium à Comite de Wittelsbach, quem solvit parte aureæ cujusdam tabulæ, quam Domina Adelheidis Imperatrix dono dederat cœnobio S. Ulrici sub magno & insigni sigillo. Obiit tandem anno Domini 1211.

23. *Henricus* quartus, vir nobilis de Ballesheim, multis præclaris virtutibus conspicuus, liberalis, hospitalis & omnibus affabilis, præfuit Abbatiæ Ulrichianæ annis septem summa cum laude. Obiit anno 1216. decima Kalend. Martii.

24. *Dietho* vel Theodo, monachus Faucensis, præficitur Abbatiæ S. Ulrici, cui per novennium utiliter præfuit plurimumque profuit. Decessit ex hac mortali ac lugubri vita anno Christi 1225. 17. Kalend. Aprilis.

25. *Luitfridus*, monachus S. Ulrici, designatur Abbas post mortuum Theodonem. Præsedit prudenter & honeste annis octo. Abdicavit se magistratu, & cessit alteri anno 1232.

26. *Hildebrandus* successit Luitfrido. Sedit ad clavum Abbatiæ annis 12. Decessit anno 1244. quinta Kalendarum Decembrium.

27. *Goswinus*, nobilis vir de Thierheim, vir acri ingenio præditus, circa religionis observantiam strenuus, eligitur anno Domini 1244. ac, etsi essent alii etiam genere quidem nobiles aut sublimiores, sed non perinde virtute, qui ei obtemperare negarent, tamen clavum magnanimiter tenuit per 23. annos. Postea Abbatiam illis, à quibus eam acceperat, cum gratitudine reddidit anno Domini 1267. quo ex hac vita etiam emigrasse ad aliam legitur, sexta Iduum Julii.

28. *Theodoricus*, nobilis de Rot, subrogatur Domino Goswino, cum consensu Episcopi Augustani, Hartmanni. Præfuit mediocriter 21. annis. Valedixit & dignitati huic monasticæ & conversationi hominum in terris viventium anno Domini 1288.

29. *Sibotho*, superbi cervi cognomento, Patricio apud Augustanos sanguine natus, vir potens ac opulentus, constituitur

Abbas Ulrichianus post sublatum ex hac vita Theodoricum. Exauthoratur mox iterum ab Episcopo Augustano, Wolffhardo, nobili viro de Rodt: sed adjutus à suis cognatis (qui erant præcipuæ in urbe & Senatu authoritatis) mansit in gubernatione Abbatiæ, etiam fremente & ægre id ferente Episcopo, per annos quatuor. Deinde voluntariè cessit anno gratiæ 1292. factus iterum templi custos, cui dignitati adhuc per 23. annos præfuisse legitur.

30. *Henricus de Hagenau* eligitur unanimi fratrum consensu anno salutis 1292. Præfuit etsi invitus & ad suscipiendum gubernationis onus vi & imperio adactus annis 23. Tandem ab Episcopo Augustano, Friderico, alium intrudere parante, exauthoratur.

31. *Marquardus de Haglen*, monachus ordinis Prædicatorum, ingenio & doctrina magnus, intruditur contra conventualium S. Udalrici voluntatem, ab antistite Augustano, Friderico Speet, anno Domini 1315. Præfuit annis 18. Sub eo periit iterum incendio cœnobium S. Ulrici, quod quidem de novo instaurare cœpit. Obiit anno salutis 1333.

32. *Conradus Winckler*us, Augustanus, vir doctrina & prudentia conspicuus singulari, Ludovici Bavari optimi Imperatoris confessor, & omnium ipsius liberorum de sacro Christianæ regenerationis fonte susceptor, eligitur in Abbatem S. Ulrici anno 1333. Præfuit optime & utilissime 22. annis, ita ut secundus hujus Abbatiæ fundator dici meruerit, quam & gloria & divitiis beavit, totamq; ferè de novo construxit. Huic Ludovicus Imperator multa insignia dono dedit privilegia. Huic ipsi Carolus IV. Imperator postea anno 1351. ex Praga misit tabulam argenteam & deauratam, cui deberet includi caput S. Dionysii, primi Augustani Episcopi. Tabulæ vel imagini inciſum erat tale epigramma:

M. C. ter numerato, cum L. uno simul anno
Carolus est quartus regnans hoc nomine dictus,
Qui dedit ornatum, sanctis petit hunc fore gratum.

Huic

Huic eſt incluſus terræ Dionyſius hujus
Præſul devotus, vita quàm nomine notus.

Obiit Abbas iſte Conradus pridie Kalendarum Octobrium anni 1355.

33. *Joannes*, nobilis vir de Viſchach, non genere tantum & majorum imaginibus, ſed & propria virtute & probitate conſpicuus, ſucceſſit Abbati Conrado. Præfuit annis undecim, ita ut à nemine reprehendi poſſet. Fuit inſignis muſicus & librorum ſcriptor diligentiſſimus. Obiit 15. Kalendarum Februarii, anno Domini 1366. Habuit germanos fratres, magnos hujus cœnobii benefactores.

34. *Fridericus de Gummeringen*, conventualis S. Ulrici, genere nobilis quidem, ſed vita & moribus degener, præfuit parum utiliter, imo neque laudabiliter annis 13. Homo plane atheus & omnis religionis contemtor ac deriſor, de quo non male dici poſſet illud: *Atheus Abbas.*

Aurum atq; argentum & fruges conſumere natus,
In medios dormire dies cum nobili amica.

Expulit malis ſuis moribus omnes ferè Conventuales è cœnobio, quorum omnium gaudio deceſſit tandem año Chriſti 1379. undecima Kalendarum Auguſti. Sepelitur in adytis templi ante S. Pauli aram.

35. *Henricus de Gabelbach*, equeſtris ordinis parentibus quidem natus, & nobilitate majorum conſpicuus, ſed homo per ſe ignavus plane & ocio deditus, præfuit 17. annis, & ob negligenter curatas res cœnobii exauthoratur anno Domini 1396. Deceſſit tandem ex hoc mortali ſeculo anno 1398. quarta Iduum Decembris.

36. *Joannes Laugingerus*, ex Werdæa Suevica natus, Abbas prius S. Magni in Faucibus vel Faucenſi oppido, ubi cum aliquando feliciter præfuiſſet ac ad inopiam redactum cœnobium egregie iterum prudenti ſua gubernatione priſtinæ dignitati reſtituiſſet, accerſitus eſt ad Abbatiam S. Ulrici etiam, plurimum jam ab illa veteri mutatam, conſilio & ope ſua inſtaurandam. Præfuit verò utiliſſime annis 7. Obiit in die S. Benedicti Abbatis, anno Chriſtianorum 1403.

37. *Joannes Russingerus*, Augustanus, Abbas Uttenburrhanus infulatus, unanimi omnium conventualium S. Ulrici consensu, Augustam ad collapsæ penitus & jam sese iterum aliquo modo erigentis Abbatiæ gubernationem accersitur anno 1404. cum jam 4. añis laudabiliter præfuisset Uttenburrhano monasterio. Præfuit summa cum laude & virtute annis 24. quibus & cœnobium iterum ditavit, cœnobitas reformavit & ad disciplinam aliquam præstandam coegit viriliter: ædificia vero præclare etiam auxit & illustravit. Et quia antea Infula & mitra, aliisq; Pontificalibus ornamentis usus fuerat in Uttenburrhana Abbatia, attulit ille hæc ipsa secum in hoc S. Ulrici etiam cœnobium, cujus ipse primus legitur fuisse Abbas Infulatus. Obiit in thermis anno Domini 1428. in ipsis Kalendis Juliis. Revehitur Augustam & ibi honorifice sepelitur.

38. *Henricus Heutterus*, Augustanus, vir elegantis quidem formæ & civilitate morum eximia præditus, sed mollis & voluptuarius totus, qui omnia bona monasterii abligurivit, is successit Joanni, tenaci prodigus. Præfuit annis undecim; sed parum esset non profuisse, si non plurimum obfuisset: præfuit enim inutilissime. Obiit anno Christi 1439. Kalendis Martiis.

39. *Joannes ab Hohenstein*, natione Bavarus, cœnobita prius Eberspergensis, eligitur in Abbatem S. Udalrici anno, quo Henricus rebus humanis exemtus est. Præfuit 20. annis admodum negligenter, nimia lenitate erga cœnobii ministros ac servos utens, vir alioqui optimus. Sub ejus gubernatione perierunt incendio omnia ferè cœnobii privilegia & diplomata in ipsis ædibus Cancellarii. Sub eodem Abbate reformatum est monasterium ad Cardinalis & Episcopi Augustani, Domini Petri Schaumburgii, petitionem & instantiam, à quatuor conventualibus monasterii Melcensis in Austria siti. Emit villam Fenningensem cum adjacente castro & advocatia & alia multa. Illustravit vero præclaris etiam ædificiis cœnobium. Resignavit Abbatiam in manus Petri Cardinalis Augustani anno Domini 1459. retenta tamen honesta pensione annua pro sui sustentatione. Obiit 20. anno post resignationem, anno Domini videlicet 1478. mense Novembr.

Monast. Melcense.

40. *Mel-*

40. *Melchior de Steinheim*, monachus Biblingensis & doctor legum, vir admodum facundus, constituitur cum totius conventus Ulrichiani consensu in Abbatem à Petro Cardinale, cujus ipse hactenus fuerat consiliarius, quemadmodum erat etiam successori Episcopo, Joanni à Werdemberg, & Ludovico, Bavarorum Duci, ab intimis consiliis. Præfuit annis 16. utilissime, quibus construxit Ecclesiam parochialem, dormitorium novum, Capitulum & Bibliothecam, quam multorum librorum studiosa coemtione locupletavit. Obiit anno Domini 1474. tertia Kalend. Februarii. Sepelitur, duobus fratribus è conventu eodem die morientibus comitatus, cum tali epitaphio:

Religio & pietas multo plantata labore
Hoc in cœnobio sunt, mediante Deo.
Sed quia planta perit, terras cum torreat æstus,
Has nisi de cœlo fertilis unda riget.
Ne fructu careant igitur plantata labore
Multo, qui riget hæc, præstitit ipse Deus.
Nam q; annis octo duplicatis Melchior Abbas
De Steinheim, studiis irrigat illa suis.
Suevia quem genuit clarum de stirpe parentum,
Sed virtute sua clarior ipse fuit.
Ast anno decies septeno deniq; quarto,
Exutus carnem spiritus astra petit.
Verum terra datur terris illic: ita quorum
Unus zelus erat, nunc simul ossa cubant.
Trinus & unus qui es (numero Deus impare gaudes)
Tres, precor, hoc usu fac Deitatis idem.

41. *Henricus Frisius*, Augustanus, vir proceræ staturæ & optimæ ac honestissimæ vitæ, unanimibus fratrum suffragiis in Abbatem eligitur anno 1447. cujus anni ipsa die, S. Petro & Paulo Apostolorum principibus dicata, concidit post horam secundam pomeridianam ventorum vi concussum & impulsum totum templum S. Ulrici, in qua ruina perierunt Parochus & ejus Sacellanus cum aliis hominib. 34. Abbas Henricus, non admodū clementer à novercante fortuna exceptus, præfuit laudabiliter annis octo,

S. Ulrici templum corruit.

octo, quibus Ecclesiam (quæ hodie adhuc cernitur) de novo construxit unà cum refectorio. Obiit septima Iduum Martii anno Domini 1482. Sepelitur cum tali virtutum suarum encomio.

Abbas Henricus, zelator religionis,
Olim flagrabat totus amore Dei,
Virtutum eximius cultor, cultor quoq; morum,
Virginis intactæ buccina jugis erat.
Annos explevit multos in cælibe vita;
Ejus defuncti hic membra sepulta jacent.
Spiritus ætheream purus conscendit in aulam:
Pro vitæ meritis, annuat Omnipotens.

42. *Joannes de Giltlingen*, genere & virtute nobilis concorditer electus, successit Abbati Henrico. Præfuit laudabiliter & prudenter annis 14. quibus cœnobium egregie auxit & illustravit. Sub eo inventum est corpus S. Simperti, Episcopi Augustani, qui Caroli Magni Imp. è sorore Symphoriana nepos fuerat, & in tempore sane; erat etiam Abbati multis opus ad reficiendum collapsum prius templum. Est vero corpus id honorifice iterum humatum, præsentibus Imperatore Maximiliano & omnibus Imperii Principibus, eo loco, ubi hodie adhuc cubat. Obiit Abbas anno Domini 1496. quinta Kalend. Febr. ætatis suæ 57.

Corpus S. Simperti inventum.

43. *Conradus Maurulus*, vulgo *Mœrlin*, Augustanus, ex Priore S. Ulrici Abbas designatur anno Christianorum 1496. ætatis suæ anno 44. vir sapientia & eloquentia insignis, orator & concionator eximius, admodum item hospitalis & liberalis, Maximiliani Imperatoris Consiliarius, à quo multa insignia impetravit privilegia. Præfuit annis 14. laudabiliter. Dejecto veteri choro Ecclesiæ Ulrichianæ, novum eximis fundamentis ope Divi Maximiliani & Christi fidelium erexit, cujus primum lapidem posuit ipse Imperator in præsentia plurimorum Principum, 16. Kalendarum Maji. Etsi vero certatim adjuvaretur in construendo collapso templo, nihilominus tamen moriens magnum æs alienum & debita decem millium florenorum, nesciente conventu, contracta post se reliquit. Obiit in die Purificationis Marianæ anno Domini 1510. Sepelitur in capitulari loco cum tali epigraphe prosaica:

Vivus

Vivus mihi hanc (sub qua mortuus quiescerem) domum paravi: sum etenim Conradus Mörlin, cœnobii hujus Abbas. Noli obsecro mortuo injuriam facere, quam nec tibi fecerim.

44. *Joannes Schrot*, Augustanus, eligitur anno ætatis suæ 33. per modum inspirationis (inquit catalogus) quod quid sit, ego ignoro; nisi, qui illa annotavit, divinitus vocatum fuisse significare voluerit. Erat homo, qui ad hoc dignitatis genus assumtus non fuisset, nisi metuisset conventus, Maximilianum Imperatorem (qui tum Comitia in dixerat Augustæ) obtrusurum aliquem, qui forte minus ipsi gratus futurus esset. Fuerat antea modestus (quæsierat enim claves ad Abbatiam) jam his inventis cristas erigens, se totum luxuriæ & voluptatibus dedidit, quibus moribus in primo statim triennio sex milliũ aureorũ æs alienum conflavit. Iccirco ad triennium ei ademta est potestas gubernandi bona temporalia. Ipse vero de spiritualibus non admodum curiosus calices & cætera adhuc præsentia clinodia accipiens, dicitur clam ad Salisburgensem Archiepiscopum aufugisse, cujus non recte forte informati auxiliis & ope Romæ diploma & mandatum Pontificium consecutus est, in quo jubentur monachi Ulrichiani levissimum hominem, ab Episcopali jugo etiam exemtum, integre restituere. Quod cum factum esset, ibi demum deliciari & comessari etiam cum mulierculis ita cœpit, ut ludum jocumque fuisse dicas, quod antea designarat. Omnem enim cœnobii substantiam dilapidavit, omnia clinodia, ipsas etiam literas Cæsarum & Pontificum diplomata Judæis oppignorans. Sic præfuit usque ad annum Domini 1527. tum enim ipsa die S. Joannis Baptistæ resignata prius Abbatia (sine consensu conventualium) Vicario Episcopali, clam ex monasterio aufugit, factus tandem pagi cujusdam parochus, ubi paralysi tactus anno Domini 1534. ex hac vita emigravit. Hujus Abbatis ætate vixit in cœnobio S. Ulrici monachus quidam, *Leonardus Wirstelinus* aliàs *Hamaxurgus* dictus, ex Suevorum Menchingo natus, incomparabilis scriba, qui librum centum diversarum scripturarum latinarum (quarum quamq; peculiari, proprio & erudito nomine appellavit) anno Domini 1522. Divo

Liber centum diversarum Latinarum scripturarum.

Maximiliano Imperatori dedicavit, quem Abbas hujus loci hodie adhuc habet, & mihi inſpiciendum dedit. Ego nomina ſaltem ſcripturarum huic operi inſerenda cenſui, in eorum gratiam, qui pingendarum literarum varietate & elegantia quadam delectantur.

1. *Rotunda.*
2. *Rotundalis alta media.*
3. *Poetica vera.*
4. *Antiqua major.*
5. *Imperatoricalis.*
6. *Antiqua craſſana.*
7. *Textus Italicus.*
8. *Everſalicana.*
9. *Antiqua priſca.*
10. *Rotalis minor.*
11. *Globata rotalis.*
12. *Compoſtorialis major.*
13. *Papalicana.*
14. *Alta poeticalis.*
15. *Media rotalis.*
16. *Notula formata.*
17. *Curſiva rotundalis.*
18. *Tenuiſſana.*
19. *Poeticalis mediana.*
20. *Clipalicana major.*
21. *Regia pullicalis.*
22. *Gippolicana.*
23. *Literalis ſimplex.*
24. *Altana ſemis minor.*
25. *Clipalicana galeata.*
26. *Averſalicana media.*
27. *Italicana formata.*
28. *Fractura Germanica.*
29. *Priſca caudalis lata.*
30. *Notula curtana.*
31. *Neutralicana.*
32. *Antiqua curtana brevis.*
33. *Saltana poſtericalis.*
34. *Abſciſſa.*
35. *Bullicalis minor.*
36. *Notula formata ſimplex.*
37. *Antiqua durana.*
38. *Ceſpalicana.*
39. *Notula ſemifracta.*
40. *Dilatana media.*
41. *Rotalis curſiva.*
42. *Mediana ſerrata.*
43. *Notula poeticalis media.*
44. *Altana.*
45. *Rotalis globata.*
46. *Palliata tenſa.*
47. *Notula ſemis formata.*
48. *Literalis Curſalica.*
49. *Antiqua formata media.*
50. *Antiqua ſimpliciana.*
51. *Antiqua polita.*
52. *Cardinalicana.*
53. *Textus Italicalis altus.*
54. *Vagalicana extenſiva.*
55. *Everſalica minor.*
56. *Antiqua ſerrata.*
57. *Extenſiva inæquata.*
58. *Mediana utralis.*
59. *Antiqua curvalis.*
60. *Notula codicalis.*

61. *Ab-*

61. *Abscissa postericalis.*
62. *Compostericalis minor.*
63. *Flacana antiqua.*
64. *Neutralicalis.*
65. *Prisca pilicalis.*
66. *Poeticana serrata.*
67. *Semifractura.*
68. *Curvalica simplex.*
69. *Notula submissa.*
70. *Curtana prævissalica.*
71. *Polita media.*
72. *Poeticalis cursiva.*
73. *Italicana notalis.*
74. *Curvana inæqualis.*
75. *Cursiva Italicana.*
76. *Antiqua formosalicana.*
77. *Rotalis globata.*
78. *Inæqualical. varian. med.*
79. *Macrana alta.*
80. *Bifaricalis.*
81. *Grossana.*
82. *Literalis Italicana.*
83. *Rotulana curvalica.*
84. *Antiqua formata media.*
85. *Codicalis simpla.*
86. *Inæqualicana.*
87. *Pictoricalis major.*
88. *Pillicana.*
89. *Altana minor.*
90. *Spissalica postericalis.*
91. *Pictoricalis minor.*
92. *Postericalis serrata.*
93. *Text. Italical. bifractus.*
94. *Extensiva inæqualis.*
95. *Notula codicalis polita.*
96. *Antiqua realicana.*
97. *Cursiva literalis.*
98. *Curtana flacca.*
99. *Notula poeticalis pressa.*
100. *Rotundalis inæquata.*

45. *Joannes Könlin*, Augustanus, ex priore Abbas designatur ad S. Ulricum anno Domini 1528. quinta Maji. Præfuit annis undecim. Secessit cum toto conventu suo ex urbe propter mutatas, imo abolitas ibi prorsus omnes Ecclesiæ ceremonias, ad Wittelsbachium arcem suam in Bavaria ad Patrium amnem paululum ab Aichachio oppido sitam, quam de novo pulchre instauravit. Illic plenus dierum resignavit Abbatiæ gubernationem anno Domini 1538. Sepelitur Thierhaupti. Wittelsbach.

46. *Simon Gollius*, Augustanus, eligitur 16. Martii anno Domini 1539. Præfuit fideliter annis 9. Obiit anno Domini 1548. quinta Maij, ætatis suæ anno 58. apud Wittelsbachium in arce Abbatiæ. Sepelitur in templo superioris Wittelsbachii cum talibus epitaphiis, quorum author est *B. Dinnerus*, Uberlingensis, egregia doctrina præditus, Abbati hujus loci etiam hodie

adhuc à sacris concionibus. Saxo in pavimento jacenti incisum tale est:

Arma Simon Golius posuit; lapis hic habet ossa:
Spiritus ipse aura vescitur ætherea.

Parieti adscriptum.

Debita jura Simon subiit quoq; Gollius Abbas
Mortis: nam fato cuncta creata ruunt.
Hic multum studuit miserorum impendere turbæ,
Fidus cœnobio per vigil atque pater.
Regna colit cœli felix, ubi passus acerbas
In terris curas præmia lætus habet.

Eidem Abbati aliquando petenti à me tale epitaphion factum est:

Huic mandavit humo Simon sua Gollius Abbas
Ossa, sed in cœlis Spiritus astra videt.
Et quos esuriit, dum viveret, atq; sitivit,
Vescitur ille cibis, nectare & ambrosia.

Lengelfeld. 47. *Jacobus Koplinius*, Macropedianus ex Lengelfeldo, non Palatinorum in Bavaris oppido, sed Sueviæ pago quodam natus, vir procera corporis statura, animi vero ac ingenii dexteritate præclara præditus, eligitur in Abbatem S. Ulrici, Wittelsbachii in arce prope Aichachium Bavariæ Ducum oppidum sita, anno Domni 1548. decima quarta Maji. Remigravit sequente anno in Augustanam urbem, ubi præsidet feliciter utiliterq; hoc adhuc currente Jubileo.

❁ ❁ ❁

Heidenheimium Cœnobium: Oleum S. Walburgis.

S. WALBURGIS monialium, D. Benedicti regulam profitentium, magnificum monasterium, intra muros Aichstadianæ urbis situm, cœpit in urbe sub Episcopo Aichstadiano sexto, Domino Odogero, qui S. Walburgin, Abbatissam primam Heidenheimensem, S. Wilibaldi Episcopi & S. Wunibaldi Abbatis sororem, consensu Pontificis Maximi Adriani II. de tumulo lavatam ac Divarum numero adscriptam ex Heidenheimensi templo Aichstadium transtulit annum Christi circiter 870. ub hodie

hodie adhuc ex ejus corpore oleum in subjectum quoddam argenteum vas (quod oleo sudare ipse vidi) miraculose defluere dicitur, quod multis gravibus morbis mederi ajunt. De hac S. Walburgi, Anglorum Regis Richardi filia, tales extant versiculi, à *Wolfhardo*, monacho Hasenrietano, ad petitionem & preces Erchemboldi, Aichstetensis Episcopi, olim compositi.

Filia Regis erat, sed egenam se faciebat,
Dives ut in Christo, regnaret semper in ipso:
Quam sit chara Deo, monstrant miracula crebro,
Quæ meritis ejus confert de Virgine natus.
Ex ejus tumba manat sacra pectoris unda:
Servæ nama, Dei lux cœli splenduit illi.

Hoc ipsum cœnobium postea anno Domini 1034. temporibus Imperatoris Conradi II. ab Heriberto Episcopo auctum & quasi renovatum, ejusque instinctu à Leodegario, Comite de Lechsmund, liberalissime donatum est, qui periculose decumbens ab Heriberto Antistite in Diaconum consecratus tandem Dei beneficio pristinæ sanitati restitutus ejusdem monialium congregationis Sacellanus factus, summa humilitate illic reliquum vitæ inter Dei servitia & pias preces transegit. Hujus amplissimi monasterii Abbatissarum & gubernatricum non extat integer quidem catalogus. Harum tamen, quæ extant nomina, hic etiam in nobilium familiarum (ex quibus natæ fuerunt) memoriam ac honorem omittere non volui.

1. *Euphemia de Emendorff.*
2. *Sophia de Huttingen.*
3. *Margareta ab Aresbausen.*
4. *Anna de Rechberg.*
5. *Margareta de Hageln.*
6. *Elisabeta de Seckendorff.*
7. *Guta de Straß.*
8. *Catharina de Seckendorff.*
9. *Mechtildis de Uttenhofen.*

Hæ omnes nobiles fuerunt Dominæ, & quæ ante reformationem huic cœnobio præfuerunt, de quibus nihil amplius annotatū est.

10. *Domina Elisabeta de Seckendorff* præfuit anno Domini 1456. quo Reverendissimus Episcopus Aichstadianus, D. Johannes de Quercu, cœnobium S. Walburgis reformavit. Hæc Episcopo Abbatiam reddidit & reformatrici sese subdidit.

11. *D. Sophia* reformatrix, ex Colonia Agrippina ad reformandum cœnobium accita, præficitur S. Walburgis cœnobio anno 1456. Præfuit laudabiliter 19. annis. Deceſſit ex hac vita 6. Iduum Julii, anno Dominicæ Incarnationis 1475.

12. *D. Urſula de Reichenaw*, laudatiſſimi Antiſtidis Aichſtadiani Gulielmi germana ſoror, ſucceſſit Dominæ Sophiæ. Præfuit annis undecim. Obiit anno 1486. in die S. Mauri.

13. *D. Walburgis à Fronwergk*, de Rhenenſi provincia adveniens, præfuit annis ſeptem & obiit anno Domini 1493.

14. *D. Margareta*, nobilis & egregia virtute prædita herois à Schaumberg, ſucceſſit Walburgi, electa in vigilia Andreæ anno 1493. Præfuit 14. annis. Obiit anno Domini 1508. ipſa die S. Erhardi.

15. *D. Walburgis de Abbſperg* eligitur in die S. Polycarpi anno 1508. Præfuit annis 30. Obiit anno Domini 1538. in die S. Emerentianæ.

16. *D. Margareta de Seckhendorff* eligitur poſtridie S. Valentini anno 1538. Præſidet hoc adhuc currente Jubileo.

✿ ✿ ✿

Heptinacria.

S. WILLIBRORDI, aut (ut alii eum vocant à liberali panum diſtributione) Willigbrodi, cœnobium Heptinacrianum vel Epternacenſe à civitate quatuor milliaribus à Treveri verſus Lutzelburgum intra ſeptem altiſſimorum montium juga conſtructa, in qua ſitum eſt, ſic dictum, monachorum Benedictinæ profeſſionis, ſub Treverenſi Diœceſi, ampliſſimum ac opulentiſſimum monaſterium, fundatum & conſtructum legitur anno Domini 696. ad preces S. Willibrordi, primi Archiepiſcopi Trajectenſis, à Domino Pipino ſeniore, Francorum Duce, ejusque conjuge Domina Blitrude: utriusq; item clariſſimo filio, Domino Carolo Martello, cooperante Domina Irmina Abbatiſſa & fundatrice Treverenſis horrei, quæ hujus cœnobii diplomatibus ſeſe ſubſcripſit, in Chriſti nomine Deo ſacratam, etſi indignam gratia Domini Abbatiſſam. Privilegium à Pipino fundatore datum ita habet inter cætera.

Privilegium Epternacenſe.

Ita

Ita volumus Abbatem noſtrum Epternacenſem exemtum, ut nullius ſubſiſtat mundiburdio, niſi ſolius Dei. Hoc ab omnibus ſequentibus Regibus & Cæſaribus, imo ab ipſo etiam Divo noſtro Carolo V. ita confirmatum eſt.

Fundator in diplomate ſic ſeſe ſcribit: Pipinus illuſter vir, Dux: filius Anegiſili quondam, & illuſtris matrona mea Blitrudis, filia Hugoberti.

Erat antiquitus tam potens hoc monaſterium, ut haberet ejus loci Abbas ſub ſe viginti duas arces vicini Ducatus Lutzelburgenſis, omnes videlicet, excepto ipſo Lutzelburgo, quod in S. Maximini Treverenſis fundo ſitum fuiſſe legitur. Habetur in hujus cœnobii templo inter cætera præclara ornamenta liber Evangeliorum bracteati operis, totus puriſſimo auro elegantiſſime ſcriptus, quem dono dedit ejus loci Abbati cuidam Otho Rex, cujus ibi in exteriore libri cortice vel tegmine imago eſt ſub pedibus S. Benedicti Abbatis: & Theophania Imperatrix, cujus icon eſt eodem loco ſub S. Luidgeri Abbatis pedibus. Eſt & alius illic liber, argento & auro in punicei coloris membrana ſcriptus, continens vitam S. Willibrordi, Trajectenſium Archiepiſcopi, primi hujus monaſticæ congregationis authoris & gubernatoris: hunc edidit *Alcuinus* verſificator eximius proſa & ligata oratione, ad Archiepiſcopum Beornradum. In ejusdem templi dextro latere eſt præclarum Meſeraici operis monumentum, Othoni Brabantiæ cuidam Comiti poſitum, cum tali inſcriptione:

Liber Evangeliorum auro ſcriptus.

Alcuinus verſifex.

Otho Comes, tibi ſit requies per ſecula perpes.

Oppidum ipſum Epternacum hodie Abbatis eſt, mœnibus & foſſis præclare communitum, ad Suram amnem ſitum, quem pons è ſolido ſaxo fortiſſimus, ſeptem fornicum, duabus item turribus conſpicuus, connectit. Templum cœnobii quatuor elegantibus & maximam vetuſtatem referentibus turribus ornatum eſt. Abbatum vero & gubernatorum ejus loci talis extat catalogus, quem mihi oppidi Epternacenſis parochus, vir eximie doctus & inſigni pietate ac vitæ bonitate præditus, *Dominus Joannes Monticola*, hoſpes meus liberaliſſimus, benigniter communicavit.

Epternacum Civitas.

1. *S. Wil-*

1. *S. Willibrordus*, Hibernus, anno Domini 658. natus, venit ex Hibernia Trajectum anno Domini 690. ætatis suæ anno 32. ubi cum innotuisset Francorum Duci, Pipino, Romam ab eo missus est, ut illic à Sergio Pont. Max. Archiepiscopus Ultrajectanus ordinaretur, quod factum est anno Domini 694. ipsa die S. Cæciliæ. Postea Archiepiscopus factus, fundavit anno Domini 696. tertio ordinationis suæ anno Epternacense cœnobium, cui ipse primus Abbas & gubernator præsidere cœpit anno 698. Præfuit vero una cum Archiepiscopatu huic loco annis 41. pie & laudabiliter. Obiit anno Domini 739. ætatis suæ 81. ordinationis vero 46. Sepelitur splendide ac decenter in monasterio suo Epternacensi.

2. *Albertus* successit Domino Willibrordo in Abbatiæ gubernatione. Præfuit annis 36. Obiit anno Domini 775. sub Carolo Magno.

3. *Beornradus*, Senensis Archiepiscopus, constituitur post defunctum Albertum hujus etiam cœnobii Abbas. Præfuit autem annis 22. Decessit anno Domini 796. Post eum habuit Carolus Magnus Imperator Abbatiam in suis manibus per annum unum integrum. Ad hunc Archiepiscopum scripsit *Alcuinus* versificator vitam S. Willibrordi, de qua supra. Ejusdem temporibus Willihadus primus Bremensis Ecclesiæ Episcopus, persecutionem plurimam ab ingratis & male Christianis, Saxonibus passus, Romam profectus est, ubi salutatis Apostolorum liminibus cum in Germaniam inde rediret, Epternacum venit, ibidemque duobus annis inclusus, Deo precibus & jejuniis serviviſſe, & inde in Saxoniam rediisse dicitur, ubi prædicationibus & aliis bonum Apostolum decentibus operibus plurimos Christo feliciter acquisivit & lucratus est.

Willibradus, primus Bremensis Episcopus.

4. *Ado* quartus Abbas constituitur anno Domini 796. Præfuit annis 20. sub Imperatoribus, Carolo Magno & Ludovico Pio. Obiit anno Domini 817.

5. *Sigoaldus*, Spoletinæ urbis Episcopus, fit Abbas Epternaci anno 817. Præfuit annis 9. sub Imperatore Ludovico Pio. Decessit anno Domini 827.

6. *Theo-*

7. *Theodgaudus* succeſſit Sigoaldo. Præfuit quinq; annis ſub Ludovico Pio, ad annum usq; Dominicæ incarnationis 832.

7. *Hettinus*, Trevirorum Archiepiſcopus, Epternacenſi Abbatiæ præfuit annis 6. ſub Ludovico, ad annum usq; Domini 838.

8. *Hieronymus* Abbas præfuit annis decem ſub Ludovico & Lothario Imperatoribus, ad annum usq; Chriſti 847.

9. *Adelardus*, Comes Lotharingiæ, præfuit 9. annis, ſub Lothario, ad annum usq; Domini 856. Præfecit præpoſitum introductis Canonicis & Cleris Hiltgerum & paulo poſt Guntranum. *Præpoſitura Epternaci.*

10. *Hatto*, Epiſcopus & Abbas, ſucceſſit Adelardo. Præfuit 8. annis, ad annum Chriſti usq; 864. ſub Rege Lothario, à Nicolao Papa excommunicationis fulmine tacto & ab eccleſia excluſo.

11. *Reginerus* Comes, in Abbatem electus, præfuit poſt Hattonem 7. annis, ad annum usq; Domini 871. quo anno Lotharius Rex pro abſolutione Romam veniens, ab Adriano Papa abſolutus, in redeundo apud Placentiam obiit. Sub hoc Abbate fuit Alidopertus præpoſitus Canonicorum eodem loco habitantium.

12. *Carolomannus* Rex, Caroli Calvi Imperatoris filius, oculis privatus juſſu patris & huic ipſi monaſterio intruſus, in ejusdem Abbatem eligitur anno 871. Erat enim ei à Lotharingiæ Rege, Ludovico patruo ſuo, Epternacenſe cœnobium conceſſum ad ſubſidium vitæ. Præfuit 7. annis, & mortuus tandem honorifica illic ſepultura donatus eſt. *Cæcus Abbas.*

13. *Adelardus II.* Comes & Abbas, præfuit 11. annis ſub Arnulfo Imperatore ad annum usq; 889. Sub eo fuerunt præpoſiti Canonicorum Folericus & Hemeradus.

14. *Robertus*, Lotharingiæ Comes & Abbas, præfuit tribus annis ſub Arnulfo Imperatore ad annum usq; Domini 892. Sub eo Helingandus & Hildewinus præpoſiti Canonicorum fuiſſe leguntur.

15. *Rabodo*, Trevirorum Archiepiſcopus & Abbas, præfuit

nis sub Arnulfo Imperatore ad primum usque annum Zuendiboldi Regis, hoc est, anno Domini 896.

16. *Reinerus*, Lotharingiæ Comes & Abbas, præfuit 19. annis sub Zuendiboldo, & Carolo, Ludovici Balbi filio, Regibus, ad annum usq; 915. magnus monasterii sui auctor & illustrator, collatione pagorum & oppidorum. Dono dedit enim Bergen, Rodenmach, Waderlo & Tremethen cum ecclesiis & cæteris appendicibus. Sub eo Berengaudus fuit Canonicorum præpositus.

17. *Gisilbertus*, Lotharingiæ Dux, filius Reineri, successit patri in regimine hujus loci sub nomine Abbatis, qui tandem Imperatoris Othonis sororius factus, in eundem seditiosus periit apud Andernacum cum equo in Rheno. Ejus temporibus Godowinus & Herinus fuerunt Canonicorum præpositi.

18. *Herimannus*, Lotharingiæ Dux, successit Giselberto sub Imperatore Othone I. undecimo videlicet anno regni ipsius, hoc est, anno 949. quo Rinera huic loco est reddita.

19. *Sigefridus* Comes successit in Abbatiæ hujus administratione Hermanno. Hujus hortatu Otho Imperator anno 34. regni sui, Imperii vero 12. hoc est, anno Domini 972. Canonicos ex hoc loco expulit, & congregationem monachorum adunavit, Abbatemq; eis Ranigerum quendam præfecit. Id factum apud Magdeburgum in Saxonibus coram omnibus regni Principibus, cum fuissent in hoc loco Canonici annis 125.

20. *Ranigerus* ab Othone ipso Abbas designatus & in hunc locum cum 40. monachis missus, anno 973. præfuit pie & sapienter 34. annis sub Othonibus & Henrico II. Obiit anno 1007. 19. Kalendarum Septembrium. Sepelitur cum tali epitaphio:

Hac recubant fossa Ranningeri patris ossa,
Et fiunt hominis lege soluta cinis.
Hunc Otho primus transmisit Cæsar opimus,
Sifridi monitis egregii Comitis.
Misit & hunc talem, qui vitam cœnobialem
Hic reparare pio sufficeret studio.
Nam locus iste bonis hoc tempore religionis
Factus erat vacuus rebus & exiguus.

Dum-

Dumq; vir industris tribus annis, sex quoq; lustris
Præfuit, eximiam reddidit ecclesiam.
Septembris flendis nonis denisq; Kalendis
Clauserat ipse diem; nunc habeat requiem!

21. *Uroldus* Abbas præfuit 21. annis, sub Henrico II. & Conrado II. Imperatoribus: anno vero 1028. propter incontinentiam corporis ab Abbatia depositus & exauthoratus, Wizenborgum in Alsatiæ monasterium secessit, ibiq; sexto anno depositionis suæ moritur. Translatus inde Epternacum honorifice sepelitur in ecclesia ante aram S. Stephani cum tali epitaphio: *Wissenburg. cœnob.*

Continet hic arctus locus Uroldi patris artus,
Cujus in ecclesia sunt monumenta pia.
Flamma vorax sedes templi consumsit & ædes,
Anno cum decimo præfuit à minimo.
Quas juxta damnis undenis fecerat annis,
Quod reparata pie pars fuit ecclesiæ.
Deinde loco cedens, annis quoq; quinq; recedens,
Se voluit soli credere Leucopoli.
Quo migrans membris septena luce Novembris,
Sub claro titulo conditus est tumulo.
Ordine post justo translatus ab hospite busto,
Hac tumba propriæ clauditur ecclesiæ.

Hujus Uroldi 10. anno accidit, ut incendio miserrimo totum pene monasterium 11. Kalend. Septembr. periret: & eodem anno videlicet 1016. fundamentum novi cœnobii positum, totumq; cœnobium undecim annorum spatio absolutum est usq; ad fenestras. Dono dedit cœnobio calicem aureum magni ponderis & tabulam auream.

22. *Humbertus*, monachus Treveri apud S. Maximinum, postulatur & eligitur in Abbatem successoremq; Uroldi anno Domini 1028. Is inceptum cœnobium egregie absolvit & tertio sui regiminis anno consecrari fecit ab Archiepiscopo Trevirorum Domino Poppone, anno videlicet Domini 1031. Fuit summus cœnobii hujus reparator & illustrator. Præfuit summa cum laude & uti-

& utilitate annis 24. Obiit anno 1051. quinto Idus Augusti, sepultus post aram omnium Sanctorum.

23. *Reginbertus* Abbas successit Humberto ipsis Kalendis Decembribus. Præfuit summa cum laude & virtute 30. annis. Obiit anno 1081. tertia Decembrium. Sepelitur ab Engelberto, Trevirorum Archiepiscopo, in tumulo, quem vivus sibi adornarat.

24. *Theofridus* constituitur Abbas anno Domini 1082. decima tertia Kalend. Decembrium. Confirmationem mox Romæ suscepit. Præfuit 28. annis, sub Henrico IV. & Henrico V. Imperatoribus, strenuissime & utilissime usq; ad annum Domini 1110. quo 3. Nonarum Aprilis ex hac luce emigravit. Erat homo subtilis ingenii, qui monumenta plurima & prosa & litigata oratione scripta, diversas item historias à se compositas post se reliquit. Gichlingum, Alstorffum & Burnium comparavit. Sepelitur veneranda senectute conspicuus in conventu à Brunone, Archiepiscopo Treverensi.

25. *Gerhardus* eligitur 4. Kalend. Maji anno Domini 1110. Præfuit annis 12. Succidi fecit circumjacens nemus. Exauthoratur anno 1122. tertia Idus Decembr. jussu Henrici V. Imperatoris & Archiepiscopi Brunonis propter multimoda damna ecclesiasticis rebus illata. Vixit post exauthorationem adhuc viginti diebus. Obiit anno 15. regni Henrici V.

26. *Godefridus* designatur Abbas in Kalendis Maji an. 1122. Præfuit 33. annis à decimo sexto anno Henrici V. usq; ad quintum annum Friderici Imperatoris, præsentibus decimo septimo Basilienſi Episcopo, & Conrado Rege, Henrici Imperatoris nepote, qui Lothario successit. Accedente postea communi fratrum & fidelium consensu, Prumiensis quoq; ecclesiæ pater & Abbas est designatus, utilissimus utrobiq; gubernator. Cumq; 13. annis præfuisset Prumiæ, exauthoratus ibi odio fratrum, per Arnoldum, Colonienſem Episcopum, reversus est Epternacum, ubi tribus adhuc annis supervixit, in quibus excoctus igne ingravescentis morbi, anno 5. Friderici Imperatoris, hoc est, an. 1155. 8. Kalend. Junii naturæ debitum solvit. Sepelitur ante aram omnium Sanctorum cum tali epitaphio. *Quod*

Quod caro sit vermis, quod homo sit pulvis inermis,
Approbat illud homo, verme scatens in humo.
Hunc pater ad morem Godfridus, carnis honorem
Qui fugit ut fumus, mutat & hic fit humus.
Provida mens, habilis complexio, sanguis herilis
Huic dederant aditum culminis ad meritum.
Sed geminos Phœbus cum scanderet octo diebus,
Carnis deliquio transiit è medio.
Annis ter denis & quatuor haud modo plenis,
Abbatis titulo functus & huic tumulo.
Ast homo, qui cineris sors, hic dum vivus haberis,
Ad cineres hominis vota fer ipse cinis.

27. *Gerardus* successit Godefrido. Præfuit 18. annis sub Imp. Friderico, & resignavit gubernationem, posita pastorali virga super altare S. Wilibrordi anno Domini 1173.

28. *Ludovicus*, Abbas Ecclesiæ S. Eucharii apud Treveros, eligitur sub Friderico Imp. anno 1173. Præfuit annis octo usq; ad annum 1181. quo resignavit Abbatiam, & ad Ecclesiam suam Treverensem rediit. Præfecit prius tamen, cum consensu Capituli, Epternacensi monasterio Godefridum diaconum suum.

29. *Godefridus* iste præfuit laudabiliter 28. annis, ab an. 1181. usq; ad annum 1210.

30. *Bartholomæus* Abbas successit Godefrido II. Præfuit 21. annis, ab anno videlicet 1210. usq; ad annum 1231.

31. *Reinerius* præfuit annis undecim, ab anno 1231. usq; ad an. 1242. à Theodorico, Archiepiscopo Trevirorum, confirmatus.

32. *Arnoldus*, vir venerabilis & æterna memoria dignus, accepit Abbatiam à Conrado Augusto, filio Friderici II. apud Haganoam anno Domini 1242. Fuit magnus benefactor & utilis gubernator sui monasterii, cui præfuit ac profuit annis 27.

33. *Henricus* Gallicus designatur Abbas an. 1269. Præfuit per unius saltem anni spatium, & obiit anno 1270.

34. *Richardus* præfuit 26. annis. Obiit in Nonis Junii anni 1296.

35. *Ludovicus* præfuit duobus annis. Obiit 15. Kalend. Septembr. anni 1298.

 36. *Hen-*

36. *Henricus de Schoneck* præfuit 26. annis. Acceperat Abbatiam ab Alberto Roman. Rege. Obiit anno 1324.

37. *Arnoldus* eligitur à Baldwino Archiepiscopo, & confirmatur à Ludovico Imperatore Coloniæ anno 1324. Præfuit tantum quinq; annis. Fuit utilissimus & fidelissimus cœnobii sui Rector & illustrator, virq; omnibus præclaris virtutibus insignis. Obiit Treveri 10. Kalend. Junii, anno 1329.

Ara Lunæ. 38. *Theodoricus de Arle*, fortassis Ara Lunæ, quod civitatis nomen est, nobilis genere, succedit Arnoldo statim, sed non ita mox confirmatur, impeditus nimirum per quatuor menses à Baldwino, Archiepiscopo Treverensi, quem Comitissa de Spanheim in castro suo Starckenberg captivum tenebat, à quo tandem soluto Theodoricus etiam confirmatus est. Præfuit Abbatiæ annis undecim, & pertæsus gubernationis resignavit anno Domini 1340. 16. Kalend. Martii.

39. *Joannes de Wimmingen* eligitur in locum avunculi sui Theodorici anno 1340. Præfuit annis 13. Obiit an. 1353. 3. Octobr.

40. *Joannes de Newil*, hoc est, de nova villa, confirmatur ab Innocentio Pont. Max. Contra hunc *Henricus de Arle*, Ara Lunæ, ab aliquibus conventualibus electus est, qui legitur decessisse anno Domini 1357. Sepelitur Epternaci honorifice. De Joanne nihil in fastos relatum est.

41. *Wilhelmus de Kerpena*, Baro vel Comes, regalia accepit à Carolo IV. anno Domini 1362. & anno 1373. Infeudavit 21. Maji Ludovicum de Macharon, Præpositum Lucensem: aliud de eo nihil extat.

42. *Herdwinus*, Comes de Waldegk, Abbas, habuit fratrem Hentzonem de Waldeck, qui cum Abbate Wilhelmo coram Treverensi Archiepiscopo de Abbatiæ possessione litigavit. Huic successit *Dominus Philippus*, filius Arnonis, Comitis de Homburg, Domini zur Filtz, electus quidem in Abbatem, sed obiit is ante impetratam confirmationem anno 1377.

42. *Wiricus de Atembach* eligitur an. 1377. Confirmatur ab Urbano Papa, & regalia accepit à Wenceslao Rege anno 1379. Præfuit 20. annis. Obiit anno Domini 1399.

44. *Pe-*

44. *Petrus Gimnichius* succeſſit Wirico Abbati. Confirmatur à Papa Bonifacio IX. Regalia recepit à Wenceslao anno 1400. viceſima Septembris. Præfuit annis 15.

45. *Nicolaus de Gimnich* regalia accepit Confluentiæ ab Imperatore Sigismundo anno 1414. 19. Auguſti. Quamdiu præfuerit, non invenio.

46. *Petrus de Huben* Abbas Nicolao ſucceſſit: ſed aliud de eo nihil ſcriptum reperitur.

47. *Winandus de Gluuel* venit Epternacum anno 1418. ubi per preces avunculi ſui Godefridi de Gluuel obtinuit locum, factusq; monachus regulariter & devote Deo ibidem ſervivit. Poſtea anno Domini 1437. die 14. Jani eligitur in Abbatem ejusdem loci. Obiit 28. regiminis ſui, anno vero Domini 1465.

48. *Colinus Plieck de Oirwick* eligitur anno 1466. die 9. Februarii. Præfuit 10. annis, & viam univerſæ carnis ambulavit anno Domini 1476.

49. *Jacobus Fay* de novo Caſtro, primum monachus in cœnobio S. Eugendi Lugdunenſis diœceſeos 21. Jani anno 1473. mox poſtea commendator monaſterii S. Vincentii apud Metim factus eſt & Abbas monaſterii S. Mariæ apud Lutzelburgum, tandem vero anno Domini 1476. vacante Abbatia Epternacenſi per mortem Colini ſe in electionem (quæ per fratres jam altera vice facta erat Canonice in Dominum Franciſcum de Plieck, D. Colini fratrem) injecit, perq; vim intruſit. Contenderunt itaq; hi duo de gubernaculo diu: ſed lis per Cardinalem Mediolanenſem tandem ſublata & pacata eſt. Jacobo mortuo tale epitaphion poſitum eſſe invenitur in ſiniſtra chori Epternacenſis. *Cœnob. S. Eugendi.*

Hic jacet illuſtris heros Jacobus reverendus,
Deq; novo caſtro fuit ortus, & is ſimul hujus
Abbas Vincentinus in Epternach quoq; Lutzburg,
Hic anno Domini C bis ſeptemq; noveno
Ac octo decies, decimoq; die puto quarto
Sextilis menſis moritur pater, hicq; ſuperna
Pacificus requieſcat in alti ſidere cœli.

50. *Bur-*

50. *Burcardus Boſwinus* de novo caſtro, anno Domini 1455. ſuſceperat habitum religionis in monaſterio Epternacenſi. Hic, lite pendente in Rom. Curia inter Franciſcum Plieck electum, & Jacobum Fay de novo caſtro intruſum, corrivales & de Abbatia contendentes, ac bonis monaſterii per dictum Jacobum & ejus adhærentes vi direptis & diſtractis, &c. conſtitutus eſt adminiſtrator generalis & ſpecialis omnium cauſarum & rerum monaſterii per ipſum Reverendiſſ. Archiepiſcopum Treverenſem: mortuo vero ſupradicto Domino Jacobo Abbate, unanimi fratrum electione, conſtitutus eſt Abbas anno Domini 1490. Reformavit monaſterium regiminis ſui ſexto. Obiit anno Domini 1506. Sepultus ante ſacrarium.

51. *Robertus de Monreal*, hoc eſt, monte Regali, vir nobilis, ſucceſſit Burcardo. Præfuit annis 34. ſumma cum laude & virtute, utiliſſimus cœnobii ſui gubernator, & variis ædificiis ac ornamentis illuſtrator longe maximus. Fecit inter cætera anno Domini 1538. inſigne periſtroma, cui omnium ſui cœnobii fundatorum & benefactorum, ab Irmina, Dagoberti Regis filia prima fundatrice, usq; ad Carolum Magnum, & inde iterum omnium Imperatorum à Carolo Magno usq; ad invictiſſimum noſtrum Imp. Carolum V. imagines & nomina miro artificio inſerta viſuntur. Obiit anno Domini 1540. Chariſſimus fuit Imperatori Maximiliano, qui anno Domini 1512. Epternacenſi templo donodedit cereum 354. librarum cum adſcripto carmine in ſui memoriam.

Cereus magni ponderis.

52. *Matthias de Lutzerad* ſucceſſit Domino Roberto Canonice electus, contra quem conſtituitur à Domina Maria, Belgii gubernatrice, Caroli V. Auguſtiſſ. ſorore, Dominus Godefridus de Appermonti, hoc eſt, aſpero Monte, Gallus. Lite vero pendente adhuc inter hos duos, alter Matthias videlicet rebus humanis exemtus eſt anno Domini 1543. Cœnobitæ omnes indigne ferentes, Godefridum intruſum eſſe, ſeceſſerunt, & poſt mortem Matthiæ unanimi conſenſu Confluentiæ elegerunt

53. *Jacobum* à veteri Eberſtein, qui penſione annua mediocri contentus, ſummam gubernationis Godefrido integram permiſit,

misit, uterq; vivit adhuc currente hoc Jubileo. Alter Godefridus videlicet Epternaci in plena gubernatione, quem superiore anno vidi in conventu Lutzelburgensi: Jacobus vero Mediolaci, ubi nunc rerum summa ei concredita est, & ipse Abbas ejus loci constitutus regit locum sibi commissum fideliter & laudabiliter.

S. Claræ Cœnobium Epternacense.

Est in hac ipsa civitate Epternacensi S. Claræ monialium cœnobium, quod inchoatum & fundatum est anno Domini 1342. ab Illustrissimo Principe & Domino, Domino Joanne, Bohemiæ Rege & Comite Lutzelburgensi, Henrici VII. Rom. Imp. filio, Lutzelburgi in beatæ Virginis præpotenti Abbatia sepulto. Dotatum est à Carolo IV. Imp. ac Bohemiæ Rege, antedicti Joannis filio, anno Domini 1348. Tandem etiam à Wenceslao Romanorum ac Bohemiæ Rege anno salutiferi partus 1368. postremo auctum ac locupletatum à Petro Sarrachino, Scabino Epternacensi, ejusq; uxore, Domina Juliana, quæ omnes possessiones suas legavit monasterio anno Domini 1352. Catalogus ejus loci Abbatissarum talis ibi inventus & à me annotatus est.

Abbatiss. ordo.

1. *D. Hildegardis* de Colonia, quæ obiit anno Domini 1350.
2. *D. Joanna à Bech*, quæ præfuit usq; ad combustionem.
3. *D. Elisabeta de Montebuer*, latine monte Tabor, ad Rhenum sito oppido, præfuit post combustionem, & monasterium incineres collapsum restauravit.
4. *D. Elisabeta de Orlei.*
5. *D. Catharina ab Orlei.* Obiit anno salutis 1486.
6. *D. Agnes ab Elß* eligitur anno 1468. Præfuit annis novem. Obiit anno 1495.
7. *D. Philippa à Brandenburg* præfuit annis 14. Obiit anno 1509.
8. *D. Francisca à Klerff* præfuit annis 24. Obiit anno salutis 1533.
9. *D. Margareta à Nassaw* præfuit annis undecim. Resignavit gubernaculum Abbatiæ anno Domini 1544. Est adhuc superstes hoc anno Jubileo.

10. *D. Hildegardis à Milburg* eligitur anno 1544. nobilis ac præclara Domina. Præsidet adhuc hoc currente anno Christianorum 1550. feliciter.

Ad lectorem Bruschius.

Hic Schyrensia erant nobis monumenta locanda:
Sed quia deërat adhuc aliquid, transferre ea, lector,
Malui in ipsum operis colophonem, obtrudere manca
Quàm tibi. Tu, quæso, hoc studium recte accipe nostrum.

❁ ❁ ❁

SCHLUSSELHOVIUM, quasi clavium ager, monialium nobili prosapia editarum ordinis ac instituti Cistertiensis visitationisque Lanckheimensis cœnobium, proculdubio quondam, ut ex veteribus structuris apparet, magnificentissimum potentissimumq;, duobus brevibus milliaribus à Bamberga civitate Episcopali ad Ebrachium fluviolum situm, fundatum & constructum legitur sub Episcopo Bambergensi, Leopoldo, Comite de Liningen, annum Christi circiter 1260. à nobilibus Baronibus de Schlusselberg, quorum insigne fuit rubra clavis in alba planitie: quorum item sedes ac domicilium fuit antiquitus in Plassenburgo, fortissimo castro supra Culmbachium sito, quod hodie Marchionum est Brandenburgensium. Horum fundatorum talem reperio genealogiam brevem.

Plassenburg.

Geneal. Schlüsselbergiorum.

Eberhardus, Baro de Schlusselberg, qui primus fundum dedit ad construendum cœnobium, duos habuit filios

Godefridum: is legitur occubuisse in exteris nationibus, ubi Cæsarum castra forte sequutus est.

Neideck.

Giselam filiam, primam Abbatissam in Schlusselow.

Conradum. Hunc habitasse ajunt Plassenburgi, sed anno Domini 1306. trucidatum esse in arce hodie Episcopali, Neideck, quæ ad Wissnadum amnem infra Weischenfeldum Episcopale oppidum è regione arcis Streitbergensis sita est. Is præcipuus cœnobii fundator & benefactor fuisse dicitur, & ex Leucarde, Comitissa de Zollern, excepisse sex filias.

Reyssn

Reyzam desponsatam Comiti cuidam de Schwartzenburg.	*Annam* secundam loci hujus Abbatissam.	*Elisabetam* desponsatâ Comiti cuidâ de Monteforti.	*Sophiam* nuptui traditâ Comiti à Zollern.	*Beatricem* copulatâ Comiti ab Helffenstein.	*Clarannam* datam Comiti cuidam de Bichlingen.

Benefactores hujus cœnobii alii, & qui in eo sua habent reconditoria ac sepulchra, fuerunt nobiles Reguli à Wolffstorf, Godesmanni, Stibari, Heuti, Dapiferi de Eggstorf, nobiles de Hirscheid, & duæ Annæ, quarum una ex genere nobilium de Egloffstein, altera ex vetustissima apud Ostrofrancos prosapia nobilium de Seinsheim nata fuit. Abbatissarum hujus loci talis extat catalogus.

Abbatiss. ordo.

1. *D. Gisela*, Eberhardi Baronis de Schlusselberg filia.
2. *D. Anna de Schlusselberg*, Conradi Baronis filia, à Leopoldo Episcopo Bambergensi cognato suo multa privilegia impetravit. Moritura jussit apertum relinqui tumulum: statim enim cognatam suam Annam, quæ ei successisset, sequuturam: idquod etiam factum est.

Vaticinium Abbatissæ de morte successoris impletum.

3. *D. Anna* Comitissa à Zollern per unum tantum præfuit mensem, & è vivis excessit juxta cognatæ & antecessoris suæ vaticinium.
4. *D. Elisabeta* Dapifera de Eggstorf.
5. *D. Osanna de Streitberg.*
6. *D. Khunigundis Stibarina.*
7. *D. Elisabeta à Wissentaw.*
8. *D. Margareta ab Egelstein.*
9. *D. Margareta à Kunigsfelden.*
10. *D. Elisabeta Stibarina.*
11. *D. Brigitta Heutina.*
12. *D. Catharina ab Aisch* eligitur anno Domini 1486. Præfuit 22. annis. Obiit anno 1508.
13. *D. Ursula à Druppach* eligitur anno 1508. Præfuit annis octodecim. Sub ejus gubernatione vastatum & incendio penè funditus deletum est pulcherrimum cœnobium in seditiosa rusticorum conjuratione anno Domini 1525. Ipsa cum sororum suarum conventu Bambergam secessit, ubi post biennium rebus humanis exemta est, anno videlicet Christi 1527.

14. *D. Brigitta Stibarina* eligitur anno, quo Domina Ursula ex hac vita mortali decessit. Construxit hæc aliquam iterum partem vastati ab agricolis cœnobii. Præsidet hoc adhuc currente Jubileo feliciter & laudabiliter: cæca quidem occulto Dei judicio exterioribus corporis oculis, sed non itidem interioribus: fœmina pia, prudens ac humanissima, jam septuagenaria.

Schwartzach.

SCHWARTZACHIUM, Schwartzach / insigne Benedicti-Sni instituti monasterium, in ejusdem nominis apud Ostrofrancos ad Mœnum amnem sito oppido, fundatum & liberalissime donatum est in honorem Christi Salvatoris, Beatæ Virginis Mariæ, S. Sebastiani, ac Felicitatis Martyrum, sub Episcopo Herbipolensi Wolfigero anno Christi 815. imperante Ludovico Pio, à Megingaudo, Duce Ostrofrancorum & Comite Rotemburgensi ad Tubarum, Othonis cujusdam Galliarum Regis Nepote, & ab uxore ejusdem, Domina Ima, alibi Imina dicta, Genebaldi Regis Francorum filia: quorum amborum in ejusdem cœnobii templo corpora humata sunt, quamvis sepulchrum, fortassis à seditiosis rusticis misere confractum, hodie nullum appareat. Dedit fundator statim Abbati primo Villam Schwartzachianam, & præterea multa alia loca, expressa in literis fundatoriis, quarum colophon talis est.

Tradimus vobis & concedimus tibi Benedicto & monachis tuis præsentibus & futuris, solius Dei & peregrinorum, hunc locum cum omnibus ibidem contentis, ut orare debeatis pro felici statu S. matris Ecclesiæ, & pro incolumitate Dominorum Regum imperantium præsentium & futurorum. Actum in Megingaudenhausen super fluvio Leimbach. Data mense Martio, anno 816. regnante Ludovico.

Catalogus ejus loci Abbatum talis extat.

Abbatum series.

1. *Benedictus* primus Abbas Schwartzacensis eligitur à Megingaudo fundatore anno Domini 815. Præfuit 28. annis. Sub eo obiit Megingaudus 13. Decemb. Sepelitur in suo hoc cœnobio. Cubat eodem loco Domina etiam Ima fundatrix cum filiis duobus, Arnoldo & Marquardo. Sub hoc ipso Abbate multi

multi libri ad Bibliothecam scripti leguntur à Treutgario monacho quodam. Regino Abbas ab Alberico Comite quodam eum trucidatum scribit in S. Xisti cœnobio, & Treverim allatum ibi ad S. Maximinum sepultum esse, unde fortassis postea in suæ fundationis cœnobium translatus est.

2. *Madelbertus* præfuit sub Imperatoribus Lothario & Ludovico secundo, Episcopo vero Herbipolensi Gosboldo, electus anno Domini 843. Præfuit annis viginti quatuor. Sub hoc Abbate fuit eodem loco puellarum cœnobium ejusdem ordinis fundatum à Titrada vel Theodoreta, nepte quadam Caroli Magni ex Pipino filio, quæ illud sub Episcopo Gosbaldo tradidit S. Chiliano anno 823. *Monialium cœnobium Schwartzachianum.*

3. *Hardowigus* præfuit sub Ludovico secundo Rege, & Arntone Episcopo Herbipolensi, qui intra missarum solennia à Nordmannis trucidatus est in Saxonia. Hujus temporibus Arnto Episcopus anno regiminis sui 25. hoc est, anno Domini 877. hoc monasterium à prædicto Rege in perpetuum jus & potestatem S. Chiliani, post mortem Hildigardis Reginæ, ejusq; fororis Berchtæ.

4. *Ebbo* præfuit an. Domini 892. sub Imperatoribus Arnolpho, Ludovico tertio, & Conrado primo, Episcopo verò Rudolpho vel Dracholpho, qui magnus fuit hujus monasterii benefactor, deditq; multos ei integros pagos, quæ donatio confirmata est per Conradum, Regem Romanorum ejus nominis primũ.

6. *Alwoldus* eligitur anno 1001. Præfuit annis tredecim. Hujus temporibus Beata Khunigundis imperatrix fecit roborari privilegia hujus cœnobii omnia ab Henrico Claudo & Sancto, marito suo.

6. *Herbertus* eligitur an. Dom. 1014. Præfuit annis duobus.

7. *Waltherus* eligitur anno 1016. Præfuit annis septendecim.

8. *Wolffgerus* eligitur anno 1033. Præfuit annis 14. Ædificavit sacellum S. Benedicti sive oratorium, consecratum à Brunone Episcopo anno 1034. Fuit magnus illustrator sui cœnobii.

9. *Eggbertus* eligitur anno 1047. sub Henrico tertio Imp. & Adalberone Episcopo. Fuit primum monachus S. Gorgonii

in Galliis, reformationis ergò huc vocatus, quam introduxit huic loco secum anno 1047. Fuit vitæ admodum sanctæ, qui etiam miraculis claruisse legitur. Sub eo dotavit & de novo reædificavit hoc monasterium, antea destructum & penitus collapsum, Adelbero, Episcopus Herbipolensis & Comes Leimbacensis, in honore Dei genitricis, & S. Felicitatis Martyris, multaq; eidem contulit, decimas videlicet in Dettelbach, & alia multa. Obiit Episcopus anno 1090. sepultus in Leimbach cœnobio, à majoribus suis fundato & à se consecrato. Abbas vero Eggebertus præfuit annis 27. Obiit 7. Kal. Sept. anni 1075. Eo tempore benefecere cœnobio huic Ludovicus de Castell Comes, item Hermannus Comes, sepulti in Schwartzach.

Bibliotheca Suarzachensis.

10. *Burcardus* eligitur anno 1076. vivente Adalberone Episcopo. Præfuit annis 20. Fecit pro copiosiore Bibliotheca adornanda scribi libros centum & octoginta quatuor. Obiit 13. Kalend. Februarii anno Domini 1096.

11. *Altmannus* successit statim Burcardo: vixit in Abbatiæ gubernatione annis 18. constructor egregie jam locupletatæ Bibliothecæ.

12. *Rupertus* eligitur anno 1113. Præfuit annis viginti duobus. Obiit 13. Kalendarum Martii anno Domini 1135. Huic Abbati vendidit Henricus, Comes de Gerlachshausen & Sumerach, bona sua omnia in his locis anno Domini 1115. Idem Comes dono dedit Parochiam de Gerlachshausen, quam habuit feudum ab Episcopo Herbipolensi, huic Abbatiæ.

13. *Boppo* eligitur anno 1135. Obiit sequente anno.

14. *Wolframus* eligitur año 1136. Obiit statim eodem anno.

15. *Theodoricus* eligitur anno 1137. Vixit annis quinq; & universæ carnis viam ambulavit, collectus ad patres suos.

16. *Gumbertus* eligitur anno 1142. Præfuit annis 7. & obiit.

17. *Sigenhartus* eligitur anno 1149. Præfuit 16. annis. Fecit fieri lapideum sarcophagum pro fundatoribus, & construxit sacellum S. Joannis.

18. *Goswinus* eligitur anno 1165. Præfuit annis 13. Condidit cryptam, quæ est infra aram S. Crucis, & magnam partem ambitus.

19. *Dra-*

19. *Dragobertus* eligitur anno 1179. Præfuit annis duobus.

20. *Godefridus* eligitur anno 1181. Præfuit annis 32. Habuit sororem Mechtildin monasterii hujus benefactricem. Sub eo occisus est Conradus, Episcopus Herbipolensis, anno Domini 1203.

21. *Dietrinus* eligitur anno 1213. Præfuit annis septem, & obiit.

22. *Heroldus* eligitur anno 1220. Præfuit annis tredecim & obiit. Temporibus hujus Abbatis Ecclesia Herbipolensis multa substinuit gravia mala. Conspiraverant enim contra ejus Episcopum Hermannum Bambergensis Præsul Eccenbertus, Boppo item Comes de Henneberg, Rupertus Comes de Castell, aliiq; plures. In hoc turbine & civili dissensione Schwartzacense oppidum incendio vastatum & deletum est 10. Kalend. Decemb. quo incendio ipsum etiam cœnobium ferè totum consumtum esse legitur.

Herbipolensis Ecclesiæ calamitates. Aliquid mali propter vicinum malum.

23. *Simon* eligitur anno Domini 1233. Præfuit annis quindecim, & obiit tertio Nonarum Aprilis.

24. *Rotgerus* eligitur anno 1248. magnus benefactor, & in cineres superioribus annis collapsi cœnobii & ab antecessoribus mediocriter reædificati felix illustrator: cujus temporibus Hermannus, Comes Hennebergius in Castell, conflixit cum Hermanno, Episcopo Herbipolensi, & succubuit, æstimatiq; sunt eorum, qui ab hora prima diei, qua pugnatum est, usq; ad sextam cæsi sunt plures quam quingenti. Præfuit Abbas iste 23. annis, & obiit 6. Kalend. Martii anno Domini 1271.

25. *Arnoldus* eligitur anno 1272. Præfuit annis 18. Obiit decima Kalend. Maii anno 1290. Ejus temporibus anno Domini 1283. in die Potentianæ Virginis venerunt Comites de Hennenberg & Castell cum magno exercitu, & combusserunt civitatem Schwartzach, spoliaveruntq; monasterium, & incenderunt Ecclesiam S. Felicitatis, sed Dominus Udalricus de Hauno fortiter defendit monasterium, ne incendio prorsus periret.

Schwarzach oppidum & Cœnobium exuritur.

26. *Sifridus* eligitur anno 1290. Præfuit & profuit summe præ ceteris omnibus Abbatibus antecessoribus annis 26. & obiit.

27. *Joan-*

27. *Joannes* eligitur anno 1316. Præfuit annis septendecim. Obiit 4. Idus Decembr. Sub eo magnus cœpit concursus ad Dimbacher Walfart. Dimbacense Idolion quoddam, quod à Wolffframo Episcopo Herbipolensi erectum erat.

28. *Henricus* eligitur anno 2334. Instituit & construxit ex furentium hominum donariis Præposituram in Dimbach. Præfuit annis quinq; & obiit.

29. *Conradus* eligitur anno 1339. Præfuit annis tribus. Fuit ei irreconciliabile bellum cum Conrado monacho, Sacellano suo, qui ab aliqua etiam parte cleri electus in Abbatem fuerat.

30. *Walterus* eligitur anno 1342. Præfuit duodecim annis,& *Mœni inundatio* obiit. Sub eo maxima Mogani inundatio fuisse legitur, quæ multos pontes sustulit.

31. *Waltherus* secundus eligitur anno 1354. Præfuit annis decem.

32. *Conradus* de Mejenstets eligitur anno 1363. Præfuit annis undecim.

33. *Craffto* de Krautheim oppido eligitur anno 1374. Præfuit annis 20. Obiit 6. Kalend. Maji.

34. *Craffto* de Bibern eligitur anno 1394. Præfuit annis 18. Obiit septima Iduum Septembris. Sub ejus gubernatione Epi- *Herbipolenses Cives cæsi ab episcopo.* scopus Herbipolensis Gerhardus feliciter pugnavit contra subditos suos seditiosos anno 1399. & ceciderunt cives trucidati prope villam Perchtheim mille & centum. Contra hunc Abbatem insurrexit etiam Hildebrannus Zolner, monachus quidam Perchtheim seditiosus, qui Abbatem expulit. Sed Abbas Craffto obtinuit tandem victoriam contra Hildebrannum istum, adiutorio alterius cujusdam Hildebranni, nobilis viri de Thungen: idq; factum est sub Episcopo Joanne de Egloffstein. Zolnerus vero obtinuit Præposituræ Dimbacensis gubernationem, ne omnino nihil sua malevolentia lucraretur.

35. *Caspar de Schaumburg* eligitur anno 1413. Præfuit annis 17. optimus gubernator. Decessit XVII. Kalend. Octobr.

36. *Seierus* designatur Abbas Schwartzacensis anno 1430. non quidem à Conventu electus, sed ab Episcopo intrusus. Fuerat

erat is antea Præpositus sacelli S. Mariæ, quod est in castro Herbipolensi. Præfuit per annum tantum unum, & lepra infectus cedere iterum coactus est.

37. *Nicolaus de Glesenberg* eligitur anno 1431. Præfuit 13. annis. Exauthoratus est, quod inscio conventu contraxisset debita 12. millium aureorum.

38. *Joannes Wolffius* eligitur anno 1444. Construxit dormitorium & refectorium. Præfuit annis sex, &, Abbatia resignata, in Dimpacensi postea Præpositura annis decem. Obiit anno Christi 1460.

39. *Eckhardus* ex Fuldensi S. Andreæ Apostoli cœnobio assumtus, egregius reformator hujus cœnobii, eligitur in Abbatem anno Domini 1450. Præfuit annis sedecim, & obiit tertio Id. Decemb.

40. *Martinus*, natione Austrius, ex Noribergensi S. Egidii cœnobio evocatus, eligitur in Abbatem anno Domini 1466. Præfuit annis 28. renovator monasterii, quod muro forti circumduxit. Assumsit primus reobservantiam Bursfeldensem. Obiit anno Domini 1494.

41. *Michael*, oriundus de Geroltzhoven, antea Prior, per 18. annos præfuit Abbatiæ sub Laurentio Herbipolensi Episcopo annis novem, electus in quadragesima anni 1494. Resignavit anno 1503. Obiit sequente anno.

42. *Paulus*, ex vicino oppido Dettelbach oriundus, ex cellæ magistro Abbas eligitur anno 1503. die Conversi Pauli, præsente Laurentio Episcopo. Præfuit duobus annis totidemq; mensibus, & obiit morbo Gallico anno Christi 1505. tertio Kalend. Aprilis.

43. *Georgius*, patria Herbipolensis, eligitur anno 1505. Præfuit annis 30. Sub eo miserrime vastatum est cœnobium in seditione rusticana, quod ipse tamen cœpit reædificare anno 1528. Idq; ut facere commodius posset, vendidit omnes suas jurisdictiones in oppido Schwartzach Conrado á Tungen, Episcopo Herbipolensi. Obiit anno 1535. ipsa die S. Jacobi & Philippi Apostolorum. *Oppidum Schwartzach venditur.*

44. *Joannes*, oriundus ex villa Northeim, filius doleatoris cujusdam, ex Priore eligitur in Abbatem anno Domini 1535. Præfuit quinq; annis. Reædificavit cœnobii turres murosq; & horrea. Obiit anno 1540.

45. *Nicolaus*, oriundus ex pago Grefenreinfeldt, filius nautæ, per 26. annos cellæ antea præfectus, eligitur in Abbatem sexagesimo ætatis suæ anno, quarta feria post Lætare, hoc est, VI. Idus Martii, anno 1540. Præest adhuc grandæuus & tamen omnibus humanioribus literis summo studio incumbens, hoc adhuc currente anno 1551.

Sickhingen, ad Rhenum.

SECANIS, vel Secanica Insula in Rheno sita, à secato Rheno dicta, vel Seccingense cœnobium, à S. Fridelino, Scotorum & Hiberniæ Regis filio, Philosophiæ studiis præclare imbuto & ecclesiasticæ vitæ imprimis studioso, peregrinatore, plantandæ religionis & propagandi Christianismi ergô inchoatum, octoq; Canonicis & quatuor Canonicis fundatum anno Domini 495. confirmatum est à Rege Galliarum, Clodovæo. Docuit Fridelinus iste circumquaq; in Galliis, tandem Pictavium venit ad S. Hilarium, ubi postea in ejusdem cœnobio pater monachorum extitit, ac S. Hilarium transtulit & de terra elevavit, ac magnificum ibi cœnobium Clodovei subsidiis erexit. Discedens postea inde in Belgium primum ad Mosellam venit, à quo amne non procul rursus in honorem S. Hilarii aliud monasterium inchoavit, quod hodie Helera vel Hilariacum vocatur, idq; S. Naboris cœnobium esse existimatur. Relinquens vero & hunc locum, paulo post in Vosagi altis cacuminibus templum etiam S. Hilarii erexit. Venit autem & Argentinam, ibiq; simile fanum condi curavit. Inde per Burgundionum provincias ambulans ad Curiam Rhetorum venit, ubi rursus de S. Hilarii nomine Ecclesiam construxit. Postremo autem Augiæ isti Seckhingensi appulit, ut in ea etiam insula ædiculam conderet, sed ab habitatoribus deprehensus, virgis cæsus & ex insula ejectus est. Venit igitur ad Regem Clodoveum, cui concionans aliquoties, mox ab eo totius insulæ donationem liberrimam impetravit. Quoties iraq;

S Fridelinus Regis Hiberniæ filius.

itaq; postea in ea habitavit usq; ad ea tempora, quibus Rex moriebatur, orans ibi, & collectis aliquod discipulis sacras literas explicans. Rege sublato, cœperunt iterum accolæ ejusdem Insulæ tumultuari adversus virum Dei, tum, ut sese muniret contra tumultuantium vim & illatas toties injurias, Rhenum ex dextro ac veteri alveo, precibus ad Deum fusis, in sinistrum conjecisse legitur ac ita tutum sibi feciſſe receptaculum. Hoc ipso miraculo omnium incolarum animos in sui admirationem ac amorem pellexit. Postea piarum & in Christo erudiendarum Virginum domicilium condere cœpit. Fuerunt autem ea ipsa tempestate duo germani fratres, nobilitate & divitiis pollentes, in Clarona, vulgo Glaris Helvetiorum urbe habitantes, Urso ac Landolphus: ex quibus Urso, S. Fridelini piam vitam & honestam cum discipulis suis conversationem videns, suarum possessionum integram partem, à fratris patrimonio sejunctam, S. Fridelino ejusq; cœnobio dicavit, scriptisq; diplomatibus perpetuo possidendam tradidit & confirmavit. Mortuo Ursone, cum Landolphus avaritiæ studio bona Ursonis monasterio legata ad se rapere conaretur, S. Fridelinus cum eo coram Baldeberto Landgrafio de recuperanda possessione certavit. Ubi cum audiret, nihil se effecturum, nisi coram judicibus sisteret Ursonem donatorem; abiisse virDei Claronam, & magna virtute omnipotentis Verbi Ursonem ex mortuis resuscitasse, secumq; eum ex Clarona ad pagum Rheticum Rancquill usq; per sex milliaria adduxisse, ut coram Landgrafio cum fratre Landolpho expostularet injuriam, legitur. Landolphus talibus miraculis exterritus, non solum hoc cœnobio reddidit, quod Ursonis prius fuerat, sed suum etiam adjecit. Urso cubat Seckingi in dextra chori ad parietem; Fridelinus sepeliebatur primo ad sinistrum chori parietem, è regione Ursonis, postea in summum ejus aræ collocatus est, in qua utrimq; sacra haberi solent. Est ibi duplex pons, saxeus & ligneus: saxeus ea parte, ubi antiquitus Rhenus descendere solebat: ligneus ea parte, ubi nunc defluit, à S. Fridelino hosti urbem obsidenti objectus. Extra urbem ostenduntur in saxo illo & ara & sella Fridelini Eremitæ.

Rhenus ex uno in alium alveum ductus.

Clarona.

S. Fridelinus suscitat mortuum & eum coram judicio sistit.

Rancquill.

De hujus cœnobii ista, quam recitavi, fundatione & origine extant adhuc tales versiculi.

Prædia pro Domino dant fratres hîc Fridelino,
Tempora post multa negat alter, fratre sepulto:
Suscitat hunc testem Dominus, ducitq; benignus.
Turba timore tremit: Sanctus sua jura redemit.

Abbatissarum ejus loci, quarum Duces Austriæ Vasalli & Advocati sunt, hæc tamen reperiuntur nomina, cæteris vetustate abolitis.

Abbatiss. series.

1. *Domina Bertha,* Imperatoris Caroli Crassi soror
2. *D. Rirchardis,* ejusdem Imperatoris conjunx.
3. *D. de Vonteneig*, forte Fontana aqua, Abbatissa. Invenio & unam de
4. Phenningen.
5. *Domina Anna à Wessemburg,* Abbatissa, obiit anno Domini 1306.
6. *D. Elisabeta de Busnang*, Princeps & matertera Alberti Romanorum Regis, præfuit anno 1307. & anno Domini 1316. Hæc Palatium (in qua Abbatissa habitaret) amplum ac augustum construxit, quod postea bellicis tumultibus vastatum, hodie adhuc der Althoff dicitur. Habuit hæc Abbatissa sua ætate adhuc sub se 40. domos instructas & ornatissimas pro totidem dominabus ac monialibus nobilibus vel Canonissis. Floruit enim hæc Canonissarum congregatio circa hæc tempora maxime.
7. *D. Agnes à Brandis,* Abbatissa: sub cujus gubernatione totum ferè cœnobium in cineres collapsum est. Hæc anno Domini 1343. novum templum Secanense, magnificum equidem, in honorem Sanctorum Fridelini & Hilarii construxit, inchoans 12. marcis argenti, conferentibus etiam liberaliter sua subsidia Canonicis. Primum lapidem posuit Abbatissa in Majo die Jovis post festum S. Crucis, cum jam vetus templum stetisset à prima fundatione annis 835. Præfuit etiam anno Domini 1349.
8. *D. Anna,* Comitissa Tulensis, obiit in die S. Galli, anno Domini 1356.
9. *D. Mar-*

9. *D. Margareta à Buſſenang* Abbatiſſa, illuſtratrix novi templi.

10. *D. Margareta à Grunenberg*, aliquandiu coadjutrix, poſtea Abbatiſſa, præfuit anno 1367. Conſecratur ſub ea novum templum anno Domini 1390. ab Henrico, Epiſcopo Conſtantienſi, Barone de Brandis.

11. *D. Anaſtaſia de Alto Geroldiſſegko*, Abbatiſſa.

12. *D. Catharina â Iherſtein*, alibi Thierſtein, nata de Hohem, Abbatiſſa, obiit anno 1408. Sepelitur in ſiniſtra templi ad parietem, ſub arduo Mauſoleo.

13. *D. Anna de Klingen*, Baroniſſa & Abbatiſſa, præfuit anno Domini 1409. Accepit privilegia à Sigismundo Imperatore anno Domini 1417.

14. *D. Claranna de Alto Klingen*, Abbatiſſa, præfuit an. 1439. Fuit magni animi Domina, quæ anno Domini 1445. Baſilienſibus Secanam obſidione prementibus, per 20. dies fortiter reſtitit, & cives ſuos ita exhortata eſt, ut Baſilienſes infecto negotio, quod tentarant, oppidum obſidione ſolvere cogerentur 8. Octobrium poſtridie videlicet S. Marci, cum oppidum illi exercitu quinq; millium cinxiſſent, ipſa Dominica die poſt feſtum Matthæi. *Baſilienſes obſident Seckingum.*

15. *D. Agnes de Sultz*, Comitiſſa, deſignata eſt Abbatiſſa poſt Dominam Clarannam. Obiit ſeptima Februarii anno 1484. Præfuit anno Domini 1452. & ſequentibus utiliſſime & laudatiſſime. Fuit prudentiſſima Domina, à qua Senatus etiam conſilia petere ſolebat, imò tota circumſita provincia. Conſtruxit Abbatiam, refecit pontem, quem Rheni inundatio anno 1480. abripuerat.

16. *D. Eliſabeta*, Baroniſſa à Falckhenſtein, Thomæ Baronis & Baroniſſæ de Ramſtein filia gibboſa: hæc præfuit ad annum uſq; Chriſti 1520. quo obiit. Sub ejus gubernatione fuit in Secanica Rheni Inſula Divus Maximilianus Imperator, cui à toto Clero S. P. Q. ad pontem ligneum uſq; obviam eſt itum. Habuit tum dictus Imperator in delitiis ejus loci pulcherrimam quandam Canoniſſam, D. Iſoldin de Iſemborch, Comitiſſam de Weda. *Maximilianus Seckingi.*

17. *D. Anna*, Baroniſſa de Falckenſtein, ſoror D. Eliſabetæ, Thomæ Baronis, ſed ex alia conjuge, Domina videlicet Æmilia Baroniſſa Weinſpergenſi filia, Canoniſſa Buchovienſis, ſit Abbatiſſa Secanici hujus collegii, per reſignationem D. Eliſæ. Ab hac Carolus V. Imp. anno Domini 1520. in feuda accepit, more veterum Auſtriæ Ducum, arcem & civitatem Lauffenburgenſem, ad inferiores Rheni cataractas ſitam, & civitates Secanam & Claronam Helveticam cum aliis aliquot locis. Obiit anno Chriſti 1534.

Lauffenburg.

18. *D. Chunigundis*, patre nata Barone de alto Geroldiſſegko, matre vero Comitiſſa de Sultz, ſucceſſit Dominæ Annæ. Præfuit novem annis. Obiit circa Pentecoſten anni 1543. Ei à me epitaphion poſitum eſt, quod ſic ſe habet.

Hic Comitiſſa jacet Gerolotſeggana, ſacrati
Iſtius Abbatiſſa loci Conigundis, honeſtis
Moribus exornata adeoq; illuſtris, ut illam
Tota jacens circum provincia ſemper amaret.
Illa novem ſacræ domui cum præfuit annis
Utiliter, laudabiliter, prudenter, honeſte
Atq; pie, ad patrii translata eſt gaudia cœli,
Vivit ubi, æterna fruiturq; beata quiete.

Abbatiſſa nubere cupiens carceri includitur.

19. *D. Magdalena ab Hauſen*, Domini Viti Sixti excellentis Muſici & Canonici Spirenſis ſoror, nobilis & præclara Domina, eligitur anno Domini 1542. Præfuit annis quinq;. Miſere decepta eſt à quodam Diacono, quo fidem dante eam ſibi conjugem futuram, cum ipſa fugientem ſequeretur, comprehenſa & exauthorata æternis carceribus adjudicata eſt, quod contra Pontificiam benedictionem nubere & monaſterium deſerere auſa fuerit. Sed exoratus Divus Ferdinandus Rom. Rex à nobili ac ſtrenuo heroë, Joanne Jacobo de Schönaw, aliiſq; viris nobilibus, enixe pro Domina Abbatiſſa, alioqui optima ac integerrima Domina (cum jam carcer etiam & omnia ad carcerem ſpectantia parata eſſent) intercedentibus, libertatem ei impertit, & tantum ad ſuſtentationem reliquæ adhuc vitæ dari curavit, quantum ſatis eſſet. Cœnobii vero gubernatio, deficientibus Canoniſſis,

nissis, ab eodem Divo Ferdinando Rege, prædicto Joanni Jacobo à Schonaw nobiliss. Viro, commendata est, qui hæc & alia clementer mihi communicavit.

Est Seckhingi tertiæ quoq; S. Franciſci Regulæ cœnobiolum monialium, è manuum ſuarum laboribus viventium, conſtructum à cive quodam ejus oppidi, Joanne Heelblingo, qui locum eum duabus ſuis filiabus primum habitandum conſecravit, Annæ videlicet ac Margaritæ, piis puellis, monaſticam ibi congregationem inchoantibus, anno Domini 1340.

❁ ❁ ❁

SEFLINGUM, olim præclarum caſtrum, ejusdem nominis nobilium Pincernarum (qui Cæſarienſe etiam monaſterium donarunt) ſedes, nunc vero Virginum, Deo juxta Divi Franciſci inſtitutum ſervientium, pulcherrimum ac opulentiſſimum cœnobium, extra muros reipublicæ Ulmenſis in dextra Blavi fluminis ſitum, cœpit anno Domini 1237. Ulmæ intra urbis mœnia primum, ubi ſororum, D. Benedicti inſtitutum ſequentium, quædam erat congregatio ad S. Eliſabetæ ſacellum, in infima urbis parte, quam vulgo auf dem Grieß vocant, inter Gregorii pontis & Anſerum portas ſitum. Herdbrug-Thor. Gens-Thor. Hanc monaſticam ſocietatem inchoarat Minorita quidam Albertus, qui concionibus ſuis gratus privilegia & donationes quasdam impetrarat apud Imperatorem Conradum quartum, Friderici ſecundi filium. Acceſſerunt mox aliæ donationes nobilium virorum, Ulrici & Peregrini de Freiberg, qui prædium quoddam monachorum, Curiam dictum, ſororibus S. Eliſabetæ tradiderunt. Nondum tum amiſerant totius Ulmenſis urbis poſſeſſionem monachi divitis Augiæ, iccirco loci ejus Abbas, Conradus, illuſtris Baro de Zimmern, donavit easdem ſorores aliquibus curtibus & prædiolis Phulenſis pagi. Poſtea translatum eſt hoc ipſum cœnobiolum, Ulmæ mediocriter jam inchoatum, ex urbe in viciniam arcis Seflingenſis, quæ Comitum erat Dillingenſium, anno Chriſti 1250. ab ipſo Hartmanno, Comite Dillingenſi & Epiſcopo Auguſtano, qui S. Claræ illic profeſſionem & ordinem dicitur inſtituiſſe primus. Accidit vero paulo

Vahingen.

paulo post, anno videlicet 1258. ut hujus Episcopi pater, Hartmannus etiam dictus, Vahingi in oppido & arce hodie Wirtenbergensis Ducatus habitans, odio soceri sui Ægidii Comitis à Kelmuntz flagrans inextinguibili, scribam quendam suborna-

Dilligensis Comes capite plectitur.

ret, ut ab eo Ægidius Comes trucidaretur: accusatus vero Diligensis Hartmannus ob designatum tale facinus apud Trevirensem Archiepiscopum, Henricum, Imperii locum tenentem sub interregno capitur, & Treveri ad instantiam Kelmuncensis familiæ capite plectitur. Habebat Hartmannus Episcopus matrem adhuc superstitem, Dominam Wilburgin, Comitissam Kelmuncensem, quæ, cum propter amissos omnium carissimos amicos, Ægidium patrem ac Hartmannum maritum, versaretur in summo luctu, exspatiata est aliquoties ex arce sua Vahingensi ad sorores S. Elisæ prope Seflingensem arcem habitantes, à quibus cum consolationis plena verba audisset plurima, videretq; piam ac religiosam illam monialium conversationem, dono dedit pro salute animarum cum parentis, tum mariti sui arcem Seflingensem cum omnibus vicinis & ad illam ipsam arcem spectantibus pagis, jubens, ut cœnobium ipsum splendidius nunc, quàm fuisset hactenus, constrüeretur, imò pro pluribus sororibus recipiendis etiam ampliaretur: quod ita factum est sub Advocato monasterii, Ulrico Comite de Helffenstein, Dominæ Wilburgis altero genero. Habebat vero hæc ipsa Domina Wilburgis præter Dominum Hartmannum Episcopum, alium insuper filium 14. annos natum, quem ut alterum etiam religiosum faceret, secum decreverat. Sed aliter visum fuit Superis: morsus enim puer à rabido cane paucis diebus post extinctus est. Ibi miserrima mater cœnobio, nuper ampliato & liberaliter à se donato, jam & se ipsam & reliqua sua omnia tradidit: cujus ipsa mox etiam Abbatissa & gubernatrix designata cum octo annis & tribus mensibus septuaginta duarum monialium congregationi præfuisset, evocata est ex hac lachrymarum valle, & corpore caduco in hac ipsa à se fundata Abbatia honorifice tumulata anno 1281. eodem loco, quo filius etiam à rabido cane morsus, cubat. Donatum est amplius

hoc

hoc cœnobium à nobilibus de Westerstetten, & à Palatino quodam Tubingensi, qui Wilburgis fundatricis gener etiam fuisse legitur. Abbatissarum hujus loci talis est ordinaria successio.

Abbatiss. catalogus.

1. *Hedwigis* præfuit congregationi huic intra muros adhuc Ulmenses constitutæ, sed quamdiu, id nescitur.
2. *D. Anna à Freiberg.*
3. *D. Wilburgis* Comitissa, translatrix & secundaria fundatrix, quæ cum 8. annis præfuisset & tribus mensibus, decessit ex hac vita, anno 1281.
4. *D. Barbara à Rechberg.*
5. *D. Barbara à Freiberg.*
6. *D. Clara Crefftina*, patritio sanguine apud Ulmenses nata.
7. *D. Elisabeta Crefftina.*
8. *D. Agatha Rislina.*
9. *D. Meburgis Strelerina*, Ulmensis.
10. *D. Christina Strelerina*, & ipsa Ulmensis, quæ legitur obiisse anno 1489. Sub ejus gubernatione reformatum est cœnobium jussu summi Pontificis, Sixti IV. à Georgio & Henrico, Abbatibus Hirsaugiensi & Blaubirensi, anno Domini 1484: & eodem anno venit cœnobium in tuitionem S.P.Q. Ulmensis, Guilelmo Besserero & Joanne Ehingero consulibus.
11. *D. Elisabeta Reichnerin* constituitur anno Domini 1484. ab his, qui reformatores missi erant. Hæc anno Domini 1493. denovo ex imis fundamentis condidit cœnobium, longeq; pulchrius (quàm antea fuerat) illustravit. Præfuit annis 19. Emigravit ex hac vita anno 1513.
12. *D. Cordula à Rischach*, nobili genere nata, sed quæ virtute etiam & vitæ probitate non est ignobilis, eligitur vivente adhuc Elisabeta in coadjutricem anno Domini 1508. postea verò in Abbatissam, mortua Elisa. Præsidet laudabiliter, prudenter & utiliter 44. sororibus hoc adhuc currente Jubileo.

SORETHUM, vulgata voce hodie *Schussenrietum* à Schussio, præterfluente fluvio, (qui prope Ereskirchium in lacum

Acronium influit) sic dictum, præclarum ordinis Præmonstratensis in Constantiensi diœcesi cœnobium, in Svevia propè Alendorfum arcem Baronum à Khingseck situm, fundatum est & ex arce in monasterium conversum anno Domini 1188. sub Imperatore Friderico Barbarossa, in Dei omnipotentis, & & Divæ Virginis Mariæ, ac S. Magni confessoris honorem à Berengario & Conrado, Baronibus de Schussenried, Equitibus auratis: quorum prior monachus etiam Conversus, ut vocant, ejusdem cœnobii sui factus esse legitur. Primos monachos misit ex Alba seu minore Augia Ulricus à Thannen, præpositus Augiensis quartus. Præpositorum ejus loci talis reperitur, etsi mancus aliquibus locis, catalogus.

Præpositorum series.

1. *Fridericus*, primus præpositus, qui cum Berengario altero ex fundatoribus in unum tumulum positus est.

2. *Mangoldus*, ex Rodensi cœnobio assumtus, Friderico successit, qui cum 4. annis præfuisset, Rotum rediit. Sub ejus gubernatione vastatum est cœnobium & concrematum, post obitum Baronum à Schussenriedt, à Conrado quodam de Wartemberg, qui uxorem duxerat fundatorum sine masculis hæredibus obeuntium sororem, & bona cœnobio incorporata putabat ad se magis, quàm ad monachos hujus loci pertinere.

3. *Menfridus*, ex Rockhenburgo assumtus, tandem etiam ad veterem nidum revolavit, & ibi præpositus est designatus.

4. *Luittherus*, vir bonus & simplex, ad gubernandum cœnobium parum idoneus, iccirco mox à præposituræ clavo iterum amotus.

5. *Burcardus*, ex Biberaco natus, vir præclare doctus, præpositus tandem Ursspergensis cœnobii anno Domini 1215. designatus, cum ibi præfuisset 10. annis & aliquot mensibus, obiit anno Domini 1226.

6. *Conradus*, patria Ulmensis, ex Rota assumtus, præfuit tribus annis. Obiit anno 1218.

7. *Menfridus*, supra etiam nominatus ex Rockhenburgo iterum accitus, rediit, quod bonus antea fuisset & utilis œconomus. Præfuit iterum & profuit annis duobus. Obiit anno 1220. Sepelitur Schussenriedi.

8. *Rudol-*

8. *Rudolphus*, ex Augia minore assumtus, negligenter præfuit duobus annis, & iterum ex gubernationis fastigio deturbatur anno Domini 1222.

9. *Conradus*, ex Martalensi cœnobio accitus, vir prudens ac admodum religiosus, œconomus vero diligentissimus & optimus. Is post primam conflagrationem cœnobium instauravit & ampliavit anno 1229. destructo & dejecto penitus veteri castro, quod Baronum à Schussenried ac Wartemberg fuerat domicilium. *Schussenried castrum.*

10. *Hilbrandus Wilyn de Michelwinada*, nobilis genere, de cujus tamen nec virtutibus nec vitiis quicquam amplius extat.

11. *Albertus:* de hoc præposito, & aliis quibusdam, quorum etiam nomina interciderunt, plane nihil in literas relatum est.

12. *Joannes Feserus*, forte *Fetzerus*, vir nobilis, de quo itidem nihil amplius scitur.

13. *Joannes, Rubei oris* cognomento, obiit anno 1438.

14. *Ortolphus Schorppius*, optimus œconomus & illustrator cœnobii sui studiosissimus, successit Joanni. Decessit anno 1441. cum tribus præfuisset annis.

15. *Conradus Rauber*, ultimus præpositus, eligitur anno 1441. Interfuit synodo Basilienfi, ubi consequutus est privilegia Abbatis & ornamenta Pontificalia. Primus itaq; hujus cœnobii Abbas præfuit laudabiliter 34. annis. Obiit anno Domini 1475.

16. *Petrus Fuchsius*, ex Martorffo nobili Constantiensis Episcopatus oppido natus, successit Conrado, secundus Abbas. Præfuit annis sex. Obiit anno 1481. Habuit germanum fratrem Joannem, Abbatem Augiæ minoris, qui obiit anno 1470. & alium Henricum, præpositum in Waldseehe, qui emigravit ab hoc seculo anno Domini 1492. *Martorph.*

17. *Henricus Austrius*, Doctor decretorum, subrogatus Petro præfuit 25. annis, diebus decem. Exuit hominem mortalem anno Domini 1505. decima octava Aprilis.

18. *Joannes Witmajer*, ex Mengensi oppido Sueviæ natus, præfuit laudabiliter 39. annis, & senio confectus magistratu

sese abdicavit anno 1544. Obiit tandem 16. Kalendarum Augusti anno 1546.

19. *Gallus Molitorius*, patria Morsemburgius, ad lacum Acronium natus, eximius Musicus, eligitur anno Domini 1544. Præfuit per unius saltem anni & duorum mensium spatium, & decessit citius, quàm antecessor, anno videlicet 1545. ipsa die Sancti Benedicti.

Ravensburg.

20. *Jacobus Rengerus*, ex Ravenspurgo imperiali in Suevis civitate natus, præsidet non inutiliter hoc adhuc currente Jubileo. Habent in hoc cœnobio celebria sepulchra & reconditoria sua nobiles reguli de Winada, de Stuba, de Essendorff, & de Molbertshausen.

❁ ❁ ❁

Reinnath. Pressa. Rawkbulm castrum.

SPAINSHARTUM, magnificum ac præpotens instituti Præmonstratensis sive Norbertini, diœceseos vero Ratisbonensis cœnobium, in superiori Palatinatu inter Kemmatum ac Pressatum, Palatini Electoris oppida, non procul ab asperi Culmenii altissima Marchionum Brandenburgensium arce in fertilissimo agro situm, fundatum legitur in honorem Beatæ Virginis Mariæ anno Domini 1145. ab Adelfolco de Reiffenberg, ejusq; conjuge Domina Richinza: duobusq; Adelfolci fratribus, Reinholdo & Gerhardo de Reiffenberg, quorum insigne fuit alba turris in rubea planicie. Aliud de his fundatoribus nihil hactenus reperi. Benefactores vero ejusdem cœnobii fuerunt, Otho dux Meroniæ, & conjunx ejus Domina Beatrix, Landgrafii de Falckhemberg: Henricus item, Episcopus Ratisbonensis, Ecclesiæ prius Bambergensis diaconus, qui dono dedit monasterio oppidulum Eschembacense, quod in ea ipsa vicinia situm est. Præpositorum hujus loci talis extat catalogus.

Eschenbach. Præpositorum ordo.

1. *Grimo* præfuit annis sex. Obiit anno 1151.
2. *Wiggerus* annis undecim. Obiit anno salutis 1162.
3. *Conradus* annis septem. Obiit anno 1169.
4. *Rudolphus* annis tredecim. Obiit anno 1182.
5. *Godescalcus* præfuit annis 21. Decessit anno 1203.
6. *Godefridus* sedit ad gubernaculum annis octo. Obiit anno 1211.

7. *Her-*

7. *Hermannus* præfuit annis octo. Obiit anno 1219.
8. *Henricus de Osterhofen* præsedit annis septem. Obiit anno 1226.
9. *Rupertus* annis tribus. Obiit anno 1229.
10. *Conradus* annis sex. Obiit anno 1235.
11. *Heribertus* præfuit annis quinq;. Huic dono dederunt anno Domini 1238. Fridericus Walpot de Schwerentz, & ejus filii, Fridericus, Henricus, Reinholdus in castro Swerentz habitantes, prædium Heerlech, quod antea fuerat Wernheri militis, cognomine Sweronis de Preffat. Obiit anno 1240. Heerlech.
12. *Henricus* præfuit annis sex. Obiit anno 1246.
13. *Chuno* annis tribus. Obiit anno 1249.
14. *Arnoldus* sedit ad clavum annis quatuor. Obiit anno 1253.
15. *Conradus* præfuit annis septem. Obiit anno 1260.
16. *Joannes* præfuit annis 19. Obiit anno 1279.
17. *Conradus* sedit annis undecim. Obiit anno 1290.
18. *Henricus* Egranus laudabiliter præfuit 24. annis. Obiit anno 1314.
19. *Fridericus* præfuit annis septem. Obiit anno 1321
20. *Gregorius* præfuit annis quindecim. Obiit anno 1336.
21. *Wolquinus* Colonienſis præfuit annis duodecim. Obiit anno 1349.
22. *Carolus* sedit annis septem. Obiit anno 1356.
23. *Erhardus Reutter* decessit anno 1365. cum præfuisset annis novem.
24. *Martinus Erlebeck* præfuit annis 21. Obiit anno 1386.
25. *Henricus Sack* obiit anno 1397. cum sedisset annis undecim.
26. *Engelhardus Wildius* præfuit 9. annis. Obiit anno 1406.
27. *Conradus Bergelius* sedit annis 27. Obiit anno 1433.
28. *Jordanus à Neuseff* præfuit annis viginti quatuor. Obiit 17. Augusti anno Domini 1457.
29. *Georgius Taurus* à Guntzendorff eligitur 18. Augusti ejusdem anni, visitator & reformator monasteriorum Bohemiæ

omnium. Is anno 1459. interfuit capitulo generali ab ordinis Præmonſtratenſis aſſeclis & primatibus celebrato ad S. Quintium in Normandia, ubi ex præpoſito primus hujus loci Abbas factus eſt, Pontificalia inſignia impetrans à Beſſarione Græco, Cardinale & Apoſtolicæ ſedis legato de latere. Bullam hujus privilegii Dominus Hermannus Ochs, frater Conventus, Viennæ operam dans literis, à legato redemit 45. Rhenenſibus. Fuit bonus œconomus & utiliſſimus gubernator, fecit magnum lacum vicinum monaſterio. Pater eximius, pius, affabilis, benignus, principibus pariter vicinis ac ſubditis omnibus charus, præfuit in magna tranquillitate annis 46. Obiit anno ætatis 83. Chriſti vero anno 1503. die 17. Auguſti.

2. *Hermannus Taurus à Wolffhartshoff* eligitur anno Chriſtianorum 1503. Erat juris Canonici Licentiatus, vir (ut iſta adhuc tempora ferebant) mediocriter doctus. Sub hoc Abbate in bello Bavarico, inter Philippum Palatinum & Albertum Bavarum geſto, Fridericus Marchio Brandenburgenſis occupare conatus eſt cœnobium ſibiq; ſubjicere, tum videlicet, cum à Wunſidlenſis oppidi præfecto, Alexandro Luchoviano, Waldſaſſum incendio vaſtaretur. In qua expeditione plurima damna cœnobio Spainshartenſi illata ſunt. Hermannus igitur confectus jam ſenio, & periculis tantis non ſufficiens anno 1505. libere reſignavit gubernaculum.

3. *Conradus à Wichſenſtein*, vir liberalis & hoſpitalis, egregia corporis ſtatura & inſigni vocis ſuavitate præditus, eligitur 15. Januarii anni 1505. Præfuit annis 17. Obiit anno Chriſti 1522. menſe Junio.

Nobilis de Egloffſtein Philoſophiæ Magiſter.

4. *Joannes*, nobilis heros ex Oſtrofrancis de Egloffſtein, artium Philoſophiæ Magiſter & Decretorum Baccalaureus, vir eximia virtute præditus, eligitur anno Chriſti 1522. decima quinta Kalend. Junii. Præfuit annis 17. laudabiliter & utiliter, vir pacis conſervandæ & diſcordiarum inter principes viros componendarum pio ac vere Chriſtiano ſtudio mortalium nemini ſecundus. Obiit anno 1539. Sepelitur cum tali epitaphio à me illi compoſito.

D. O. M.

D. O. M.

Reverendo in Christo patri ac Domino, D. Joanni ab Egloffstein artium ac juris Magistro, heroi nobili, Abbati Spainshardiano quarto, concordiæ & pacis studiosissimo H. M. ad posteritat. memoriam P. est. Obiit feliciter XVI. Maii anno Christianorum 1539. Vixit annos circiter LIIII. Præfuit annis XVII.

Additum est vero huic monumento sequens etiam distichon, cui annus (quo optimus Abbas ex hac vita decessit) per literas numerales insertus est: mensem ipsa carminis sententia exhibente.

RVra sVas VIoLas, teLLVs habet aVrea fLores,
CVM Spanshartensi reCtor In arCe rVit.

5. *Joannes Gries*, & ipse vir nobilis, subrogatur Egloffsteinero. Præsidet cum Joanne Gleissentalero, & generis nobilitate & egregia virtute prædito mediocriterq; litterato juvene, hoc adhuc currente Jubileo, semper ferè valetudinarius.

❁ ❁ ❁

SUMMUNTORIUM vel Alta specula, Germanice Hohenwart / celebris olim arx Comitum Taurensium, qui inter Halam & Oenipontem antiquitus habitantes, ab hac arce Comites quoq; de alta specula vel Hohenwartenses dicti, arcem etiam Schrobenhusianam condidisse perhibentur: nunc vero monialium Benedictinæ professionis & Augustanæ diœceseos elegans in amœnissimoq; monte ad Parrium fluviolum situm cœnobium, fundatum & ex arce in oratorium, ex domo venationum & voluptatum in precationum & honestorum studiorum domum conversum est à Rapothone, Comite de Tauris ejusq; conjuge Hemma, Austriæ Duciſſa, amborumq; horum honestissimorum conjugum liberis, Ortolpho & Willitrude, in hoc ipso cœnobio quiescentibus, de quibus tale ibi legitur epigramma. *Ortolph, Wiltrudis huic claustro causſa salutis,*
Poscunt obsequia sub munere quottidiana:
Hemma quibus mater, Rapatho quippe pater.

Templum Summuntorianum beatæ Virgini Mariæ & S. Petro Apostolorum principi dicatum & consecratum est anno Domini 1074. indictione duodecima, ab Imbricone, Episcopo Augu-

Augustano, sub Imperatore Henrico IV. Ortolphus Comes, verus fundator, interfuit expeditioni adversus Saracenos, in Judæam susceptæ à Godefrido Bulionensi, nobilissimo victoriosissimoq; Lotharingiæ Principe, quem adjuvit etiam in recuperanda terra Sancta & occupandis Hierosolymis anno Christi 1099. Idcirco insignibus privilegiis & plurimis reliquiis (quæ certis temporibus magna veneratione in hoc cœnobio ostendi solent) donatus est à Romanæ Ecclesiæ Pontificibus. Obiit vero Ortolphus Comes in itinere, cum rediret à terra sancta, antequam patriæ appulisset, ad quam tamen mortuus revectus & in templo hoc Hohenwartensi honorifice reconditus & humatus est prope sororem ac parentes. Post obitum fratris Ortolphi Domina *Willitrudis* omnia bona paterna collectæ piarum sororum congregationi & inceptæ à parentibus ac fratre domui Dei tradidit: cujus ipsa prima legitur fuisse gubernatrix & Abbatissa. Extat de ea tale adhuc in cœnobii monumentis epigramma: 1.

Quando valedixit Wiltrudis inclyta mun }
} *do*
Claruit hic primo per eam Monasticus or }

Tumulo ejusdem primæ hujus loci & fundatricis & gubernatricis tales antiquitus superadditi fuerunt versiculi, nunc omnino aboliti.

Virgo flos florum præclare, nitens superorum
Gemma, tibi vota persolvens concio tota
Per te salvari petit & pro fine beari.

Series Abbatiss. Abbatissarum, quæ huic Dominæ Willitrudi ordinarie successerunt, hæc sola adhuc supersunt nomina.

2. *D. Luicardis.*
3. *D. Hilburgis.*
4. *D. Himeltrudis.*
5. *D. Hildegardis*, quæ præfuit anno Domini 1180.
6. *D. Vota.*
7. *D. Adelheidis.*
8. *D. Mechtildis.*

9. *D. Adel-*

9. *D. Adelheidis* secunda præfuit anno Domini 1240. pontificante Romæ Gregorio IX. Imperante Friderico Neapolitano. Sub ejus gubernatione consecratum est templum iterum à Sibothone, Episcopo Augustano.

10. *D. Sophia* præfuit anno 1244. sub P. M. Innocentio quarto.

11. D. *Æmilia* ab Appsperg.

12. *D. Bertha* præfuit anno 1316.

13. *D. Elisabeta Carbonaria à Startzhusen* præfuit anno 1373.

14. *D. Osanna à Parspergk* obiit anno 1430.

15. *D. Agnes Hornerin*, pastoris cujusdam filia, ex Holtzensi à se reformato cœnobio adducta, præter spem ac animi sui voluntatem huic loco præfecta, laudabiliter ac diutissime præfuit. Obiit anno 1468.

16. *D. Clara ab Hohenkirchen* successit Agneti, Holtzensis cœnobii reformatrici. Præfuit 15. annis. Obiit anno 1483.

17. *Veronica à Seckhendorff*, ex Aistetensi S. Walburgis monasterio accita, præfuit octodecim tantum septimanis. Decessit anno 1485.

18. *D. Barbara ab Hintzenhausen*, ex Neuburgo Danubiano accita, præficitur Abbatiæ anno 1485. Præfuit laudabiliter sex annis & totidem ferè mensibus. Hac ad clavum Abbatiæ sedente, reformatum est cœnobium eodem (quo præsidere cœpit) anno, ipsa Dominica post S. Michaelis festum, ab Andrea S. S. Montis Andecensis, & Georgio Schirensi, Abbatibus sub Alberto Bavarorum Duce, & Joanne Werdenbergensi Comite, Episcopo Augustano. Obiit anno 1490.

19. *D. Chunigundis Beckhina*, nobili genere nata, ex Neuburgensi ad Danubium sedente conventu evocata, successit Barbaræ. Præfuit 21. annis, & resignans anno 1511. propter afflictam valetudinem, novem adhuc annis superstes mansit.

20. *D. Catharina Vogelhuterina*, ex Kitzenbuhel oppido Bavarico nata, eligitur anno 1511. Præfuit 34. annis. Obiit anno 1545. in die S. Matthiæ. Sub ejus gubernatione incendio per-

iit cœnobium anno 1516. quod ipsa mediocriter iterum erexit & instauravit.

21. *D. Scholastica à Pappenberg*, ex Pergensi conventu evocata, constituitur Sumuntoriana Abbatissa in Martio anni 1545. Præsidet laudabiliter & utiliter hoc adhuc currente anno 1551. Sub ejus gubernatione cœnobium direptum & spoliatum est in bello Germanico seu Schmalcaldico, ut vocant, cùm à Sebastiano Schertlione, civitatum Imperialium duce, tum à vicinis civibus Hohenwartensibus. Proxime enim cœnobio adjacet ejusdem nominis præclara Marca, quæ Bavarorum Duci paret.

Kaino.

HIERHAUPTUM, superioris Bavariæ celebre cœnobium, ad Achium, pisculentissimum rivum, non procul à Lyco, tribus ab Augusta Vindelicorum & totidem à Danubiana peninsula (hodie Danawerd) duobus vero à Khaino Bavarorum oppido milliaribus, in colle (ex quo & Augusta & Donawerda videri possunt) ad ejusdem nominis amplum pagum, fœcundo & maxime fertili loco situm, ab animali seu fera (quæ in venatione ibi Thassilonis Ducis filium trucidavit) sic dictum, ordinis D. Benedicti, diœceseos vero Augustanæ. Id inquam fundatum & inchoatum legitur in honorem Divorum Petri ac Pauli Apostolorum, à magnanimo ac potentissimo Bavarorum Duce, Thassilone, anno Domini 570. quo ferè tempore idem Thassilo Wessenbrunnensem ejusdem monastici instituti Abbatiam erexisse dicitur fundator. Thassilo adversus Imperatorem Carolum Magnum aliquoties rebellis, tandem sub jugum missus, monasterio S. Nicolai Patavienſi inclusus legitur: ubi tale ejus extat epitaphion:

Wessenbrunn.

S. Nicolai cœnobium Patavienſe.

Thassilo Dux primum, post Rex: monachus sed ad imum:
Idibus à terris decesserat ille Decembris.

Thassilo.

Obiit anno Domini 787. mense Decembri. Is Odilonis Bavarorum Ducis, ex Hiltrude, Pipini Regis sorore, filius fuisse legitur, multorum cœnobiorum fundator. Auctum vero, locuple-

cupletatum,& post primam incinerationem quasi denuo reædificatum ac secundario fundatum est Thierhauptum à Lothario, Ludovici pii filio tertio, Germanico Imperatore, annum Christi circiter 846. Tertio vero renovatum & auctum est à Gebhardo, Ratisbonensis Ecclesiæ Episcopo, Wittelsbacensi Comite Palatino, ejusq; germano fratre Rapathone, fundatore Summuntoriano, Rapathonisq; conjuge, Domina Hemma, alibi Benedicta, Comitissa in Werdæa, anno Dominicæ Incarnationis 1022. à quorum posteritate semper deinde in pretio habitum, auctum & ampliatum est, quæ celebre ibi habuit reconditorium. Habet hoc cœnobium in ea ipsa vicinia ultra Lycum præclaram arcem Kullental, cujus incolæ ac Domini olim Comites erant. Subjugarunt vero eam anno 1270. Dapiferi à Dornsperg, qui vicissim eam anno Christi 1361. Domino Marquardo, Episcopo Augustano, vendiderunt. Sunt in eadem vicinia plura castra, Biberbachium à castoribus (quorum ingens ibi copia est) dictum: & Dornspergum, à quo Dapiferi supra nominati originem suam trahunt, hodie dirutum ferè. Est in hoc ipso Lyci tractu, non procul ab arce Kullental, cœnobium Virginum Deo dicatarum, Holtz dictum, quod gubernatricem Magistram habere semper solet. Versus Rhainum Bavarorum oppidum est arx Dominorum Fuggarorum præclarissima, Oberndorffum, ad Lycum amnem sita, quam D. Antonius Fuggarus maximis sumtibus construxit. Abbatum Thierhauptensium talis à me consutus est catalogus:

Kullental/ *Arx.*

Biberbach.

Dornsperg.

Holtz *cœnobium.*

Oberndorff.

Catalog. Abbatum.

1. *Ulinus* eligitur & constituitur ab ipso fundatore, D. Thassilone, anno gratiæ 752. quamdiu vero præfuerit, in annales non est relatum.

2. *Gulielmus Ulino* successit: sed nec de isto quicquam amplius libris mandatum extat, quemadmodum etiam de successoribus aliquibus.

3. *Marquardus*, alibi Madegoldus.

4. *Henno*. Post hunc aliqui desiderantur, quorum nomina ad nostri seculi notitiam minime pervenerunt: eversum enim est funditusq; ferè deletum Thierhauptense hoc monasterium,

ab undiquaq; per omnem Sueviam ac Bavariam impune penè sub Imperatore Ludovico III. grassantibus Hungaris, qui tamen ad Lycum tandem (post maximam harum regionum vastationem) ab hoc Imperatore Ludovico magna clade affecti sunt.

5. *Humibertus*, aliis *Himbrico* dictus, post tertiam cœnobii restaurationem (quæ à Gebhardo, Ratisbonensi Episcopo, apud S. Emeranum Ratisbonæ sepulto facta legitur) præsidere cœpit, annum Christi circiter 1020. Decessit vero cum ab officio tum ex hac momentanea vita anno Christi 1036.

6. *Haymo* Huniberto successit.

7. *Odewinus* Haymoni.

8. *Godescalcus* Odewino.

9. *Arnoldus* Godescalco.

10. *Marquardus* Arnoldo.

11. *Erckhenboldus* Marquardo.

12. *Henricus* Erckhenboldo. Is benefactricem habuit sui cœnobii maximam, piam admodum ac nobilissimam fœminam, Gebbam de Bach, quæ & aurea & sericina ornamenta plurima dedit templo Thierhauptensi.

13. *Udalricus*, cognomento *Vulpes*, præfuit anno Domini 1308.

14. *Henricus de Höchstetten*, instaurator cœnobii hujus per incendium collapsi. Obiit is anno Christi 1353. Nihil enim aliud de eo scriptum reperitur usquam, quàm quod resignarit.

15. *Conradus* Henrico subrogatus est. Obiit is anno 1366.

16. *Udalricus*, ex monacho Schyrensi Abbas Thierhauptensis designatus, præfuit annis sex. Decessit anno 1372.

17. *Ernestus*.

18. *Georgius*.

19. *Joannes*, vir magni ingenii, optimi consilii & meritorum maximorum, Ludovici Bavarorum Principis consiliarius: sub quo cum incendio periisset monasterium, instauratum idipsum ab eo est magnifice anno Domini 1403. Obiit anno Christi 1406.

20. *Ulricus* de Lutzelnburg.

21. *Jo-*

21. *Joannes Bruno* obiit anno 1439. Sepelitur in ambitu.

22. *Fridericus* præfuit annis 17. Obiit anno 1456.

23. *Thomas*, optimus initio monachorum institutor, postea ad Abbatiæ gubernationem assumtus, utilissimus etiam paterfamilias, præfuit annis septem. Obiit anno 1463.

24. *Henricus Nevius* præfuit annis 15. Desiit esse inter mortales anno Salutis Christianorum 1478. Post ejus obitum vacavit Abbatia annis duodecim, quibus in manu ac potestate secularium fuit, quorum negligentia & incuria ad summam angustiam res cœnobii hujus deductæ sunt.

25. *Georgius* eligitur anno 1489. sed quamdiu præfuerit, ignoratur.

26. *Joannes à Westernach* successit Georgio, vir nobilis, sed de quo nihil amplius annotatum reperitur.

27. *Udalricus de Werdæa* præfuit anno Domini 1491. Post ejus obitum iterum præfuerunt huic loco quatuor seculares, sacrificus quidam de Wittelsbach, & Thomas Gaulrapp, Wolffgangus quidam Conversus in Altonis monasterio, de nobili propapia Gandizellorum, & Castelius Ernestus, parochus in Neunkirchen, qui præfuit usque ad Abbatem Joannem. Translata erat gubernatio ad seculares, quod monachi & Abbates negligentiores fuissent & minus curiosi de spiritualium administratione. Sub hoc Castelio reformatum & reconciliatum est cœnobium anno Domini 1494. à Joanne, Episcopo Adrimitano.

28. *Joannes*, cognomento *Hardlieb*, pauperum & egenorum sustentator fidissimus & benignissimus, resignavit Abbatiam anno Domini 1501. Obiit anno 1505.

29. *Petrus Hamaxurgus*, ex Augustano S. Ulrici conventu evocatus, successit resignanti Joanni. Præfuit per decennium laudabiliter. Vidit in bello Bavarico & cœnobium & pagos suos exuri: quo tempore ipse per biennium exulavit Augustæ. Tandem vero pacata iterum Bavaria, suis redditus ita cœnobium instauravit, ut ejus secundus fundator dici meruerit. Obiit anno 1511.

30. *Leonhardus Græcus*, ex D. Udalrici Augustano conventu & sodalitio unanimi omnium fratrum consensu accitus est anno Christi 1512. Is præclare ea absolvens omnia, quæ pro restaurando monasterio ab antecessore erant inchoata, laudabiliter præfuit annis 21. Reddidit Abbatiam conventui anno Domini 1533. Obiit sexto mense à resignatione in vigilia S. Laurentii. Sepelitur in ambitu, cum digno virtutum & meritorum suorum præconio, parieti inserto.

31. *Joannes Rumpffardus*, Conventualis apud S. Ulrirum Augustanum, assumitur in Abbatem Thierhauptensem anno 1533. Præfuit utilissime & summa cum laude annis quatuordecim. Sub ejus gubernatione sepelitur in hoc cœnobio anno Domini 1540. in ipsis Nonis Martiis Joannes Könlin, Abbas Ulrichianus cum tali epitaphio:

Hic jacet, Augustæ quondam qui floruit Abbas,
Joannes Kienlin relligionis honos.
Si quæris, cur non propria tumuletur in æde?
Quod Lutheranam respuit ipse fidem.

Vidit Abbas hic Rumpffardus magno animi dolore, anno Domini 1546. in bello Smalcaldico bis cœnobium suum diripi, primum à Landgravianis & Smalcaldicis confederatis, moxq; iterum ab Hispanis. Resignavit gubernaculum anno sequenti, decima Maij, cum paulo ante in hoc cœnobio suo sepelisset Andream Lucium, Abbatem Fultenbacensem, qui metu confederatorum Thierhauptum concesserat. Obiit ipse postea anno 1548. languore ac mœrore animi consumtus in ipsis Idibus Martiis. Sepelitur in templo Thierhauptensi cum tali epitaphio:

Joannes Rumpfard, multo qui præfuit Abbas
Sudore in Thierhaupt, hac requiescit humo:
Quem si transieris Christi quandoq; fidelis,
Tu Christo precibus conciliato piis.

Ego ab Abbate successore rogatus eundem tumulum tali epigrammate oneravi.

Rum-

Rumpfardus cubat hic venerabilis ipſe Joannes,
Qui fuit hac Abbas dignus in æde ſacra.
Temporibus cujus bellum bis exarſit in oris,
Adverſus caput, ô Carole Quinte, tuum.
In quo bis miſer ille pater ſua diripi ubiq;
Mœnia vidit, & hæc condita templa Deo,
Primum à Germanis Heſſis, rigidisq; Suevis:
Cæſar, ab Hiſpano milite deinde tuo.
Hæc clades rabiesq; ſeni mortem attulit atram,
Quæ potuit nobis abripuiſſe virum,
Perpetuam cujus laudem nulla obruet ætas
In terris: pia nam ſpiritus aſtra tenet.

Eundem Abbatem tali epitaphio honoravit & poſteritati notum eſſe voluit Magiſter Beatus Dinnerus Uberlingenſis.

Uno è fonte oritur, totus quod continet orbis,
Et ſimilem ad metam ſingula quæq; cadunt.
Quicquid enim natum eſt, id rurſus obire neceſſe eſt:
Hanc voluit legem rebus ineſſe Deus.
Hinc ea ſors homini eſt, Dominus quam dixerat Adæ,
Non permanſurum (qui foret) eſſe diu.
Divitiæ fugiunt, & opes auriq; talenta:
At nudum vermes corpus & oſſa vorant.
Ergo quicquid agas, ſortis memor eſto miſellæ:
Sola manet pietas: cætera mortis erunt.
Non parcit Lacheſis cuiquam, verum omnibus æqua,
Ut forti, timido ſic ſua fila ſecat.
Sic dites inopesq; omnes, pueriq; ſeneſq;,
Nolint ſive velint, hac quoq; lege ruunt.
Hæc eadem rapuit nobis pietate Joannem
Rumpffardum, inſignem & dexteritate virum.
Rexerat is bene Thiernhauptum, cui præfuit annis
Bis ſeptem totis, dogmata ſacra docens.
Unde manent ipſum hic laudes, alio bona cœli
Poſſidet in ſeclo, præmia digna piis.

Tu

Tu quoq; nos olim duc (qui regis omnia solus)
Ad quæ es pollicitus gaudia vera, Pater.

32. *Joachimus Fendius*, patria Faucensis, è S. Ulrici Augustana Abbatia evocatus, præficitur Thierhauptensibus cœnobitis Abbas decima Maji anno Christi 1547. ætatis suæ 34. vir procerus, Latinarum literarum non ignarus, humanus & hospitalis. Is hoc adhuc præsidet currente 1551. anno fideliter & feliciter. In ejus gratiam de cœnobii hujus prima origine tale lusi superiore anno, cum ex Augustanis Comitiis visendi ejus loci ergò exspatiatus essem, heroicum epigramma, parieti templi insertum.

Thassilo, Bojorum dux, Longobardicus & rex,
Ex Odilone satus Regisq; sorore Pipini,
Hiltrude, has primus superis erexit & aras
Et sacras ædes, monachorum ut serviat illic
Collectus cœtus Domino, Gnatoq; Patriq;,
Spirituiq;, Deo trino, virtute sed uni.
Condidit at, quod (dum venator retia tendit
Insidiasq; feris) gnatum amisisset ab una,
Hoc in rure, fera percussum a vide, peremtum.
Quod, lector, Joachimus ego te Fendius Abbas
Scire volo. Tu fundatori læta precare,
Omnibus atq; bonis in nostra hac æde sepultis.

❁ ❁ ❁

TRUTTENHUSIUM, cœnobium ordinis Canonicorum regularium S. Augustini ad pedem altissimi montis S. Otiliæ in Alsatia ad Vosagum peramœno loco situm, fundatum est in honorem Beatæ Virginis Mariæ, ac S. Nicolai Episcopi, sub Lucio ejus nominis III. Pontifice Maxim. Imperatore verò Friderico Barbarossa, Sueviæ & Alsatiæ Duce, potentissimique S. Otiliæ cœnobii advocato, anno Domini 1181. à Domina Herrade, insigni ac doctissima Abbatissa in Altitona sive S. Otiliæ monasterio, & à Domino Gunthero, germano fratre prædictæ Abbatissæ, nobili viro de Winheim & Lantsperg, ex ejusdem prædio quodam, quod ipse libere dedit, ad con-

construendam domum Dei augendamq; religionem tunc temporis usitatam. Habuit cœnobium id semper fere gubernatores Præpositos, qui à prima fundatione ad hæc nostra usq; tempora hi fuerunt.

1. *Volcmarus Marbacensis*, Ecclesiæ in Alsatia etiam medio ferè itinere inter Colmariam & Rufachium civitates sitæ, Canonicus, primus constituitur hujus loci Præpositus an. 1181. Præfuit annis 30. Obiit anno 1211. *Marbach cœnobium.*

2. *Fridericus* Volcmaro subrogatus præfuit annis 28. Decessit ex hac vita mortali anno 1239.

3. *Falco*, Abbas prius Marbacensis, succeſſit Friderico. Præsuit annis tribus. Obiit anno 1242.

4. *Wolframus* præfuit annis undecim. Obiit anno 1253.

5. *Hanemannus.*

6. *Eberhardus.*

7. *Waltherus.* Obiit anno 1281.

8. *Henricus* præfuit annis 23. Obiit anno 1304. Sub hoc Præposito fundatum est anno Domini 1288. sacellum S. Margaridos & Magdalenæ per virum strenuum Guntherum de Landesberg, militem ac vicedominum, per nobilemq; Dominam Adelheidin de Thanne, uxorem ejus.

9. *Sifridus* sedit ad præpositurae clavum annis 13. Obiit anno 1317.

10. *Joannes* præfuit 18. annis. Obiit anno 1335.

11. *Joannes* secundus præfuit 25. annis. Obiit anno 1360.

12. *Oswaldus*, nobilis de Berwenstein, cujus soror Domina Elisabeta quiescit in sacello S. Margaridos, præfuit 6. tantum annis. Obiit anno Domini 1366. Sub isto Præposito domus hæc incendio periit, combusta per Anglos, qui Alsatiam deprædabantur anno 1365. & & paulo post cæsi sunt prope Basileam.

13. *Henricus* Præpositus sedit ad clavum annis sex. Obiit anno 1372. Sepelitur ad S. Arbogastum Argentinæ.

14. *Rudolphus* præfuit 7. annis. Obiit anno 1379.

15. *Rulinus* præfuit 24. annis. Obiit anno 1403.

16. *Burcardus* præfuit 15. annis. Obiit anno 1418.

17. *Andreas Fabri de Basilea* præfuit 9. annis. Obiit anno 1427.

18. *Joannes Betschelinus de Barrio* præsedit annis novem. Obiit anno 1436.

19. *Nicolaus Wissenburgius* successit Joanni. Vidit cœnobium suum diripi, incendi ac miserè vastari anno Domini 1444. ab Armeniacis, qui duce Delphino non sine magna Germaniæ clade hostiliter grassabantur per totam Alsatiam. Ipse tamen cœnobium mox (fugatis & Helvetiorum manu partim cæsis hostibus) reædificavit & reformavit ac Capitulo generali Windesheimensi subjecit: ipse etiam mutato titulo ex Præposito Prior factus est: quamdiu verò præfuerit, aut quando obierit, ignoratur.

20. *Joannes de Dulmannia* subrogatur Nicolao, diligens illustrator cœnobii, eversi prius per Armeniacos prædones, vulgo die armen Gecken.

21. *Albertus* post Joannem eligitur anno 1492. Præfuit per unius saltem anni spacium. Obiit anno 1493.

22. *Conradus Volcius*, ex Argentorato natus, præfuit 8. annis. Obiit anno 1501.

23. *Joannes de Eschaw* præfuit annis 6.

24. *Gerhardus* eligitur anno 1507. Præfuit 4. annis.

25. *Wernerus* præficitur anno 1511. Sedit ad gubernaculum annis duobus.

26. *Balthasarus* constituitur Prior hujus loci anno 1513. Præfuit annis 7. Sub eo humatus est anno Domini 1516. in ejus cœnobii media ecclesia Wolphius, nobilis heros ab Uttenheim, cum tali epitaphio.

Wolphius Uttenheim, miseranda morte peremtus
In crepera noctis tempore ab ense fero,
Occubuit non sperata nece nec meditata,
A quibus haud timuit: sed requiescat. Amen.

27. *Joannes de Sonspach* eligitur anno 1520. Præfuit annis 9. Sub eo cœnobium vastatum est à seditiosorum Alsatarum agricolis.

28. *An-*

28. *Antonius de Colonia* præficitur cœnobio anno Domini 1529. Præsidet hac nimirum nostra adhuc tempestate.

Dixi, Truttenhusium esse ad pedem celeberrimi illius montis, quem 4. milliaribus ab Argentina dissitum, S. Otiliæ jugum, & Vosagi, aut, ut alii dicunt, Vogesi caput vocant. Cujus meminit *Philesius* in carmine suo de Vosago, in hæc verba.

Mons Vogesus sumit Rhætorum ex Alpibus ortum,
Et viridi costa te quoq; , Trevir , adit.
Gallica Teutonicis qui separat arva colonis,
Et Mediomatricæ mox videt urbis agros.
Otilia in summo requiescit vertice montis,
Otilia, Alsatici gloria summa soli.

Inferius monasterium in umbilico montis S. Otiliæ.

Ascendamus igitur per amœnissimum lucum (qui cœnobiis interjacet) ipsum etiam montem, & quid antiquitatum ecclesiasticarum habeat, videamus. In umbilico ferè montis est inferioris monasterii, vulgo Niderminsters , præclarum nobilium puellarum Deo dicatarum, eidemq; juxta institutum D. Benedicti servientium cœnobium , cujus certum tamen initium & vera origo me hactenus latet. Vetustissimum autem esse, & eodem ferè tempore constructum ac fundatum , quo Altitonense S. Otiliæ monasterium cœpit, inde conjicio, quòd D. Otilia ipsa sese utriusq; tam superioris , quam inferioris videlicet monasterii Abbatissam scripserit. Invenio item templum inferioris hujus monasterii à Mantuano quodam Episcopo consecratum esse anno 1184. Adscribam verò hîc Abbatissas , quarum nomina in cœnobio hoc (quod anno Domini 1541. universum pene domestico incendio conflagravit) salva adhuc reperi & oblivione nondum oblitterata.

Abbatiss. nomina.

1. *D. Guteliudis*, prima Abbatissa ejus (fortasse S. Otiliam primam ejusdem fundatricem, ut aliqui volunt, sequuta) fuisse legitur.

2. *D. Edelindis*, ut nomine, ita re etiam ipsa, hoc est, virtute & pietate verè nobilis Abbatissa, præfuit monasterio inferiori, sed quo tempore, id ad nostram notitiam non pervenit.

3. *D. Wilburgis* præfuit ante & post annos Domini 1256. ut ex epigrammatibus quibusdam videre licet. In ambitus enim ingressu & saxea quadam columna sic legitur:

Anno ab incarnatione Domini, M. CC. LVI.
Constructum tale constat nobis laqueare,
Tempore prælatæ Willibirgis vocitatæ,
Quæ Christo grata maneat cum plebe beata:
Hoc opus ad metam studuit quæ ducere lætam,
Centeno fructu benedicetur sine luctu.

In ipso verò ambitu, sub saxea testudine talis adhuc superstes est inscriptio de illa ipsa Abbatissa Wilburgi.

Anno ab incarnatione Domini, M. CC. LVII.
Ad metam ducta sunt hic laquearia structa
Tempore prælatæ Willibirgis vocitatæ,
Quæ cunctis grata, sit cælicolis sociata.
Et plebs dans gratis operi studium pietatis,
Fructum centenum sine luctu portet amœnum.

Veterum Abbatissarum aliarum omnium nomina cum rebus interciderunt. Recentiorum vero sola hæc extant.

4. *D. Margareta Senii* decessit ex hac vita mortali anno Domini 1460. sepulta è regione suggesti.

5. *D. Margareta de Khandelm*, ex Westriæ regno nata, præfuit annis 15. Obiit anno Domini 1475.

6. *D. Ursula de Tribeln* præfuit annis 39. Obiit anno 1514. tertia Nonarum Aprilis. Sepelitur in medio choro.

7. *D. Rosina à Lapide*, præfuit 20. annis. Decessit anno 1534. Sepelitur prope D. Ursulam.

8. *D. Ursula à Ratzenshusen*, ultima hujus loci monialis, tenacissima femina, constituitur ab Episcopo Argentinensi, Gulielmo, non quidem Abbatissa, sed locumtenens & præfecta. Hæc anno Domini 1541. alio ad convivium quoddam invitata dum abest, interim incendium domi natum est, quo totum monasterium in cineres ac miserrimas ruinas collapsum est: quod postea Senatus Canonicorum Argentinensium occupavit ac præfecto cuidam habitandum & gubernandum commisit. Fuisset

isset dudum opus utriq; huic monialium sodalitio secunda aliqua Rilinde & reformatore quodam Barbarossa: sed cum is deesset, & Magistratus negligenter ista curaret, DEUS reformandum locum, ac dura visitatione in eum animadvertendum censuit, in quo non admodum regulariter (ne quid amplius dicam) vivebatur.

In summitate vero & apice montis hujus famosissimi ac amœnissimi est Altitona, vel, ut Germanicè vocant, Hohenburgense monialium S. Otiliæ monasterium spaciosissimum amplissimumq;, quod anno Domini 690. sub Childerico, Francorum Rege, ab Adelrico Ethicone, S. Otiliæ patre, regio in Alsatia præfecto ejusdemq; Childerici consanguineo, in superiori Ehenheimio, civitate Alsatiæ, curiam ac sedem suam Ducalem habente, inchoatum ac (arce Regia in domum DEI conversa) conditum amplissimisq; proventibus annuis munificentissimè donatum esse legitur. Hujus loci Abbatissarum itidem, ut inferioris monasterii, non extat amplius integer catalogus: subjungam verò harum nomina, quæ ad nostram notitiam pervenerunt. *Altitona.* *Ehenheim.* *Descriptio Abbatiss.*

1. *S. Otilia*, Adelrici Ducis ac Alsatarum præfecti filia, Abbatissa hujus loci prima fuit. Ejus tumulus honorificus adhuc cernitur in sacello, quod post nostri seculi conflagrationem instauravit iterum mediocriter Reverendissimus Princeps, D. Erasmus à Limburg, Episcopus hac tempestate Argentinensis.

2. *S. Eugenia*, secunda hujus monasterii Domina & Abbatissa, in eodem sacello cubat honorificè tumulata. Post hanc nullam amplius invenio Abbatissam usque ad tempora Friderici Barbarossæ, Suevorum & Alsatarum Ducis, postea in Imperatorem electi, qui audiens Vestales hujus loci procul à prima institutione deviasse, luxuque ac divitiis lascivire, reformaturus cœnobium universum, ejectis lascivientibus vetitisq; voluptatibus sordentibus feminabus, annum Christi circiter 1140. ex Pergensi Aistetensis Episcopatus celebri monasterio Dominam *Rilindin*, virtutibus & litterarum cognitione præstantissimam virginem evocavit, & ad instaurandam iterum in hoc loco *Friderici Barbarossa moniales lascivientes monasterio ejicit.*

3.

monasticæ congregationis prorsus collapsam disciplinam adduxit, eamq; Abbatissam Altitonensibus his laribus præfecit. Quæ non solum diligenti œconomiæ inspectione & annuorum proventuum augmentatione præclare præfuit, sed in hoc etiam longè præclarius, quod recollectis triginta tribus velatis virginibus, non tantum in Christianismo eas fideliter, sed in latinis etiam literis ita imbuerit, ut toti viciniæ earum eruditio admirationi esset. Fuit hæc Domina *Rilindis* insignis versificatrix, cujus epigrammata quædam lege in Pergensis cœnobii annalibus. Quàmdiu præfuerit huic loco, quando item rebus humanis exemta sit, aut quo genere nata fuerit, non invenio: certè secunda fundatrix hujus loci dici meruit.

Rilindis Abbatissa docta, & Poëtria.

Evocatæ vero ex hac mortali vita, subrogata & substituta est ab eodem cœnobii hujus advocato, Domino Friderico Barbarossa, tum Romano Imperatore, suffragantibus unanimi consensu omnibus sororibus & monialibus, Domina *Herradis*, ex nobili Landspergiorum familia nata, cœnobii Altitonensis Professa, Rilinde nec virtutibus nec doctrina inferior. Quæ divinum cultum augeri volens, Truttenhusium cœnobium ad pedem montis situm, anno Domini 1181. de suis condidit, dotavitq; propriis bonis liberalissimè. Extitit in Altitona ante paucos adhuc annos liber sacrarum sententiarum justæ magnitudinis, ipsius manibus in mundissima membrana scriptus, & ex diversis cum Bibliorum, tum veterum doctorum monumentis ab ipsa collectus, sororibusq; tali epistola præliminari nuncupatus.

4. *Herradis Abbatissa erudita, & pia.*

Herradis, gratia DEI Hohenburgensis Ecclesiæ Abbatissa, licet indigna, dulcissimi Christi Virginibus in eadem Ecclesia quasi in vinea Domini fideliter laborantibus, gratiam & gloriam, quam dabit Dominus. Sanctitati vestræ insinuo, quod hunc librum, qui intitulatur *Hortus delitiarum*, ex diversis sacræ Philosophicæ scripturæ floribus, quasi apicula (Deo inspirante) comportavi, & ad laudem & honorem Christi & Ecclesiæ, causaq; dilectionis vestræ, quasi in unum mellifluum favum compaginavi. Quapropter in eo ipso libro oportet vos sedulò quærere pastum, & mellitis stillicidiis animum reficere lassum, ut sponsi blanditiis sem-

Hortus deliciarum Herradis.

semper occupatæ & spiritualibus delitiis saginatæ, transitoria securè percurratis & æterna felici jucunditate possideatis, meque per varias maris fluctuum semitas periculosè gradientem, fructuosis orationibus vestris à terrenis affectibus mitigatam, una vobiscum in amorem dilecti vestri sursum trahatis. Amen.

Addidit verò doctissima sui seculi versificatrix sequentes etiam Dithyrambos:

Salve cohors Virginum
Hohenoburgensium,
Albens quale lilium
Amans Dei filium.
Herrad devotissima,
Tua fidelissima
Mater & ancillula,
Cantat tibi cantica.
Te salutat millies,
Et exoptat indies,
Ut læta victoria
Vincas transitoria.
O multarum speculum,
Sperne quæso seculum,
Virtutes accumula,
Veri sponsi turmula.
Insistas luctamine
Diros hostes sternere.
Te Rex regum adjuvat,
Qui vel te desiderat.
Ipse tuum animum
Firmat contra zabulum:
Ipse post victoriam
Dabit regni gloriam.
Te decent delitiæ,
Debentur divitiæ:

Tibi

Tibi cœli curia
Servat bona plurima.
Christus parat nuptias,
Miras per delicias;
Nunc expectes principem
Te servando virginem.
Interim monilia
Circundes nobilia,
Et exornes faciem
Mentis purgans aciem.
Christus odit maculas,
Rugas spernit vetulas,
Pulchras vult virgunculas,
Turpes pellit feminas.
Fide cum turturea
Sponsum istum redama;
Ut tua formositas
Fiat perpes claritas.
Vivens sine fraudibus,
Es monenda laudibus,
Ut consumas optima
Tui gradus opera.
Ne vacilles dubia,
Inter mundi flumina,
Verus Deus præmia
Spondet post pericula.
Patere nunc aspera,
Mundi spernens prospera:
Nunc sis crucis socia,
Regni consors postea.
Per hoc mare navigа,
Sanctitate gravida,
Dum de nave prodeas,
Sion sanctam teneas.

Sion

Sion turris cælica,
Bella tenens atria,
Tibi fiet ſtatio
Acto vitæ ſpatio.
Ibi rex virgineus
Et Mariæ filius
Amplectens te redamet,
A majore relevet.
Parvipendens omnia
Tentatoris jacula,
Tunc gaudebis pleniter,
Jubilando ſuaviter.
Stella maris fulgida,
Virgo mater unica,
Te conjunget filio
Fedære perpetuo.
Et me tecum trahere
Ne ceſſes precamine
Ad ſponſum dulciſſimum,
Virginalem filium.
Ut tuæ victoriæ,
Tuæ magnæ gloriæ,
Particeps inveniar,
De terrenis eruar.
Vale caſta concio,
Mea Jubilatio,
Vivas ſine crimine,
Chriſtum ſemper dilige.
Sic hic liber utilis,
Tibi delectabilis:
Non ceſſes revolvere
Hunc in tuo pectore.
Ne more ſtruthinio
Surripiat oblivio,
Et ne viam deſeras,
Antequam pervenias.

Ejusdem Herradis ad easdem sorores Tetrastichon.

O nivei flores, dantes virtutis odores,
Semper divina pausantes in theoria:
Pulvere terreno contemto, currite cœlo,
Quo nunc absconsum valeatis cernere sponsum.

Ejusdem ad Christum Distichon.

Esto nostrorum pia merces, Christe, laborum,
Nos electorum numerans in sorte tuorum.

Post Herradin nullas amplius Altitonenses Abbatissas invenio annotatas, præter has, quæ nostris ferè temporibus præfuerunt, quas omittere tamen non volui. Sunt autem hæ.

5. *D. Veronica de Andlow*, quæ legitur obiisse anno Domini 1508.

6. *D. Agnes Zuckenmentlin*, quæ utilissime præfuit 30. annis & obiit anno 1539.

7. *D. Anastasia*, vel *Anna* aliquibus dicta de Oberkirch, præfuit tribus annis. Decessit anno Domini 1542. Sub hac conflagravit inferius monasterium.

8. *D. Agnes de Oberkirchen*, soror antecessoris Annæ, præfuit annis quatuor, & vidit anno Domini 1546. incomparabili incendio deflagrare suum etiam hoc totum cœnobium amplissimum, ac (ut ex ipsis etiam ruinis facile colligi potest) longe magnificentissimum, ex quo tota Argentina, imo omnis Alsatia superior & inferior, tota item Hercinia, totusq; Rhenus ab Argentorato Basileam usq; amœnissimo ac incomparabili prospectu videri potest. Incendium in paruis Abbatissæ balneolis ortum dicitur. Hæc Argentinam postea concessit, ubi hoc adhuc vivit currente Jubileo. Cœnobium, ab Episcopo Argentinensi occupatum, à duobus aut tribus monachis nunc habitatur.

TUI-

TUICIENSE, Benedictinorum monachorum ampliſſimum opulentiſſimumq; cœnobium, è regione Coloniæ Agrippinæ in dextra deſcendentis in Belgicum Rheni ſitum, fundatum eſt annum Chriſti circiter 1012. ab Heriberti Archiepiſcopi Colonienſis germano fratre quodam, Comite Rotemburgio ad Tubarum, cujus tamen nomen mihi non conſtat. Is in magna difficultate, crudele Hattonis Moguntini Archiepiſcopi exemplum imitatus, ingentem mendicantium pauperum, ut inutilem multitudinem, in horreum ruri ſitum convocatam, incendio cum deleviſſet, ſceleris tanti pœnitentia tandem ductus, Romam Pontifici ſupplicatum venit, à quo abſolutus cum juberetur cœnobium conſtruere pro talis peccati ſatisfactione, Coloniæ fratrem Archiepiſcopum convenit, cujus conſilio pariter ac auxilio in perveteri oppidulo Tuicienſi, eoq; ipſo loco (ubi antiquitus *Tuiſconis* primi Germanorum regis caſtrum fuiſſe affirmant) oratorium & domum Dei condidit, in qua pietatis & literarum florerent ſtudia, Deoq; recte ſerviret & probe etiam inſtitueretur ſcholaſtica, eccleſiæ & reipub. aliquando ſervitura juventus. Catalogus hujus loci gubernatorum talis à me illic collectus & conſcriptus eſt.

Alter Hatto Moguntinus.

Oppidulum Tuicienſe, olim Tuiſconis ſedes.

1. *Fulbertus* primus Abbas per Heribertum fundatorem ipſum conſtitutus eſſe legitur: cui ſucceſſere

Abbatum ordo.

2. *Radolphus.*
3. *Werimboldus.*
4. *Otho.*
5. *Hartmannus.*
6. *Rudolphus.* Hic tribus ſimul Abbatiis præfuit potentiſſimis, Tuicienſi, Werthinenſi & Indenſi. Noviſſime cum Epiſcopatum Oſnabruggenſem affectaret, veneno ſublatus periit.
7. *Luitfridus.*
8. *Bavo.*
9. *Marquardus.*

Rupertus Abbas Tuicienſis πολυγράφος.

10. *Rupertus*, omnes ſui temporis magiſtros literarum ſcientia, eruditione & doctrina antecellens, libros plurimos compoſuit, quorum hæc ſunt nomina.

Expositio Evangelii secundum Joannem, lib. 14.
Apologeticum ejusdem operis, liber unus.
Tractatus super librum Geneseos, libris novem absolutus.
Tractatus super librum Regum. (libri 22.
Tractatus super librum Apocalypseos, lib. 12. & iterum
Opus de Officiis divinis, lib. 72.
De S. Trinitate in vetus Testamentum, lib. 42.
In librum S. Job, libri decem.
Expositio super 12. Prophetas minores, libri 30.
Liber de processione Spiritus sancti.
Liber de victoria verbi Dei, lib. 13.
Expositio super Cantica canticorum, lib 7.
Expositio super regulam Benedictinam.
Meditationes de incendio oppidi Tuiciensis, libri tres.
Disputatio Christiani atque Judæi.
Liber metrice compositus.
Expositio Evangelii super Matthæum.
Opus de gloria & honore filii hominis.

Et hæc ingenii sui monumenta ferè omnia dedicavit Friderico, Archiepiscopo Colonienſi: quædam etiam Chunoni, Episcopo Ratisbonenſi, antea Abbati Sigeburgenſi. Huic Abbati iterum succesſere.

11. *Rudolphus.*
12. *Gerlacus.*
13. *Hartobernus.*
14. *Rembodo.*
15. *Theodoricus.*

S. Cornelii Cœnobium.

16. *Florentius*, qui & Indenſi, hoc est, S. Cornelii monasterio, prope Aquisgranum sito, præfuit eodem tempore: ubi etiam honorifice depositus ac terræ mandatus est.

17. *Godefridus.*
18. *Bruno.*
19. *Joannes.*
20. *Henricus.*
21. *Philippus.*
22. *Waltherus.* 23. *Jo-*

23. *Joannes.*
24. *Wernherus.*
25. *Embrico.*
26. *Otho.*
27. *Franco de Leyten.*
28. *Alexander de Lullſtorff.*
29. *Meinricus Fridachius*, Marcenſis, Abbas viceſimus nonus.
30. *Albertus de Steinhuß*, id eſt, lapidea domo, Montenſis.
31. *Henricus Laner* de Breitbach.
32. *Bertholdus Spreng*, Marggenſis.
33. *Wilhelmus Laner*, de Breitbach, qui monaſterium Tuicienſe reformavit & ad unionem Burſfeldenſem feliciter reduxit, vir pius ac religioſiſſimus.
34. *Gerlacus de Breitbach.* De his omnibus præter nuda nomina nihil in literas relatum eſt.
35. *Henricus Horſt* de Nuſſia eligitur anno Domini 1512. Præfuit annis 33. Deceſſit ex hac mortali vita anno ſalutis Chriſtianæ 1545.
36. *Henricus Uredenus*, Weſtphalus, ex Monaſterienſi ditione natus, ſucceſſit Horſtio. Is præſidebat adhuc anno Domini 1550. quo ego Colonienſia monumenta inſpiciens, & Tuicium etiam inviſens, nihil ferè ibi inveni monumentorum celebrium, quàm magnificum tumulum S. Heriberti, Archiepiſcopi Colonienſis, Comitis Rotenburgii, veri fundatoris, qui ſitus eſt in principaliore ac perfectiſſimæ rotunditatis Baſilica. In ipſo tumulo Epiſcopi inventa eſt tabula plumbea ad caput antiſtitis cum tali inſcriptione ſoluta:

Anno ab incarnatione Domini noſtri milleſimo viceſimo primo, 17. Kalend. Aprilis obiit Heribertus, ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, qui de ſuo proprio ſumtu hoc monaſterium fecit.

Ad pedes vero Epiſcopi inventa eſt talis inſcriptio in eodem ſarcophago.

Heribertus, Colonienſis Archiepiſcopus, conſtructor hujus Eccleſiæ, anno incarnati Verbi milleſimo vigeſimo ipſam conſecravit in honorem Salvatoris mundi, ejusq; Genitricis.

VACCARUM RIVUS, vulgo Kübachium, à vaccis (ex quarum pastione vixerunt initio, ut ferè hodie adhuc, ejus loci religiosæ personæ) & à rivo prætereunte (qui anonymus non procul inde in Parrium fluviolum incidit) dictus locus, monialium Benedictinæ professionis præclarum cœnobium, in ejusdem nominis marca Bavarica, medio ferè itinere inter Schrobenhusium ac Aichachium oppida Bavarorum sita, constructum, fundatum ac munifice donatum esse legitur annum Christi circiter 1108. à Comitibus de Wittelsbach hoc modo. Recuperarat è potestate Saracenorum, occuparatq; magna virtute ac laude Hierosolymam & alias Palæstinæ civitates victoriosissimus Lotharingiæ Dux, Godefridus Bullionensis anno Domini 1099. Proficiscentibus igitur certatim jam ex omni orbis terrarum parte ad videndam terram sanctam & sepulchrum Domini nostri JESU Christi omnibus omnium ordinum hominibus, peregrinatus est eò religionis etiam ergo illustris Comes Wittelsbacensis, Adalbero, relinquens domi uxorem Alberadin gravidam. Adalbero ad terram sanctam venit incolumis, visisq; locis sacris ac peregrinis, in patriam redire ocius contendit: sciebat enim uxorem vicinam jam esse partui. Reversus in Germaniam incidit intra peregrinandum in subitum ac insperatum morbum, quo consumtus obiit, priusquam patriæ appulisset. Comitissa Alberadis certior facta de charissimi sui mariti morte ac inopino interitu, ipsa etiam in tali terrore ac trepidatione infeliciter è partu laborans & animi mœrore & difficultate pariendi, unà cum ipso infante miserabiliter & magno totius familiæ luctu extincta est. Ibi filia Adalberonis ac Alberadis unica, Domina *Wilburgis*, tantis doloribus perculsa, & sese & sua omnia Deo Opt. Max. & eidem pie ac religiose servituris personis tradere statuit: adjutaq; ab aliis Comitibus Wittelsbacensibus, cognatis suis, hoc cœnobium construit, cujus ipsa prima Abbatissa & gubernatrix designata esse scribitur. Cui successit postea Domina *Adelheidis*, & ipsa Comitissa Wit-

Godofredus Bullionæus.

Comitis Wittelsbacensis peregrinatio Hierosolymitana.

1.

2.

Wittelsbacensis. Visitur hodie adhuc in ejus templi (quod singularem præ se fert antiquitatem) parva & humili quadam crypta, quæ est sub ipso monialium choro, saxum cum tali inscriptione elegiaca.

Continet iste locus Comitis laudabile corpus.
Albrat enim fertur flebile, quod moritur.
Francia quam dederat, gaudens hæc terra fovebat:
Dum vixit, studuit optima, quæ potuit.
Qui legis hoc carmen, poscas sibi (te precor) exhinc
Unde ruit culpa, quo redeat venia.

Consecratum est cœnobium hoc anno Domini 1121. sub Imperatore Henrico V. ab Hermanno, Episcopo Augustano, Comite Wittelsbacensi, magno ejusdem benefactore. Cumq; paulo post incendio periisset, ab Adelscalco, Comite Wittelsbacensi, ejusque uxore Wilbirgi denuo instauratum legitur.

Donatum vero est hoc ipsum cœnobium liberalissime postea ab Othone majore, Comite Wittelsbacensi, eo nimirum, qui à Barbarossa Imperatore ducatui Bavarico præfectus esse legitur, fundatorq; fuit plurium cœnobiorum ac templorum liberalissimus, Undisdorffensis scilicet ad Glanum amnem, & Ensdorffensis ad Vilsum amnem, in Norico siti, quorum prius Canonicorum regularium S. Augustini elegantissimum est in superiori Bavaria domicilium: posterius vero Benedictini instituti monachorum collegium insigne. Idem Otto, Palatinus Wittelsbacensis, celebris olim Teutonicorum fratrum domus in oppido Aichach author ac fundator fuisse in veteribus diplomatibus invenitur: de quibus omnibus plura aliquando in Undisdorffensis cœnobii annalibus commentabimur. *Undisdorff. & Ensdorffense cœnob.*

Abbatissarum Kubacensis hujus loci non extat integer catalogus, proximæ tamen nostro huic seculo hæ præfuerunt. *Abbatiss. Successio.*

3. *D. Barbara Huffneglin* eligitur anno 1466. Præfuit annis 20. Obiit anno 1487.

4. *D. Scholastica Stamlerin* præfuit annis 17. Obiit anno 1504.

5. *Juliana Holtzbeckhin* præsedit annis 16. Obiit an. 1520.

6. *D. Scho-*

6. *D. Scholastica ab Haslang*, nobilis virago, obiit anno Domini 1536. cum laudabiliter præfuisset annis sedecim.

7. *D. Veronica Bollingerin*, non Abbatissa quidem, sed administratrix, post defunctam D. *Scholasticam*, præfuit per septennium penè, donec iterum unanimi sororum consensu anno Domini 1544. eligeretur

8. *D. Maria Reehelingerin*, Patricia Augustana, confirmata Jubileo, hoc adhuc currente anno 1551. feliciter ac utiliter præsidet. Hac ferè de hoc cœnobio annotari potuerunt, quæ communicavit mihi ejus loci Decanus, *Dn. Georgius Hallerus*, patria Schrobenhusanus, qui in hoc ipso sibi suæq; pastorali curæ commisso districtu primus instituit Festum commemorationis septem dolorum beatæ virginis Matris: de qua re tale meum templo affigi fecit epigramma. *G. Haller.*

Conficiare tuis ne sola doloribus ægris,
Virgo, parens Domini Diva Maria mei,
Solennem post Pascha diem tibi dedico, Phœbus
Quem decimum nonum semper ab axe trahet.
Constuat hanc nostram populus quo totus in ædem,
Et peragat festum femina virq; tibi.
Exorans Natumq; Patremq;, ut ceu tibi in istis
Adfuit ærumnis, virgo Maria, tuis.
Sic quoq; nos nusquam, lacrymantes atq; gementes,
Gratia clementis deserat ipsa Dei.
Hoc tibi Virgo dedi generosa, Georgius ipse
Hallerus, templi pars quota parva tui.

VINEARUM, Germanicè Weingarten/potentissimum amplissimumq; Instituti Benedictini cœnobitarum in Constantiensi diœcesi domicilium non procul à Ravensburgo, Imperiali Suevis civitate, in perveteri pago Altorff ad Schussium amnem eo ipso sed paululum editiore loco situm, in quo antiquitus patria, natale solum & avita sedes principum Altorffensium fuit, ac ex eorundem semine natorum Gwelphonum, potentissimo-

simorum olim Sueviæ regulorum, id inquam ex arce ducali in domum Dei conversum pietatisq; ac literarum gymnasium esse cœpit annum Domini circiter 800. temporibus nimirum Caroli Magni, ex liberalitate ac munificentia Dominæ *Irmentrudis*, illustris Comitissæ, quæ nobilissimam viraginem Croniſſam & primos Guelphones edidisse dicitur: de quorum origine talis narratur sive historia sive fabella. Vidisse Dominam *Irmentrudin*, quod paupercula quædam civis adjacentis oppiduli Altorffensis uno & eodem partu tres filios ederet, quibus visis, dixisse eam, *impossibile esse, ut sine adulterii macula tot filios ex uno marito femina simul excipere potuerit: vere esse adulteram & adulterii pœna dignam.* Ibi sequente anno etiam illam gravidam factam simul edidisse absente marito duodecim infantes admodum parvulos: timore itaque ac metu perculsam, ne & ipsa jam adultera esse existimaretur, jussisse, ut relicto uno tantum filio reliqui in proximum fluvium deportati abjicerentur. Hos dum ancilla in præterfluentem rivum Schertzium portat, venit casu aut Dei potius ordinatione accitus princeps Altorffensis, infantum verus pater, quærens quid ferat ancilla? Quæ cum responderet, catulos esse: Videamus quæso (inquit Princeps) *videamus amabo, si qui nobis ex illis placerent, quos tolleremus.* Ancilla ostensuram sese negans, ecquid istas sordes intueri velit, Principem increpat. Is vero instat, puerosq; undecim videns, parvulos quidem, sed egregia forma conspicuos, mox cujus sint, inquirit? Audiens vero & discens ab ancilla totam rei seriem & (quare expositum traditi essent) causam, puellos sive catulos istos (quos nos Germani materna nostra lingua *Guelphen* vocamus) molitori cuidam in ea ipsa vicinia habitanti alendos & educandos tradidit: ancillam ad heram, cui abjectos infantes diceret, redire jussit. Postea elapso sexennio pulchre vestitos pueros in arcem suam afferri Princeps jubens, conjugem, ecquid agnoscat hos? quærit. Ibi ipsa deportatorum infantum memor, mox ad genua mariti procidens veniam commissi petit. Maritus ignoscit & gratitudinis ergo pro divinitus servata tam numerosa prole, in ipso Altorffensi oppidulo, cœnobium monialium initio, in tantæ rei perpetuam memoriam construit. Hanc istius monastici loci

De Guelphonum sive Catulorum origine.

Nitimur in vetitum semper cupimusq; negata.

originem, hoc verum exordium esse, non exullis quidem veteribus scriptis (quid enim annotarunt? quid non potius neglexerunt somnolenti & ignavi illi superiorum temporum scriptores?) sed ex multorum senum (qui eadem sese à suis parentibus & majoribus audivisse narrabant) non falsa relatione compertum habemus.

Sic Cyrum puerum, mox Regum Persidis unum
Servavit Domini provida cura Dei.
Sic & Romulus & Remus servantur in undis:
Et dux Hebræus cornua fronte gerens.
Quos vult mundus enim extinctos, quos deserit atq;
Negligit, hos vere suscipit ipse Deus,
In sublime ferens, velut hos quoq; sustulit, atq;
Famosos toto fecit in orbe duces:
Hos inquam infantes catulorum nomine notos,
Jusserat exponi quos male cauta parens.

Donatum vero legitur hoc cœnobium à multis magnis Principibus, primum à Guelphone vel Catulo primo, Comite Altorffensi, ejusq; filia, Domina Juditha, Ludovici Imperatoris cognomento Pii uxore: ab hoc ipso item Ludovico Pio, Caroli Magni filio: à Friderico Barbarossa, qui dedit inter cetera calicem 25. marcarum auri: ab Henrico Superbo, Saxonum & Bavarorum Duce, & ejus conjuge, Domina Gertrude, Lotharii Imperatoris filia. Ab Henrico item Leone, Saxonum, Bavarorum & Brunswicensium duce, quem seditiosum in se Fridericus Imperator in exilium pepulit. A Domina Khunigunde, Imperatoris Philippi filia, Othoni Regi desponsata. Ab Othone item, eodem Bavarorum & Brunswicensium Duce, contra Philippum Regem electo. A Leopoldo, Austriæ quodam Duce &c. Et breviter, ab omni Guelphonum posteritate, in Vineis sepulta, cujus talem reperio genealogiam & ordinariam successionum seriem.

Isen-

Isenbardus, Warini Altorffensis principis filius, vixit temporibus Pipini & Caroli Magni, anno 752. & 780. Hujus liberi fuerunt.

Primus Guelpho, ex Irmentrude, prima Altorffensis cœnobii inchoatrice, genitus. Legitur vixisse annum Christi circiter 820. & ex conjuge excepisse		Bertha, primi hujus & Senioris Guelphonis germana soror, Othoni nupsit Comiti Buchornensi, fundatori nimirum cellæ Pantaleonææ.
Judithamfiliam, Imperatori Ludovico Pio desponsatam.	Ethiconem, Comitem Altorffensem, in Ammergovienſi cœnobio, à se fundato, sepultum, cujus liberi fuerunt	
Luitgardis, Regina Francorum & Bavarorum.	Henricus Comes.	Barbo, à Danis in mare projectus & suffocatus anno 880.

Is Henricus, Altonis monasterii fundator, ex Domina Beata, utque alii vocant Hatta, Comitissa Pogensi ac Summuntoriana, Bavara, excepit

S. Conradum, Episcopum Constantiensem, qui obiit an. 976.	*Rudolphum*, Comitem Altorffensem, qui obiit anno 940. & ex Domina Ita, nobilissimi Comitis Chunonis de Oeningen filia, sustulit	*Ethiconem* secundum, Comitem Altorffensem, qui Augustanæ urbis factus Episcopus, quinq; illic annis & sex mensibus præfuit, ac cœlebs obiit anno gratiæ 988.
Guelphonem secundum, qui monachos ex Altonis monasterio Bavarico Altorffum, moniales vero Altorffenses ad Altonis monasterium transtulit. Is ducta uxore Domina Immissa, ducissa Ostrofrancorum à Glisberg, Altonis monasterii ampliatrice, factus legitur ex ea pater.	*Henricum* Comitem, qui in venatione periit, circa Lewenium, Atheſinæ provinciæ arcem, saxo, è summis alpibus decidente, percussus.	

Chunisse vel Kunegundis, quæ desponsata legitur Marchioni Estensi Azoni, Italiæ regulo.

Guelphonis tertii, qui Dux Carinthiæ & Norici factus transtulit monasterium S. Martini Altorffense in montem, & ex arce (quæ nuper, anno videlicet 1053. conflagrarat) monasterium faciens, novum ei Vinearum nomen indidit primus, Abbatemq; primum in eo postea constituit anno Dñi 1094. Is ex Chunisa quadam conjuge sua excepit

Guelphonem quartum, Ducem Norici ac Bavariæ, extructorem & liberalissimum illustratorem Vinearum cœnobii, qui ex Domina Juditha Anglorum Regis filia (quæ anno Domini 1094. dedit Ecclesiæ novi monasterii, inter multa alia præclara ornamenta, etiam preciosissimum thesaurum sanguinis Dominici, quem se ejus loci cœnobitæ hodie adhuc habere jactant) sustulit

Guelphonem quintum, qui Vinearum monasterio subjecit Cellam Pantaleonis anno salutis 1130. Is sine liberis decessit. Sepelitur cum Avo, patre ac matre in Vinearum monasterii sacello, quod S. Oswaldo dicatum est.

Henricum, Ducem Bavariæ, qui cœnobium S. Martini in Vineis iterum de novo construxit & ampliavit anno 1124. sub Abbate Cunone, in eoq; tandem post conjugis obitum monachus factus legitur. Obiit in castro Ravenspurgensi. Sepelitur prope majores suos omnes in sacello S. Oswaldi.

Hic antequam monachus fieret, ducta uxore Domina Wulphildi, Saxoniæ Duciſſa, ſuſtulit ex ea

Guelphonem sextum, cognomento largum & liberalem, magnum benefactorem hujus Vinearum cœnobii, cui donodedit Pergenium & Willerium.

Judithan, desponsatam duci Suevorum Friderico, matrem Friderici Barbarossæ Imperatoris.

Sophiam, Bertholdo Stiriæ Duci nuptui traditam.

Wulphildin Rudolphi Bregantini Comitis conjugem.

Is

Is Guelpho sextus ex Domina Utha,
Palatinissa Caloviensi vel
Kalbensi, excepit

Guelphonem septimum juniorem, qui Imperatoris
Friderici castra sequutus occubuit in Italia,
non relictis hæredibus.

Est in hoc magnifico cœnobio omnium Guelphonum celebris sepultura in sacello S. Oswaldi: ubi in subterranea crypta Guelphones omnes ordine positi sedere tanquam in Senatu dicuntur. Hanc cum aliquando Imperator Maximilianus aperiri jussisset, aliquemque immisisset, qui cadavera intus videret & de ipsis certi aliquid renunciaret, extinctus ille statim dicitur ex mortifero vapore, qui obvius prodiit intromisso speculatori. Est vero & alia Baronum de Khungsegk magnifica ibi sepultura. In introitu templi pendet costa stupendæ longitudinis, quæ fororis S. Othmari, primi Sangallensium Abbatis, fuisse dicitur. Catalogum hujus loci Abbatum talem mihi mihi communicavit egregie doctus ejusdem cœnobita & Prior, Dominus *Nicolaus Hesselinus Entringerus*, homo literarum studia omnia mirifice colens, humanitate vero præditus tanta, ut vel ex ea sola doctrinam ac eruditionem tanquam leonem ex unguibus deprehendere possis.

Guelphonum sepultura.

Costa fororis S. Othmari.

Abb. Catalogus.

1. *Beringerus*, primus monasticæ religionis in Vineis plantator, vir eximius & qui spiritualis disciplinæ norma, rudes discipulorum animos præclare ac diligenter excoluit & informavit, constituitur Abbas anno Domini 1094.

2. *Adilhelmus* successit Beringero, egregium suis discipulis melioris vitæ exemplum præbens: quod verbo enim docuit, virtutibus, piisq; moribus & opere implevit.

3. *Herricus*, piæ & simplicis conversationis homo, post Adilhelmum, gregem sibi commissum in via veritatis stabili tenore direxit.

4. *Walicho Herrico* subrogatur, vir pius ac religiosus.

5. *Chuno à Waldburg*, vir generis & morum nobilitate illustris, librorum Augustini diligens scriptor pro augenda Bibliotheca, præfuit annis 1124. & 1130.

6. *Geb-*

6. *Gebhardus* præfuit paucis menſibus & obiit.

7. *Burcardus* ſedit ad clavum non per annum integrum & exauthoratur.

8. *Arnoldus*, egregius fuit conſtructor & exædificator non ſaxeorum tantum & ligneorum monumentorum in cœnobio, ſed magis precioſarum virtutum in ſuis cœnobitis.

9. *Diethmarus*, vir nobilis in Transalpinis regionibus natus, ex Hirſaugienſi cœnobio aſſumtus eſt in Abbatem Vinearum, ubi præfuit & profuit annis 30.

10. *Marquardus* diu feliciter & utiliter præfuit, tandem amotus, quod ſenio confectus repueraſceret.

11. *Wernherus* curavit dedicari año Domini 1182. templum cœnobii ab Hermanno, Epiſcopo Conſtantienſi.

12. *Mengoſus*, ex Reichenbacenſis monaſterii Abbate Vinearum Abbas deſignatus, vir pius & integer, turrim monaſterii conſtruxiſſe ex imis fundamentis legitur.

13. *Hermannus* de Pirchtenwiler obiit anno Domini 1213. Sub eo iterum dedicatum eſt templum anno Domini 1207. à venerabili Epiſcopo Conſtantienſi, Conrado ſecundo, in honorem S. & individuæ Trinitatis, ſanctæq; Crucis, Beatæ virginis Mariæ, omniumq; cæleſtium virtutum; præcipue vero in honorem ſanctorum Martini ac Oswaldi.

14. *Bertholdus* ſucceſſit Hermanno. Sub ejus gubernatione cœnobium fulmine tactum & combuſtum eſt anno Domini 1227. quod ipſe tamen præclare iterum inſtauravit.

15. *Hugo*.

16. *Conradus*.

17. *Brandizo*.

18. *Conradus de Ibach* eligitur anno 1354. Præfuit annis novem.

19. *Henricus de Ibach* ſucceſſit Conrado anno 1363.

20. *Ludovicus de Ibach* & Haldenberg.

21. *Joannes Eſſendorpius* præfuit anno 1418.

22. *Joannes Blaurerus* præfuit an. 1420. & anno gratiæ 1437.

23. *Erhardus Freidangk* præfuit anno 1462.

24. *Jo-*

24. *Jodocus Pentelinus* extinctus est animi dolore anno 1477. quod eo anno vidisset conflagrare iterum novo incendio cœnobium suum, in ipso festo Ascensionis Domini, neglecto lumine in stabulo à puero Hartmanno, qui postea hujus loci Abbas factus est.

25. *Gaspar Schiegk* obiit angina anno 1491.

26. *Hartmannus de Burgaw*, cujus incuria antea incensum cœnobium perierat, jam in ejusdem reparatorem & rectorem eligitur anno 1491. Præfuit fideliter & utiliter annis ferè 30. Incœpit reædificare ambitum. Decessit ex hac vita apoplexia anno 1520.

27. *Gerwicus Blaurerus*, patria Constantiensis, vir doctrina & prudentia tantus, ut summis etiam orbis Principibus à præcipuis sit Imperii consiliis, eligitur anno Domini 1520. Præsidet hoc adhuc currente Jubileo & Vinearum & Ochsenhusensi cœnobiis splendide. Reædificavit Abbatiam & alia multa: primusq; Vinearum cœnobio mitram intulit, cum præcessores Abbates tantum pedo fuissent antea insigniti. In hujus gratiam tale aliquando lusi Idyllion.

Mitram quando Abbates cœnobii Vinearum impetrarint.

De fundatione Cœnobii Vinearum.

Guelphones veteri, Suevorum sanguine nati,
Altorffi Comites, ex Irmentrude parente
Progeniti primum, quin è Pogense Beata,
Bojorum Comitissa illustri & relligiosa,
Eximia virtute duces super æthera noti,
Artibus ut pacis, sic bello animisq; celebres,
Hanc Wingartensem moti pietatis amore
Construxere domum Triadi sanctissimæ, & ipsi
Æternæ matri, quæ nobis totius orbis
Diva redemtorem genuit, Crucis atq; in honorem,
In qua passus homo & Deus est pro crimine nostro.
Martyri & Oswaldo & Martino antistiti, ut illic
Doctorum & studiosorum veneranda virorum
Turba Benedicti mores vitamq; professa,

Per-

Perpetua coleret ſummum pietate Tonantem,
Diſceret & caſtas ſanctus quas Spiritus artes
Humano generi varios monſtravit ad uſus.
Septimus huic viceſimus & nunc imperat Abbas,
Gerwicus Blaurerus, honor clariſſimus urbis,
A Conſtantino quæ fertur nomen habere,
Extructore ſuo: doctrina conſilioq;
Maximus & fidus tibi conſiliarius iſto
Tempore, Germanæ victor ter maxime gentis,
Carole Quinte. Is viginti ſex præfuit annis,
Hoc quo Carolus Imperium ſibi ſubjugat anno.
Utq; diutius huic præſit feliciter, ipſe
Præſtet Olympiaco Chriſtus qui præſidet orbi.

Cella D. Pantaleonis in Innhofen.

Duobus milliaribus Germanicis ab hoc cœnobio eſt Cella Divi Pantaleonis in Innhofen, infra Buchornam Imperiale oppidum ad lacum Acronium ſita, monialium olim Benedictinarum cœnobium, à Domina Bertha, Buchornenſi Comitiſſa, Guelphonis ſenioris germana ſorore fundatum, & ab Epiſcopo Conſtantienſi, S. Conrado, Comite Altorffenſi, in honore S. Trinitatis ſanctæq; Crucis, ac D. virginis Mariæ, ſanctorumq; Pantaleonis & Stephani dedicatum annum Chriſti circiter 950. De ejus origine tale à me luſum eſt ſuperioribus annis ſchediaſma heroicum.

Buchornenſis Otho, Comes inclytus atq; opulentus,
Cum Bertha conſorte thori hac jacet æde ſepultus:
Illa timore Dei pleniſſima condidit iſtam
Virginibus caſtis Chriſtumq; colentibus ædem:
Quo Conradus erat tuus, ô Conſtantia, præſul
Tempore, ſanctus Epiſcopus: hæc qui Pantaleoni
Ac divæ matri ſanctiſſima templa dicavit.

Comitibus vero de Buchhorn, ſine legitimis hæredibus mortem obeuntibus, ad Guelphones principes Altorffenſes devolutum ac Weingartenſi monaſterio una cum templo S. Andreæ (quod vera parochia eſt Buchhornenſis oppidi) nondum incorpora-

poratum quidem, sed subjectum tamen esse legitur anno Christi 1130. juxta sequentis diplomatis tenorem.

Guelpho, Dei gratia Dux Noricorum, universis hujus ætatis & futuræ salutem & omne bonum. Audientiæ omnium vestrum duximus ventilandum, quod nos monasterii in Wingarten beneficia, ex præclaris nostrûm parentibus à primaria fundatione collata cupientes accumulare, cellam de Buchhorn, in honorem S. Pantaleonis fabricatam, cum Ecclesia S. Andreæ in nostram Jurisdictionem à viro illustri Othone, Comite sancti loci, cum omni patrimonio suo juste ac legaliter devolutam, provisioni vel regimini Cunonis Abbatis memorati monasterii ac omnibus suis successoribus committimus & devote subjicimus: quatenus sanctimonialibus, Deo & sanctis sub professione regulari illic famulantibus, de Priore ad regendum ipsas & curam plebis' habendam apto provideant, ibidemque regularem vitæ disciplinam procurent custodire. Interdicentes, ne aliquis nostrorum successorum aut hæredum, ad quos justa successione devenerit Advocatia Wingartensis, præscriptæ cellæ Advocatiam præsumat alienare aut ullo modo alicui infeudare. Quod si quis ex ipsis immemor hujus decreti hoc violaverit, vi careat & nullius sit firmitatis: sed in civium, sicut in ecclesiastica similiter, protectione seculari fabrica præscripta nostrorum recolendæ memoriæ progenitorum inseparabilis adhærebit. Datæ & ordinatæ apud Altorff in Epiphania, anno Dominicæ incarnationis 1130. regnante Lothario Imperatore. Astiterunt huic commissioni Heinricus frater noster, Rodolphus, Bregantiensium Comes, Popo, Comes de Kyburg, Marquardus, Comes de Schwartzache, & alii quamplurimi.

Dedicatum est denuò à Conrado secundo, Episcopo Constantiensi, anno Domini 1215. in Februario.

Habuit hoc cœnobium gubernatrices Magistras, plerunque nobili genere natas. Harum postremæ fuerunt *Catharina Mortellina*, *Domina Agnes à Bergen*, *D. Agnes ab Anwil*, *D. Ursula Hoiwarina* omnium ultima, quæ præfuit anno Domini 1420.

quo anno inter ipsam eiusq; contubernales sororculas non admodum pudice viventes, unius, & Joannem Blaurerum, Abbatem Vinearum, alterius partis disceptantes talis conventio facta, inita & utrimque accepta est, præsentibus Othone tertio, Episcopo Constantiensi, & Joanne Dapifero Waldburgensi, S. R. Imperii in superiore & inferiore Suevia præside, ut fieret ex hoc Divi Pantaleonis cœnobio Præpositura, quæ incorporaretur plene Abbatiæ Vinearum, ita tamen, ut mortuis monialibus, ea adhuc tempestate superstitibus, deinceps semper aliquis ex conventu Vinearum cœnobii Præpositus electus resideret in Pantaleonea cella, qui idem parochus etiam esset Buchhornensis oppidi.

S. Pantaleonis Cella & cœnobium fit Præpositura.

Primus itaque Præpositus ejus loci designatus est *Jodocus Dietheimerus*, Ulmensis, qui præfuit ab anno 1456. ad annum usque Christi 1482. Huic successisse leguntur ad hæc usque tempora.

2. *Joannes Lantzius*, Wingartensis, qui præfuit septendecim annis. Decessit ex hac mortali vita anno Domini 1499. tempore belli Helvetici.

3. *Jodocus Neykhumius*, Lindaviensis, præfuit annis sedecim. Valedixit mortali vitæ in terris anno Christi 1515.

4. *Joannes à Ramsperg*, nobilis genere, natus patre Marquardo à Ramsperg, matre vero Ursula à Frigkhingen, eligitur anno 1515. Præest adhuc anno hoc 1550. Ostendit ille mihi aliquando singulari humanitate multas veteres chartas & quædam diplomata, ex quibus talem Comitum Buchhornensium originem & genealogiam elicere potui, quam hoc loco in antiquitatis studiosorum gratiam & veteris optimæque familiæ honorem ac memoriam subjungere volui.

Udalricus, Comes Lintzgoviæ & Buchornæ, ex Caroli Magni posteris & prosapia natus, qui in Norico prædia habuit, & Ungaris Noricum incendio, cæde ac rapinis vastantibus obviam egressus, capitur & in Ungariam abducitur. Is ex Wendelgarda Comitissa de Eberstein (hæc neptis erat Imperatoris Henrici Aucupis, ex filia Hedowige, Burcardi Suevorum Ducis uxore) excepit Comites Lintzgoviæ & Buchornæ.

Adelhardum, natum multis annis ante quàm pater Ulricus ab Hungaris captus in Pannonias abduceretur. Is Sangallensi monasterio dono dedit oppidum Altstetten, in Helvetiis situm. Genuit filium unum

Burcardum, natum post patris, ex Pannoniæ vinculis (in quibus triennium perdurarat) liberationem, *ingenitum* dictum, eo quòd ex mortuæ matris utero excisus esset. Legitur is homo subtilissimi ingenii fuisse, vir honestissimus & summus Eleemosynarius. Abbas tandem Sangallensis, Claudus etiam ex pedis vitio cognominatus.

Richerum, Comitem Lintzgoviensem ac Buchhornensem, patrem Othonis fundatoris in cella Pantaleonis, cujus uxor Bertha, fundatrix prima, soror fuit Guelphonis senioris, Bavarorum Ducis. Otho obiit anno 1101. Sepelitur cum conjuge Bertha in suo cœnobio Pantaleoneo.

Mirabilis amor Comitis Buchornensis conjugis. S. Wibradæ cœnobium Sangallense.

Narratur de hac ipsa Wendelgarde, quod, cum audisset, abductum esse in Pannonias maritum suum, Ulricum Comitem, nec esse liberationis ullam amplius spem, mundanis rebus omnibus valedixerit & monialis facta sit Sangalli, inclusa S. Wibradæ cœnobiolo, consensu Salomonis, Episcopi Constantiensis, ipso anno Domini 916. in quo religiosissime vivens, Deoq; cum precibus, tum jejunio fideliter serviens, singulis annis in memoriam & honorem mariti (quem vita jam functum esse arbitrabatur) manibus ipsius Buchhorni parentare solebat. Cum vero anno 919. iterum, consentiente Episcopo, è Sangallo Buchhornam venisset parentandi mariti manibus & eleemosynas pauperibus elargiendi animo, accidit, ut Ulricus Comes ex Pannonica

captivitate liber eodem die (quo solennes ei exequiæ celebrarentur, & ab omni parte mendici ac pauperes catervatim & certatim concurrerent, accepturi stipem à Wendelgarde) lacero etiam habitu (pauperis mendici instar) Buchornam rediret. Accedentibus autem ad D. Wendelgardin catervatim pauperibus, ut acciperent eleemosynas, accessit & ipse, non accipiens tantum oblatam stipem, sed & manum dantis Wendelgardis fortius premens, & in omnium conspectu etiam osculans diuque tenens, quod inique ferentibus aliquot circumstantibus, quin & flagra & verbera tam petulanti mendico minitantibus comiter respondit: *Ignoscerent sibi, satis superq; jam flagrorum, miseriarum & calamitatum perpesso.* Wendelgardin vero etiam amplectens dixit: *En tuus ego sum Ulricus, quem superioribus annis captum amisisse te existimas, bonitate misericordis Dei salvus & incolumis tibi redditus.* Statim igitur agnitus, summo omnium gaudio exceptus est. Wendelgardis vero, per Salomonem Episcopum à voto absoluta, velo monastico depositio, ad maritum rediit, qui monasterio Sangallensi Hochstenses decimas in Rhenensi valle tradidit dono. Wendelgardis gravida inter pariendum obiit anno Domini 920. Infans vero, ex utero defunctæ matris excisus, *Burcardus* dictus & Sancto Gallo oblatus est, qui in monasterio liberaliter educatus & eruditus, tandem post *Cralochii* Abbatis obitum, Sangallensis Abbatiæ gubernator designatus est anno 959. Præfuit laudabiliter annis tredecim, & resignata postea iterum gubernatione diu adhuc superstes mansit.

Est non procul ab hac D. Pantaleonis cella, monialium ordinis D. Dominici insigne monasterium ad Aichium fluviolum, qui non procul inde in lacum Acronium se exonerat, situm, antiquitus Cœli gaudium, vulgari dictione Himelwunn / hodie vero Lewental / forte à fundatorum insigni, quod habet leones sex & virginem sine manu, aut potius à charitate quàm leonibus, Liebental dictum: id ex arce illustrium regulorum de Ravenspurg Aistegen dicta in monasterium conversum est, sed quo tempore, id ignoratur: donatum vero legitur, &

Lewental/ *monasterium sive* Liebental.

post

post primam ejus incinerationem quasi secundario fundatum anno Domini 1250. à Joanne, Equite aurato de Ravenspurgo, & ejus conjuge, Domina Tuta de Angelburg, prima ejus loci Prioriſſa illic humata, cujus maritus, Dominus Joannes, monastices etiam studioſus, Constantiæ Prædicatorum monasterium à se fundatum ingressus, illic reliquum vitæ cucullatus exegit, ubi & mortuus & sepultus est. Donatum legitur hoc cœnobium ab Illustribus etiam Baronibus de Bigenburg, Henrico patre, aulæ Regalis Camerario, & filio Friderico: à Friderico item de Bongaron Barone, strenuo ac opulento milite, ejusq; uxore, Domina Adelheide: à Diethone item de Ravenspurg, fideli regni ministeriali, ejusq; filiis, Henrico, Friderico & Joanne Baronibus. Hunc Diethonem eum esse credo, cui Fridericus Barbarossa primam conjugem suam Adelheidin, Marchioniſſam Vohenburgensem, (à qua Imperator propter sanguinis propinquitatem segregatus legitur per Episcopum quendam Constantiensem) tradidisse scribitur. Habuit vero & alios benefactores hoc cœnobium, qui cum prænominatis ibi sepulchra & reconditoria sua habent, Comites videlicet de Habspurg, ante summam aram humatos: Barones de Mastertzhoven, Equites auratos de Monte: Equites auratos de Raderach: imprimis vero & præcipuos, Comites de Monte forti, quorum regale est Mausoleum ibi in laicorum ecclesia cum tali inscriptione. *Dietho de Ravenspurg.*

Anno Domini 1305. obiit Comes Hugo de Thettnang, & uxor sua Mathildis Comitissa. Legitur bis esse combustum funditus, semper in festo S. Euphemiæ: semel à fulmine incensum, & postea iterum à duabus monialibus, invitis hoc loco habitantibus. Moniales ejus loci semper post annum tertium aliam sibi gubernatricem eligunt, quam Prioriſſam vocant: hæc erat, quo hæc scripsi, tempore D. *Lucia Velociana*, patria Constantiensis, corporis & ingenii bonis præstantissima, electa anno 1549. nata parente, viro clarissimo, Imperialium legum Doctore, qui cum tali epitaphio in Vinearum cœnobio terræ parenti redditus est.

Hic cubat egregie doctus Laurentius heros,
Qui legum Doctor Velocianus erat.
Corpus telluri, ast animam commisit Olympo:
Fama decens terris non peritura manet.

Ereskirchium. Paululum infra hoc cœnobium est Ereskirchium, pagus S.P.Q. Buchornensis, medio ferè itinere inter Buchornam & longum Argovium ad Schussium amnem illic in lacum exeuntem situm. Ejus pagi templum primum omnium dicitur esse, quod ad lacum Acronium est conditum, unde pago nomen inditum esse, incolæ affirmant.

❁ ❁ ❁

URSINIUM vel (ut nunc corrupte dicitur) Irsingum, olim castrum, eo ipso loco conditum, ubi hodie S. Stephani templum in editiore colle conspicitur, nunc vero monasterium ordinis ac instituti Benedictini amplissimum ac pulcherrimum, *Kauffburn.* paululum infra Kauffburnium oppidum imperiale non procul à Wertachio amne in mediis densissimisq; nemoribus situm, fundatum & locupletatum est anno Christi 1182. regnante Friderico Barbarossa, Suevorum Duce & præglorioſissimo Imperatore, ab Henrico Marchione de Rumsperg & ejus filiis, Godefrido ac Bertholdo, & Irmelgarde filia, in media ecclesia ibi sepultis cum tali inscriptione.

Hic generosorum feliciter ossa quiescunt
A Rumsperg Comitum Bertholdi & Godfederici,
Irmelgarde simul dilecta cumq; sorore.
Hujus cœnobii qui primi rite fuerunt,
Authores vera commoti religione.
Ergo Deo vivant æterna pace fruentes.

Henricus fundator, profectus cum Friderico Barbarossa ad recuperandam terram sanctam, obiit Neapoli anno Christi 1188. qui exceperat ex Udilhilde conjuge Godefridum primum filium, qui mortuus est Augustæ sub cura medicorum, & revectus inde ad Utenburram ibi honorifice est sepultus, postea ex Uttenburra ad Ursinense monasterium relatus una cum fratre Ber-

Bertholdo honorifico Mausoleo conditus est, sub Abbate ejus loci 23. Paulo Neccharo. Secundum vero filium Bertholdum, illustrissimum totius Sueviæ speculum, qui obiit in quodam conflictu prope Rhenum, iturus cum Othone excommunicato Imp. in Saxoniam. Irmelgardin item filiam, quæ nupsit Baroni cuidam de Ultimis, genuitq; Udalricum de Ultimis, magnum imprimis Urfinensis cœnobii benefactorem, habitantem in Adelburgo, Athesinæ regionis castro. Est in eodem monasterio celebris sepultura nobilium heroum à Bentzenaw, Joannis patris & Wernheri filii, qui vixerunt annum Christi circiter 1440. Item Joannis, Equitis aurati, qui obiit anno 1515. & Georgii à Bentzenaw, qui obiit anno 1535. reliquitq; filium Georgium Symbertum, eruditæ antiquitatis & antiquæ eruditionis amantissimum hominem, 18. liberorum parentem. Abbatum hujus loci talis extat catalogus. *Abb. Catalogus.*

Wernherus primus fuit monasterii Urfinensis rector, non quidem Abbas, sed tantum Prior, ex Isnensi cœnobio evocatus annum Christi circiter 1184. Is fretus auxilio Henrici Marchionis habitationem fratrum, eremum ibi in Ybergensi nemore densissimo colentium, è silvis transtulit in locum amœniorem, in montem videlicet Ursinum, idque factum est anno Christi 1185. Cumq; ibi & scholam & ecclesiam constituisset, ad monasterium suum Isnense, constituto prius loci Abbate & gubernatore, reversus est, vir venerabilis & admiranda vitæ innocentia & sanctitate præditus.

1. *Cuno* primus Abbas Ursini montis, ab Henrico fundatore, ac Domino Wernhero Priore, ex Utenburensi monasterio evocatus, constituitur anno Christi 1185. Is admonitus à Mengoso fratre sancto & sapientissimo transtulit sedem ex monte in pedem & planitiem adjacentem monti, idque in honorem Beatæ virginis, & sumtibus Henrici de Rumsperg fundatoris & Godfederici filii, cœpitq; ædificare habitationem paulo splendidiorem: antequàm tamen ista absolveretur, obiit Cuno Abbas. Annus autem & gubernationis, & quando decesserit ex hac vita, ignotum est.

2. *Ru-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

2. *Rudolphus* secundus, Abbas ex Ochsenhusio ascitus, vir eloquens & doctus. Is ædificans sacellum S. Nicolai, quod Paradisum vocant, sepelivit in eo & Wernherum Priorem primumq; gubernatorem,& Chunonem Abbatem. Is locus postea etiam fratrum monasterii & nobilium laicorum sepulturæ destinatus est, & primus vir nobilis ibi sepultus Waltherus à Bayswil fuisse legitur. Hoc sacellum consecravit Udalscalcus, Episcopus Augustanus, anno Christi 1188. Resignata tandem
4. anno Christi 1223. abbatiæ gubernatione, Rudolphus senio confectus ad cellam suam Ochsenhusanam rediit, & ibi post hebdomadas septem in Christo obiit. Invenitur hic Geboldus, Abbas Ursinensis, testis cujusdam donationis in Chronicis & diplomatibus Cæsarienſis monasterii, anno Christi 1220. qui coadjutor fortassis Rudolphi fuit : catalogi enim Ursinenses eum non habent.

4. *Albertus*, Abbas ex Utenburra desumtus, à Gotfrido, Marchione de Rumsperg constituitur anno Christi 1223. tempore Honorii Papæ, & Friderici secundi Imper. vir bonæ famæ, castus, fidelis, prudens & de monasterio hoc optime meritus, cui præfuit annis quinq;. Obiit anno Christi 1228. Sepelitur in medio sacello S. Nicolai & in tumulo Cunonis, cui inscripti sunt hi sequentes versus. Extrema circumferentia tumuli habet hos.

Præsenti busto sunt tres mares tumulati
Clerici, merito qui dudum sunt sociati.

In ipsa superficie tumuli sunt tres circuli, quorum superior habet hunc versum :

Albertus quartus Abbas hic condidit artus.

Medius hunc :

In media fossa Wernheri corporis ossa.

Inferior talem :

Ast Abbas primus, Chuno dictus, jacet imus.

5. *Conradus* eligitur anno Christi 1228. Præfuit annis 39. tempore Gregorii IIX. à quo Pontifice plurima impetravit suo monasterio utilia. Obiit anno Christi 1267.

6. *Udal-*

6. *Udalricus* præficitur anno Christi 1267. Sub hoc vidua quædam nobilis & opulenta Domina Gertrudis post obitum mariti sui, Henrici de Bickenriedt, plurima contulit ad monasterii hujus amplificationem, quæ in eodem monasterio humata est annum Christi circiter 1269.

7. *Henricus*, de quo nihil aliud invenitur, quàm quod magna sub eo fuerit charistia & annonæ difficultas.

8. *Hartmannus* præfuit annis 14. vir strenuus & fortunatus, & amator divini cultus maximus. Hujus temporibus Conradus de Ramschwag, Advocatus hujus monasterii fidelis, ecclesiam Ingenriedensem cum jure patronatus, & totam illam Advocatiam cum omnibus ad eam pertinentibus reditibus tradidit Ursinensi monasterio in liberam dotem. Obiit autem Abbas infirmitate hectica, quam ex curis contraxerat, eo ipso anno, quo gessit Imperator Ludovicus Bavarus bellum contra Fridericum Austriacum, & omnia ista loca cædibus ac direptionibus essent infestissima.

9. *Henricus* secundus, Prior antea cœnobii Augustani ad S. Ulricum, constituitur Abbas Ursinensis per Fridericum, Episcopum Augustanum. Præfuit annis septem, & fit Abbas postea Faucensis monasterii, quod alioqui Fussense dicitur & in Alpium faucibus situm est.

10. *Conradus* secundus, natus ex pago Horbeltshofen Constantiensis diœceseos, vir humilis & simplicis vitæ, sed ingenii subtilissimi. Erat aurifaber, sculptor & pictor egregius, ut adhuc in codicibus ac aliis clinodiis aliquibus videre est ejus subtile ingenium & ingeniosas manus. Is ambitum monasterii primus lapideum fieri & concamerari curavit anno Christi 1334. Fuit bonus œconomus, & locupletavit monasterium, quod fuerat jam propter bella, inter Ludovicum & Fridericum Imperii competitores gesta, ad extremam penè pauperiem redactum.

11. *Suiggerus* constituitur contra voluntatē Joannis à Ramschwag Advocati, nec diu cœnobio præfuit, sed mox expiravit. Quando autem obierit, id ignoratur.

12. *Henricus* tertius, cognomento *Zerrer*, præfuit 16. tantum hebdomadis & moritur.

13. *Udalricus de Altenstadio*, villici filius. Is multa est perpessus sub Joanne de Ramschwag Advocato anno Christi 1345. qui tamen pœnitentiam tandem agens multa bona contulit ad monasterium.

14. *Henricus* quartus, Udalrici antecessoris patruus, antea custos ecclesiæ, homo simplex, sed bonus gubernator, qui monasterio non præfuit tantum, sed & plurimum profuit.

15. *Joannes Albinus*, Utenburensis, fraternitatem instituit & fecit cum conventu S. Magni, qui est in faucibus Alpium, anno Christi 1366. Præfuit fideliter annis quinq;.

16. *Petrus*, nobilis de Baisweil, contra voluntatem Joannis de Ramschwag per Gerwicum de Baiswyl intruditur. Fuit infelix & infortunatus gubernator, & ita prodigus, ut & Crœsi divitias absumsisset. Sub eo reditus monasterii de die in diem minui ac prædia divendi cœperunt, ita ut tandem ad tantam redactum fuerit inopiam ac paupertatem, ut fratres omnes è cœnobio aufugerent, &, varie his dispersis, Abbas ipse etiam in parochiam Pforcensem secedere cogeretur, uno unico fratre manente apud Ursinum, qui hortos & vineas diligenter plantabat, & agriculturæ præerat, ei nomen erat Udalrico Franco. Abbate igitur exauthorato, postea Burcardus de Ellerbach, Episcopus Augustanus, gubernationem cœnobii commendavit & tradidit sorori suæ, Dominæ Annæ ab Ellerbach, in castro Kemnat tunc degenti. Hæc, cum aliquamdiu imperasset, non quidem, ut augerentur, sed ut indies decresceret bona monasterii, mulier ad se tandem reversa & cogitans, se injuste dilapidare hæc bona Deo dicata, nec bono titulo possidere domum Deo sacratam, vocavit unum de dispersis fratribus, Conradum videlicet Haufanum, virum nobilem, prudentem ac humilem, huic totam Abbatiam gubernandam commisit, qui invitus tantam curam suscepit, paratior futurus, si locuples fuisset monasterium ac opulentum. Interim Petrus Abbas depositus moritur & in loco capitulari sub vimineis cratibus sepelitur.

17. *Conradus Haufanus*, homo nobili genere natus, ad restituendum & instaurandum collapsum monasterium egregie ido-

idoneus (erat enim tenax & parcissimus, imo plus quam sordidus, qui ipse quoque ruri laborare & decimas colligere solebat, qua sola virtute cœnobium pristinæ dignitati præclare restituit, Divi Servatii, ut vulgo dicitur, egregius cultor, quem idcirco merito & recte juvit Vincentius) constituitur anno Christi 1399. Præfuit laudabiliter 23. annis, tempore Conciliorum Constantiensis & Basiliensis. Obiit autem anno Christi 1422. Sepelitur in sacello S. Nicolai, mox in ingressu ad latus dextrum. Is fratres septem ad monasterium revocavit & eos egregie aluit. Cumq; suo tempore periret monasterium universum incendio, excepta ecclesia & annexo choro, eximie non solum id instauravit, sed & turrim ac multa alia nova ædificia prioribus addidit ac de novo exædificavit. Habetur pro secundo hujus monastici loci fundatore.

Wer bälg der hat.

18. *Henricus* quintus, *Esseler* dictus, Campidonensis, vir providus, devotus & religiosissimus ceremoniarum observator, egregius etiam amplificator cœnobii optimusque œconomus, eligitur Canonice anno Christi 1422. Invenit thesaurum absconditum antecessoris sui immensum, quo adjutus egregie exornavit Ursinense cœnobium, in quo illustrando & locupletando dicitur insumsisse circiter 20. millia aureorum. Emit is ipse decem florenorum millibus egregiam villam Baiswil, nobilium à Baiswil olim sedem ac domicilium. Celebratur pro tertio fundatore, propter immensa beneficia monasterio præstita. Obiit senex & decrepitus anno Christi 1459. cùm præfuisset annis 37.

Baiswil.

19. *Petrus Alberti*, ex villa Ortringen natus, ex Elchingo vero accitus, vir religiosus & mediocriter doctus, eligitur anno Christi 1459. Præfuit annis 15. & propter plurimas infirmitates & non adeo prosperam valetudinem resignat Abbatiam fratribus anno Christi 1474. ac, etsi mox alius eligeretur, tamen iste Petrus adhuc manst in Abbatia per biennium, & obiit postea anno Christi 1476. plenus dierum & paralysi tactus: sepultus in ambitu ad latus ecclesiæ contiguum. Sanxit fraternitatem cum monasterio Ebensperg anno 1463. cum cœnobio vero Steingaden año Christi 1468. Eas fraternitates coluit summa animi dexteritate ac fide.

Ebensperg. *Steingaden, cœnob.*

20. *Matthias Steinbruckher* eligitur Canonice anno Christi 1475. Obiit anno Christi 1490. cum præfuisset annis quindecim: decessit autem Augustæ sub cura medicorum, & revectus Ursingum in Basilica sepelitur ad plagam meridionalem, juxta aram Rosarii, quam eodem anno in honorem Beatæ Virginis idem Abbas erexerat. Sub hoc Abbate cœpit anno Christi 1487. fedus Suevicum. Sub hoc ipso parochialis ecclesia in Baisvvil incorporata est cœnobio Ursinensi, quod impetravit à Pont. Max. Gaspar Seuboldus, ter eo nomine Romam ablegatus.

Fedus Suevicum.

21. *Othomarus*, Campidonensis, vietoris cujusdam filius, eligitur anno Christi 1490. Præfuit per decennium & aliquot menses. Obiit anno Christi 1501. Sub hoc Abbate anno Christi 1491. orta est seditio horribilis, consurgentibus in suos magistratus omnibus Campidonensis Abbatiæ totiusque Algoviæ agricolis, quorum quinque millia convenerunt ad Lubasum amnem: sed ea seditio citra multum sanguinem à Sueviæ confederatis pacata est.

Agricolæ seditiosi.

22. *Petrus Fendius*, Campidonensis, eligitur anno Christi 1502. Præfuit annis 30. mensibus decem. Obiit anno Christi 1533. Ab hoc Abbate, œconomo optimo ac gubernatore fidelissimo, totum monasterium, excepta ecclesia, de novo reædificatum & exornatum est spacio 21. annorum, ab anno videlicet secundo ad annum usque 23. Cumque jam per unum annum post reædificationem feliciter absolutam quietus vixisset, orta est in universa Germania superiori nova & incomparabilis rusticorum seditio, in qua anno Christi 1525. Ursinense monasterium iterum misere vastatum & incensum est, sed tamen postea opera ejusdem Abbatis egregie restauratum, cui, quæ deerant adhuc, ab insequenti Abbate Paulo fideliter sunt adjecta.

Rusticorum seditio.

23. *Paulus Neccharus*, & ipse patria Campidonensis, vir gravis, doctus & liberalis, sapientiæ cœlestis diligentissimus inquisitor, eruditionisque omnis politioris longe studiosissimus, eligitur canonice 24. Septembrium, anni à nato Christo 1533. Præfuit feliciter annis quindecim. Obiit 21. Martii anno 1549.

Is

Is ab anteceſſore ſuo reſtauratum monaſterium poſt ſeditionem ruſticam egregie & ædificiis pulcherrimis & inſigni Bibliotheca auxit & illuſtravit, hoc aliquando in mea præſentia aſſerens, *monachum ſine libris & librorum ſtudioſa inquiſitione ac lectione eundem eſſe, qui miles eſſet ſine gladio.* Hoc Abbate in gubernatione ſeu ad clavum Abbatiæ ſedente, ſpoliatum eſt monaſterium Urſinenſe anno Chriſti 1446. à Smachaldici federis aſſeclis, in Carolum V. Imperatorem ſuum tumultuantibus, qui tamen rapinis contenti nihil ibi librorum laceraruntnihil ædium incenderunt, nihil rerum & ornamentorum confregerunt, ruſticis in hoc aliquanto modeſtiores. Huic tale à me poſitum eſt epitaphion, petente id ejus ſucceſſore: *Monachus ſine libris quid?*

Hic ſitus eſt Paulus, cognomine Neccarus, Abbas
Utilis huic domui per tria luſtra ſacræ.
Qui quod vaſtarant injectis ignibus olim
Agricolæ mota ſeditione viri,
Id reparavit & inſtauravit pulchrius omne
Omnipotentis ope, conſiliisq; ſuis.
Si qualis fuerit, quæris? Sic iſtud habeto,
Doctus erat, pius & religioſus homo.
Authorum lector veterum ſtudioſus amansq;
Pauperie preſſis portus & aura viris.
Illius in Chriſti gremio mens inclyta vivit,
Ridet & hæc mundi gaudia vana levis.

In hujus Abbatis gratiam de monaſterii hujus origine & primaria fundatione tale aliquando Idyllion heroicum à me ſcriptum eſt:

Cæſare ſub Friderico, cui ſua nobile nomen
Barba dedit, fuit Hybergenæ Henricus eremi
Incola, præclarus ſanctæ pietatis amator.
Ille piis precibus Superos mulcebat, honeſtam
Interea & caſtam vitam omni tempore degens.

Et

Et quoniam ſolitarius eſt locus aptior illis,
Qui Superum mentes arcanaq; dogmata quærunt;
Ille ſibi in ſilvis inter ſpelæa ferarum
Condidit exiguam lignis è vilibus ædem,
Ut ſervire Deo tali in ſolitudine poſſet
Commodius, procul à mundi vitiisq; maliſq;.
Iſtius at vulgo cum converſatio ſacra
Innoteſceret, acceſſit Conradus ab ipſis,
Ut ſe jungeret huic hominitam relligioſo,
Admonitus Superis per ſomnum altamq; quietem.
Militia nam clarus, at alto è vulnere tardus
Ægrotusq;, ita vaticinantis numina linguæ
Audierat, ſua tum rediturum in corpora robur
Et veteres vires, ſi ſe conjungeret iſti
Relligione Deorum illuſtri & numine fratri.
Mox igitur ſocium ſeſe fratremq; fidelem
Tradidit Henrico, vitæ non inferiorem
Dexteritate & virtutum ſplendente nitore.
Cumq; ita converſarentur concordibus iſti
Pectoribus, colerentq; Deum non deſide vita
Per menſes aliquot (quid non exempla monerent?)
Tertius ecce acceſſit ad hos Mengoſus. Is ultro
Adveniens, ſecum adduxit quoq; diſcipulorum,
Et pietatem & virtutes diſcentium & artes
Ingenuas cœtum haud mediocrem. Sic ſchola nata
Eſt primum, in qua florebat ſapientia Chriſti
Et verus timor ille Dei, ſapientia ſumma,
Quæ nos Dis facit eſſe pares ſuperoq; Tonanti.
Verum habitabat in his Henricus Marchio terris,
Marchio de Rumsberg, pietatis & artis amator,
Muſarumq; & relligionis & omnis honeſti.
Ille probans ſtudia & cœtum hunc, dedit arva & agellos,
Quos colerent atq; exercerent relligioſi,
Atque piis ſtudiis ſumma cum laude vacantes,
Atque informantes juvenilia pectora fratres.

Sic

Sic nunquam Deus obliviſcitur ipſe ſuorum,
Sed memor excitat & populos, Reges q; Duces q;,
Qui conferre Dei debent alimenta miniſtris.
Et quia quotidie numerus jam creſceret horum,
Qui pietatis erant veræ & virtutis amantes,
Tradidit omne nemus conjunctis fratribus, ipſe
Marchio de Rumsberg, Henricus, nobilis heros,
Ut virtute, ita religione ad ſidera notus,
Sidera ad usq;, quibus nunc inſidet ipſe Deorum
Spectator, ſuperæ vel conſiliarius aulæ.
Et quoniam domus eſſe nequit ſine præſide, Rege,
Vel duce, qui reliquis (ubi forte opus) imperet atq;
Injiciat frenos vel laſcivire volenti,
Aut cupienti à vivendi diſcedere norma,
Evocat Iſnenſi Werinherum Marchio ab urbe,
Fratribus & diſcentibus atq; docentibus illic
Præficit hunc, quem mox aliis jubet eſſe parentem.
Scilicet hæc ita ſunt illo ipſo tempore geſta,
Quo ſibi commiſſi primus Friderieus habenas
Imperii cœpit, nati poſt tempora Chriſti, *An. 1182.*
Cum numerarentur mille & centeſimus annus,
Inſuper & bis quadrageſimus atque ſecundus.
Omnibus & quoniam in ſilvis & montibus urſi
Errabant, locus eſt Urſorum nomine dictus.
Hunc unus Prior, aſt Abbates religioſi
Viginti duo rexerunt ad tempora noſtra
Usq;, periclorum & formidinis undiq; plena.
Iſti præſidet illuſtri domuiq; locoq;
Hac ætate Abbas pius, ingenioſus & omni
Doctrina inſignis, Paulus, cognomine priſco
Neccharus, ille olim imperiali natus in urbe,
Donato à Campo quam dicunt nomen habere. *Campidoni.*
Pegaſidum is didicit myſteria cuncta ſororum.
Hunc ſacroſancto tu cumlare, Chriſte Redemtor.

Quis-

Quisquis & hic habitare solet pietatis amore,
Propitius tege, & in placida serva, obsecro, pace.

24. *Sebastianus Stegerus*, patria Ravenspurgius, vir literis & humanitate clarus, eligitur ex œconomo in Abbatem Ursinensem ipsa die S. Benedicti anno Domini 1549. Is hoc adhuc currente Jubileo unà cum Thoma Hoffmanno, docto ejusdem loci Priore, præclaris ornamentis cœnobium suum illustrat, undique adjiciens versus, qui posteritati etiam aliquando loqui & eam de horum temporum rebus certiorem facere possint. Inscripsit autem horreo recens constructo tale meum epigramma:

Hæc nova & apta sibi sic horrea condidit Abbas
Sebastianus impiger,
Ravenspurgensi prognatus in urbe Stegerus,
Amans Dei atque Virginis,
Quæ Christum nobis sacra gestavit in alvo,
Vitæ datorem perpetis.

Sedilibus chori tale inscribi fecit schediasma.

Ista sedilia, quæ cernis, studiose Viator,
Colore picta sic bono,
Paulus Neccharus, eximie venerabilis Abbas,
Faciebat in templi decus.
Quod Paulus vero incepit, mox finiit Abbas
Sebastianus inclytus,
Qui Paulo Abbati successit tertius anno,
Quo Paulus occubuit senex.

Partus monstrosus. Sub ejus gubernatione enixa est anno Domini 1550. tertia Augusti Walburgis quædam rustica femina, fabri ferrarii conjunx, in ejusdem Abbatiæ pago Riedensi duas puellas, formosas quidem, at mirabili Dei judicio, corporibus concretas rectisque brachiis invicem sese complectentes, ex difficili vero partu interemtas. De quibus tale lusi eligidion.

De

De Prodigiis Annorum 1549. & 1550.
Elegia.

EVersas Solymas Romano à Cæsare signa
Præcessere olim multa, jubente Deo.
Namq; ollas ipsi ardentes videre Prophetæ,
Arsit in medio sæpe Cometa polo.
Sic concurrentes acies toto æthere visæ,
Auditus quarum dicitur esse fragor.
Quin & sanguinibus stagnantes sæpe paludes
Viderunt Solymi (turba scelesta) viri.
Prodigiis quibus admoniti, parere minantis
Debuerant monitis jussibus atq; Dei.
Sed quoniam hæc paucos terriclamenta movebant,
Venit justa Dei vindicis ira statim.
Ne vobis quoq; fiat idem, pereamus & ipsi,
Ut Solymi miseris interiere modis,
Ex oculis procul excutiamus, quæso, veternum,
Qui non tantum oculos, sed quoq; corda tenet.
Surgamus tandemq; à peccatiq; maliq;
Torpore haud segnes atq; sopore gravi.
Namq; & nos multis hac tempestate monemur
Prodigiis, ut nos excitet ipse Deus,
Quo vitæ melioris eamus in integritatem,
Christiadum qualem dogmata vera probant.
1. *Hinc plures vidit Soles lutulenta Rhiæsa,*
Qua Nordlingiaci mœnia parte jacent.
2. *Hinc concursantes peditumq; equitumq; phalanges*
Vidit Brunsvigum, & Cæsaris ora pii,
Inq; crucis ligno pendentem hunc scilicet ipsum,
Mortis pro nobis qui fera tela tulit.
3. *Helvetiis quoq; pugnantes coïere Leones,*
Et Burgundionum signa, micante polo.
Alter & alterius superans capita alta Leonis
Vidit ea ante pedes victa jacere suos.

4. *In florem pira sunt excreta in Francide terra,*
Hic ubi Coburgi mœnia parva jacent.

Linda. 5. *Quadrupedem dedit Acronius lacus ipse columbam*
Non procul à muris, urbs Philyrina, tuis.

6. *Infantem mater gestavit in urbe Vienna*
Per lustri unius tempora longa gravis.
Semiputridus ille est tandem excisus ab ipsa,
Quæ curata isto tempore vivit adhuc.

7. *Quinetiam sanguis pluviarum decidit instar*
In vastis regnis, terra Bohema, tuis.

8. *Frumertis cœlum pluere ipsa Carinthia vidit,*
Atq; Thoringiacis Sala propinquus agris.

9. *Illic sanguinibus multoq; cruore fluentes*
Mirata est fontes rustica turba suos.

10. *Et, quod inauditum seclis est omnibus, intra*
Excelsos muros, Effenolinga, tuos
Decubuit vultuq; oculisq; decora virago,
Quam mira gravidam finxerat arte parens,
Talibus ut technis è vulgo emungeret aurum,
Quod vanæ nunquam est non novitatis amans.
Istius è laterum latebris prodisse colubri
Sunt dicti, hos omnes matre struente dolos.
Hæc est credita dirum utero gestare Draconem,
Qui totas urbes verteret atq; domos.
Nuper at inventum est, quod toti illuserit orbi
Femina, forte Dei non sine consilio.

11. *Sic ad Kauffburnum vitrei prope flumina Vindæ,*
Unde est Vindelicus nomen adeptus ager,
Infantes peperit geminos, utroq; puellas
Corpore connexas Thestylis una duas,
Formosas equidem vultu membrisq; tenellas,
Sed quas non vivas edidit ægra parens.
His monstris dubio procul ostenditq; monetq;
Iræ arcana suæ non procul esse Deus,

Nec

Nec procul esse diem, venit qui extremus ab orbe
Æthereo, nos ad judicis ora vocans,
Judicis æterni, qui conspicit omnia, quemq;
Nil latet: ipsa etiam qui tua corda videt.
Hunc nos oremus non fictis mentibus unum,
Propitius nostris parcat ut ipse malis,
Omnibus ut clemens peccata admissa remittat,
Nostrorum & scelerum deleat omne nefas.
Quasq; sumus meriti pœnas, ut mitiget illas,
Nec Judex, mitis sed pater esse velit.
Nos vero in melius nos convertamus & omne
Cessemus facere id, quod vetat ipse Deus.
Hæc faciamus & ex animo faciamus, honestas
A nobis fieri quæ cupit atq; Deus.
Sic miserebitur æternus, deponet & iram
Conceptam: atq; iterum fiet ut ante pater;
Qui dabit è superis tranquillos sedibus annos,
Et dabit omne bonum, terra quod omnis habet.

URSPERGUM, cœnobium Præmonstratensis instituti magnificum, ad Mindulam fluvium in Augustana diœcesi medio fere itinere inter Augustam Vindelicorum & Ulmam Sueviæ metropolin situm, fundatum & extructum est anno Domini 1125. à Wernhero, Comite de Schwabeck & Baltzhausen, cujus nominis castrum Schwabegk dictum duobus milliaribus à Mindelheimio, civitate Suevica, abest, hodie prorsus vastum & inhabitabile, Comitum à Schwabeck (qui ex regia stirpe Polonorum & Ungarorum nati feruntur) antiqua sedes. Oppignoratum fuit hoc cœnobium anno Christi 1200. Bertholdo à Neiffen, sed monachi se tandem redemerunt à Neiffensium tyrannide centum auri marcis, ut testatur Abbas Urspergensis, celebris chronographus. Fundatorum & benefactorum talis genealogia in cœnobii monumentis extat:

Burgum, monialium olim cœnobium prope Urspergam.

Wernherus, Comes de Schwabegk, verus fundator Urspergensis, ex conjuge Richinza, Marchionis Austriaci filia, excepisse legitur *Wernherum* & *Conradus* Comes, Wernheri frater, præfectus Augustanus. *Adelgosum*, qui obiere ante patrem juvenes impuberes. *Schwinhildis* soror, fundatrix cœnobii monialium Burgensis, quod olim è regione Urspergensis monasterii fuit, & vastatum est annum Christi circiter 1440. Hodie Burgum tantum pagus est & filia ecclesiæ Baltzhusanæ, in cujus tamen templo hæc Domina Schwinhildis Comitissa cubat. *Gisela*, Wernheri & Conradi germana soror, fundatrix & prima Abbatissa Edelstettensis Canonissarum in Suevia collegii.

Sepeliuntur in hoc monasterio, præter fundatores, nobiles etiam Barones Dapiferi de Hoffingen, nobilesq; reguli à Freiberg, Lichtenau, & Hasenberg. Celebratum est totum hoc cœnobium à me & prolixo carmine, anno ætatis meæ 19. quod quia omnes ejus Præpositos & Abbates complectitur, ac mediocriter totius cœnobii annales recitat, malui illud quàm nudum catalogum studioso antiquitatis lectori obtrudere: alioqui carmen satis puerile facile passus essem perire.

Topographia. Mindelheimium.

Est locus in Suevis, ubi multo gurgite aquarum
Mindelius celsi currit ab arce jugi,
Et parvam ejusdem mox nominis alluit urbem,
Quæ breve de fluvii nomine nomen habet.

Mindelius flu.

In qua vivebat nuper Fronsbergius heros,
Militia, armorum dotibus atq; potens.
Non procul inde jacet spatiosa in valle, superbo
Templo, ut & aëria turre decora domus,
Quam mediam supra descriptus divid it amnis,
Et tandem Istrinis consociatur aquis.
Nobilis hanc pietate Comes Wernherus avita
Extruxit propriis sumtibus atq; bonis,
Esset ut illa viris habitatio commoda doctis,
Qui Christi leges & pia jura colunt,

Qui

Qui precibus castis & carmine quottidiano
Rectorem cœli sollicitare solent.
Hanc, inquam, extruxit fidei Wernherus amore, — *Fundatio monasterii.*
Præclarus Musis ingenioq; Comes,
Quem de Schwabecko natum veneranda vetustas
Dicit, & antiqui personuere libri.
Urspergamq; vocans hirsutis nomen ab Ursis,
Quorum permultos terra habet ista, dedit.
Nam domus ipsa jacet viridanti in valle, per herbas
Pratag; frondosis undiq; cincta jugis.
Quæ venatori loca sunt accommoda, telis
Si premere ille velit bruta feraſq; suis.
Hujus conventus dignos proceresq; Patresq;, — *Propositio.*
Est animus versu commemorare brevi.
Præmonstratenses apta qui voce vocantur,
Quod monstrent summi dogmata vera Dei,
Ostendantq; viam, qua nos ascendere ad altos
Possimus cœlos sidereamq; domum,
Quæ cunctis sanctis cœlorum à Patre parata est,
Ut vitam post hanc ingrediamur eam.
Quæ felix vita est, cunctorum expersq; laborum,
Omni tristitia quæ vacat atq; malo.
Vos ergo, Aonides, faciles præbete Camenas, — *Invocatio.*
Cultori vestro carmina ferte mihi,
Qualia Peligno vati Andinoq; dedistis,
Ut digne valeam hos nobilitare patres,
Qui varia exculti doctrina atq; arte fuerunt,
Quo vis propterea munere digna cohors.
Quod si feceritis, vobis ego præmia digna
Pro tali officio præsidioq; feram.

Fundatio cœnobii in numeris Romanis.

EX qVo VrspergaVIt à Wernhero eXtrVCta CeLebrI
In SVeVIs, rVDIs aC parVa tabeLLa CaVet.

De Veſtitu & niveo habitu Præmonſtratenſium ſchediaſma.

Qui Chriſti intrepido pia pectore jura fatentur,
Et Domini debent paſcere rite gregem,
Hos vitæ certe integritas puriſſima, mentis
Candor & ingenuus, dexteritasq́ decent.
Hoc regina poli volvens in pectore circum,
Quæ Dominum vitæ mater honeſta tulit,
Præmonſtratenſes, æternæ limina vitæ
Monſtrantes, quæ ſit vitaq́ grata Deo,
Pura uti voluit veſte & candore notata,
Ut candorem animi ſignificaret opes.
Mentis opes quibus haud meliores ſuſtinet orbis,
Quas quicunq́ tenet, optima quæq́ tenet.
Idcirco hanc olim à ſummo demiſit olympo,
Dixit &, hoc animi pignus habete mei.
Sic ego candida cœlorum regina per orbes
Æthereos curru ſplendidiore feror.
Hoc meus eſt gnatus candore notabilis, omni
Nigritia cujus pectora ſancta vacant.
Tales ipſius eſſe decet vos nempe miniſtros,
Quales hæc veſtis vos monet atq́ jubet.
Hanc, quoties poſthac ſacras celebrabitis horas,
Induite, aut dantes thura precesq́ mihi.

Triplices gubernatores Urſpergenſis cœnobii.

Templum Urſpergenſe hoc triplices habuiſſe refertur,
Quos penes imperii cura decusq́ fuit.
Præpoſitos Latio quosdam ſermone vocabant,
Præpoſiti reliquis quod pietate forent,
Dotibus atq́ aliis naturæ ſimplicis: horum
Multos iſta habuit ter veneranda domus.
Abbates alios Hebræa voce ferebant,
Quod reliquorum eſſent cura & amore patres.

Hoc

Hos iterum duplici discernebant ratione.
Nam quosdam ornabat mitra pedumq; grave.
Sed quidam tali non ornabantur honore:
Hos omnes volet hæc dicere charta tibi.
Tu, quicunq; legis procerum hæc monumenta piorum,
Hanc tenuem Musam consule, quæso, boni.
Quæ bibit Istrinos tantum Blauiq; liquores,
Nec dum Castalidum principis hausit aquas;
Quas Nasonem olim reliquosq; hausisse Poëtas,
Ascræum Vatem, Mæonidenq; ferunt.

Ulmæ: ibi enim cadit Blavus in Danubium, ubi scriptum est hoc carmen.

Catalogus Præpositorum Urspergensium.

Cum Comes hospitium motus pietatis amore
Hoc Christo & Superis constituisset ibi,
Mox designari fecit dominumq; patremq;,
Qui regeret sacram cum pietate domum.
Iste Ulricus *erat magnæ vir dexteritatis,*
Cœlestis fidei & religionis amans.
Is fratres sanctos divina ad castra vocavit,
Præscripsitq; ipsis jura viasq; pias,
Quæ summo Patri, Christo, divisq; placerent,
Et quæ nos possent conciliare Deo.
Idem sex annis istas moderatus habenas
In Christo moriens ultima fata tulit.
Illius ergo animam dulcis tu suscipe Jesu,
Et tuere à nigri dæmonis insidiis!
Qui coluit verite, tuosq; juvabat honores,
Corde pio hunc quoq; tu suscipe amore pari.

Ulricus I. præpositus.

Eligitur anno Domini 1125. Obiit anno Domini 1131.

GREMO.

Gremo II.

Omnibus à mortalibus hic vitaq; fideq;
Esse putabatur (nec sine mente) sacer,
Tam sacras leges divinaq; dogmata amabat:
Tali volvebat sedulitate libros,

Qui

Qui res cœleſtes ſacra & myſteria tractant,
Et nos de fidei conditione docent.
Oſtendunt caſtam nec non ſine crimine vitam,
Quæ ſummo poſſit rite placere Patri.
Hic cum biſſenos tenuiſſet ſceptra per annos,
Combuſta eſt magno tota dolore domus.
Quæ licet in nigras eſſet converſa favillas,
Iſtius arte iterum eſt condita tota tamen.
Et quæ Vulcano miſere conſumta jacebat,
Mox caput è tenebris extulit alta ſuum,
Præpoſiti illius cura patrioq; labore,
Auxilio, ingenio, ſedulitate, fide.
Qui quadraginta annis cum præfuit atq; duobus,
Æterni mundum liquit amore Patris,
Lætus & in Chriſto ſuperas conceſſit ad oras,
Cum ſanctis ubi nunc veſcitur ambroſia.

Obiit anno 1173.

Waltber. III. I.

WALTERUS.

Cum Gremo ſidereas hinc emigraſſet ad arces,
Ad quas ſanctorum turba venire ſolet,
Waltero baculus committebatur inerti,
Ignavo, indocto, ſordidoq; viro.
Is per quinq; annos Urſpergæ præfuit, exq; hac
Migravit vita ad regna lares q; Dei.
Qui cum veniſſet Friderici ad Cæſaris ora,
Et nulla inſignis dote nec arte foret,
Contemtus miſere nihil impetravit eorum,
Quæ petere ante pedes Cæſaris auſus erat.
Et quia talis erat domui præfectus honeſtæ,
Qui nihil omnino norat, aſellus iners,
Fratribus ipſe aliis durus quoq; Cæſar, ob iſtum
Paſſus eos varia eſt ſeditione premi.
Hinc vos, ô monachi, Muſas colitote, velitis
Ni quoq; vos magnis regibus eſſe pudor.

Ni

Ni malè tractari cupiatis vos quoq;, vester
Ut malè tractatus rector ubique fuit.
Obiit anno Domini. 1178.

THEODORICUS.

Theodoricus. IV.

Iste etiam nostrô celebrari carmine debet,
Virtuti veræ si quis habendus honos.
Tam fuit eximiâ totus pietate decorus,
Tam doctrinæ omnis fautor amicus erat.
Impiger Urspergam regnarat quattuor annis,
Extremumq; Dei clausit amore diem.
Solis & accessit domicilia, scilicet ejus,
Qui nunquam occasum, nunquam Acheronta subit.
Obiit anno 1182.

ULRICUS SECUNDUS.

Ulricus secundus. V.

Quintus in ordine Præpositorum, hac voce secundus,
Claro erat Huldricus præditus ingenio.
Fidus is, eximiâq; industrius arte regebat
Tali animi fratres dexteritate suos,
Ut celebri merito tollatur laude, piisq;
Interponatur cœlicolisq; viris.
Conspicuas variis structuris reddidit ædes,
Addidit & templis munera grata suis.
Cùmq; gubernator per bis duo lustra fuisset
Dexter, ad Elysium migrat ab orbe pium.
Obiit anno 1203.

ULRICUS TERTIUS.

Ulricus tertius. VI.

Tertius Ulricus, sed sextus in ordine præses,
Vir probus & mire religiosus homo,
Pectore sincero Christum complexus, amavit
Sacrarum rerum, quicquid is orbis habet.
Qui per quinque annos sedis cùm sceptra tulisset,
Ad Superos abiit non rediturus avos.
Obiit anno Christi. 1208.

Fridericus VII.

FRIDERICUS.

Hic dicebatur Fridericus, nomine justo:
Pacis enim placidæ perstudiosus erat.
Concordes animos integro fœdere amavit,
Osor erat Martis militiæq; trucis,
Qui cùm septem annis hoc esset honore potitus,
Ex hac migravit pestilitatis humo
Ad consortia & ad sanctarum habitacula animarum,
Adq; Panompæi limina celsa Jovis,
In quibus est æterna quies: concordia paxq;
Aurato in solio tempus ad omne sedent.

Obiit anno 1215.

Burcardus patria Bibracensis, &c. VIII.

BURCARDUS Patriâ Bibracensis, antea Præpositus Schussenriedanus.

Sæviit hoc regnante iterum Vulcanus in ædem,
In cineres penè, ut tota soluta foret.
Per duo lustra datas cùm vix tenuisset habenas
Burcardus, multa vir pietate bonus.
Sed post hanc miseram cladem & lachrymabile fatum,
Bissenos menses cùm superasset adhuc,
Tristitiâ & mœrore gravi concussus, ad astra
Concessit mundo ex hoc miserog; lacu.

Obiit anno Christi 1226.

Conradus à Lichtenau. IX.

CONRADUS à Lichtenau.

Iste ob doctrinam, duplicemq; ob nobilitatem
Omnino mihi non prætereundus erit.
Nam cùm natus erat generoso stemmate & ampla
Progenie, eximios nobilis inter avos,
Et vitam bene felicem potuisset habere
Fortunæ propter munera larga suæ,
Ornari voluit tamen hâc quoque Nobilitate,
Quæ vera est, clari scilicet ingenii.
Cujus multa quidem nobis monumenta reliquit,

Qua

Quæ sunt perpetuo digna patrocinio.
Inter quæ Chronicon Latii sermonis honesto
Perscriptum, & mire conveniente stilo.
Historias omnes & Martia prælia Regum
Priscorum exponit, Cæsareosq; viros.
Id cùm legisset studiosô pectore quondam
Ille vetustatis cultor & hospes opum,
Peutingerus, honor tuus, O Augusta! tuumq;
Eximium decus & maximus ille Pater,
Regibus ille tribus qui consiliarius ingens,
Nunc etiam imperii est totius altus amor,
Extemplo inventa nuper dedit arte premendum
Chalcographis, varió posset ut orbe legi,
Ne tali Germania privaretur honore,
Sed quoq; Teutonici sic legerentur avi:
Neu semper posset tantum gens Itala nobis
Longius historicos commemorare suos.
Exiit iste liber sacrati Maxmiliani
In lucem, jussu consilioq; gravi.
Commendatior ut cunctis lectoribus esset,
Quamvis eximiè se satis ipse probet.
Cætera scripta viri sacras ornantia leges
Non est nunc animus commemorare mihi.
Illa suas etiam laudes, sua digna merentur
Præmia apud doctos in pietate viros.
Hoc tantum adjiciam de vitæ conditione,
Et reliqui insignes quod meruere patres:
Non tantum propter Musas scriptosq; libellos
Laudibus extolli & carmine posse virum.
Namq; erat in reliquis quoq; non minus ingeniosus
Rebus, consiliis officiisq; piis.
Structurus pulchris illustres reddidit ædes,
Ignibus horrendis quæ periere priùs,
Collegit varios scriptores atque poëtas

Chronicon Abb. Ursperg.

Sacros, Pœonios, Juridicosq; libros.
Hos pulchrè ornatos, pulchrecertòq; locavit
Ordine in eximiam conspicuamq; domum.
Et cùm regnasset tali ratione per annos
Quattuor integros, per duo lustra simul,
Cursum hunc absolvit feliciter, istaq; fata
Ultima constanti pectore & ore tulit.
Ingressusq; polos & summi habitacula Christi,
Nectar cum Superis haurit & ambrosiam.
Obiit anno 1240.

Bertholdus. X.

BERTHOLDUS.

Conradus superum cùm conscendisset olympum
Ex hac tristitia & pestilitate gravi,
Jamq; Urspergæ bonò ac fido rectore careret,
Quo tamen haud potuit ritè carere diu.
Berchtoldus patribus reliquis est annumeratus
Conventus nutu totius atq; notis.
Vir pius & castæ verus probitatis amator,
Musarum cultor Piereiq; gregis,
Qui cum regnasset per quinq; fideliter annos,
Hâc vita æternæ cessit amore domus.
Obiit anno 1245.

Conradus à Winzern. XI.

CONRADUS à Winzern.

Hunc etiam nostro celebrandum carmine duxi
Propter virtutem, propter & ingenium.
Quod fuit eximium sane, si secla fuissent
Æqua magis Phœbi & prosperiora choro.
Qualia temporibus nostris sunt, aurea prorsus,
Si studia hæc rectè nostra videre velis.
Is per tres annos cùm talia sceptra tulisset,
Expirans animam misit ad astra suam.
Obiit anno Christi 1248.

FRIDERI-

FRIDERICUS SECUNDUS.

Fridericum Secundum. XII.

Nec, Friderice, tuas virtutes transgredietur
Diſparibus currens noſtra Thalia modis.
Quæ tantæ certè, tam claræ amplæq; fuerunt,
Ut nequeam verſu has enumerare brevi.
Tu noſtras tamen has animo patiente Camenas
Suſcipe, quas humiles cernis & eſſe rudes.
Dignus eras graviore atque uberiore poëta,
Qui poſſet plene res celebrare tuas.
Vix etenim pietatis erat ſtudioſior alter,
Et nulli ingenii dote ſecundus eras.
Debebas procul à ſæva eſſe tyrannide mortis,
Si mors ingeniis parcere ſæva ſolet.
Sed rapit horrendo proh optima quæq; tumultu,
Nec ratione auffert deteriora pari.
Sic etiam noſtris doctum te ſuſtulit oris,
Cùm nondum rector per duo luſtra fores.
Verùm non curas terreſtres amplius arces,
Nec tibi nunc mundi regna vetuſta placent.
Cùm ſis ætherei jam conſiliarius ingens
Numinis, ingreſſus templa domosq;: Vale.

Obiit anno 1257.

HENRICUS de Kneringen.

Henricum de Kneringen. XIII.

Nobilis is genere, an virtute etiam ingenioq;
Nobilis extiterit, pectora noſtra latet.
Hoc conſtat, ſacræ fidus quod præfuit ædi,
Quinq; annis, patris & venit ad aſtra Jovis.

Obiit anno Chriſti 1262.

HERMANNUS.

Hermannum. XIV.

Cùm dimidium luſtro conjunxerat annum,
Nec gereret juſtâ res gravitate ſuas,

Fratribus à cautis perpulchro exutus honore
Imperii, sceptris excidit ille suis.

Deponitur anno 1268.

Theodericum Secundum. XV.

THEODERICUS SECUNDUS.

Hunc mea Musa etiam digno cantabit honore,
Musarum qui non gloria vana fuit.
Viderat hic cultæ venerandas Palladis arces,
Et quas cum Musis magnus Apollo colit.
Castalios avido gustaverat ore liquores,
Quos bibere Aonidum sola caterva solet.
Huic, cùm septem annis summò regnasset honore,
Dissecuit filum de tribus una soror.
Quæ solet omne malum & tristes finire dolores,
Et vitæ alterius dona beata dare.

Obiit anno 1275.

Hermannus anteà exauthoratus. XVI.

HERMANNUS anteà exauthoratus.

Qui prius ejectus fuit, & contemtus ab omni
Conventu, iratis fratribus atq; suis:
Is, vitæ melioris iter, cum laude capessens,
Præficitur domui rursus ut ante sacræ.
Cui non præfuit ipse modo, sed profuit, atq;
Utilis ingenti commoditate fuit.
Nam deinceps vitam transegit relligiosam,
Nil curans aliud quàm celebrare Deum.
Iste uni lustro cùm tres adjecerat annos,
Rector, ad Elysios mortuus ivit agros.
Ille perpetua summum laudare Tonantem,
Æternumq; patrem voce sonare solet.

Obiit anno Christi 1283.

Ludovicum. XVII.

LUDOVICUS.

Istius imperii tandem Ludovicus habenas
Commissas fidei cœpit habere suæ.

Impiger

Impiger ille decem domui cum præfuit annis,
Alterius fidei Lampada tradit ovans.
Pertæsus tardæ lucis vitæq́. caducæ,
In misero hoc felix finiit orbe diem.

Obiit anno Domini 1294.

HENRICUS SECUNDUS.

Henricus Secundus. XVIII.

Quàm primum superas adiit Ludovicus ad aras,
Attulit & Domino munera grata suo;
Designabantur consensu Henricus honesto,
Istius ingenuæ Duxq́. paterq́. domus.
Qui cùm regnasset summa probitate per annos
Sex, veram ad patriam cessit ab orbe suam.
In qua nil nisi vera quies, conjunctio amica,
Atq́. omnis generis commoda vera nitent.

Obiit anno 1300.

ALBERTUS.

Albertus. XIX.

Huic ferè fortuna suos invidit honores,
Divitem, & Abbatem, noluit esse diu.
Nondum etenim quartam partem transegerat anni,
Cùm dirupit ei Parca maligna colum.
Et traduxit ab hoc terrestri ad Olympica regna,
Quæ sunt nullo unquam corruitura die.

Obiit anno 1300.

BERTHOLDUS SECUNDUS.

Bertholdus Secundus, XX.

Nec fortuna isti mundanos favit honores,
Ut qui habitanda magis natus ad astra fuit.
Dimidium vix dum rector traduxerat annum,
Cùm cœli æterni regna petebat ovans.
Æterniǵ patris celsam ingrederetur ad aulam,
Ad quam perpetuo nunc in honore sedet;
Spernit & omne decus terrestre, amplissima sceptra,
Quicquid & eximii mundus honoris habet.

Obiit anno Christi 1301.

LUDOVI.

LUDOVICUS SECUNDUS.

Ludovicum Secundum. XXI.

Nec mea Musa suo hunc ipsum fraudabit honore,
Det vires tantum diva Thalia mihi.
Quales Mœonio vati suggessit Apollo,
Et dedit Andino diva Minerva seni.
Cùm caneret arces Priami. Trojaq́; ruinas
Laomedontiacos, Hectoreosq́; duces.
Ergo Thalia veni, molles mihi suggere versus,
Si curas vatem me dominumq́; tuum.
Nam fuit eximia pater hic pietate decorus,
Doctrinæ Christi tam studiosus homo:
Ut quoq; scripserit ipse libros, & Bibliothecam
Hac ipsa ornârit commoditate suam.
Cultor Appolloniæ fuit admirabilis artis
Totius, atq; tui, Pieris alma, chori.
Præterea bonus Oeconomus, benè profuit ædi
Huic Urspergensi, sedulitate sua.
Qui tribus ut lustris quoq; tres adjunxerat annos,
Regnando ingenio atq; authoritate simul.
Afflictum hunc orbem terrenaq; regna reliquit,
Lætus & in Domino fata suprema tulit.
Ipsius ergò pium, tu diva Thalia, sepulchrum
Ac cineres sacro flumine sparge pios.
Nec pigeat tumulo carmen superaddere tale,
Hic doctrina, fides, hic pietasq; jacet.

Obiit anno 1318.

HENRICUS de Kirchen.

Henricus de Kirchen. XXII.

Hic quoq; laude pari doctrinæ atq; integritatis,
Conspicuus, sacro præfuit hospitio.
Et summa Christum coluit reverentiâ, & ore
Castò imploravit Numinis hujus opem.
Quod pro peccatis mundi, ob nostramq; salutem,
Mortis, in hac vita, tela crucemq; tulit.

Cumq;

Cùmq. hæc regnasset pietate fideliter annis
Septem, ad Concilium migrat ab orbe pium.
In quo cum gnato sedet, & cum Pneumate sacro,
Cunctarum rerum Rexq. paterq. Deus:
Prævidet atq. diem, quæ totius ultima mundi
Transactæ vitæ præmia cuiq. feret. Obiit anno 1325.

CONRADUS PILEOLUS.

Conradus Pileolus. XXV.

Hic demto mense uno, unum sedisset ut annum,
Exutus titulo & patris honore fuit.
Forsitan ob mores pravos, annosve seniles;
Namq. aliud nihil hîc pagina prisca refert.
Deponit anno 1326.

Henricus Ziechenbo, &c. XXIV.

HENRICUS Ziechenbogius Rodanus.

Si probitas laudem, si præmia digna meretur,
Laudibus hic summis concelebrandus erit.
Nam pietate Deum, verâ coluisse fideq.
Dicitur, & Christi dogmata prisca sui.
Pauperibus præclarus erat pater atq. patronus,
Mæcenas studiis præsidiumq. bonis.
Cui septem licuisset ubi regnare per annos,
Desiit amplius hoc vivere in orbe malo.
Et concessit ad ætherei pia limina templi:
Hic solet æternum nunc celebrare patrem.
Obiit anno Christi 1333.

Bertholdus Tertius. XXV.

BERTHOLDUS TERTIUS.

Præfuit ille suis feliciter, octo per annos,
Arte, fide, ingenio, & dexteritate pari.
In Domino moriensq. polos properavit ad altos,
Qui sunt Christicolis patria gnata viris.
Illic sidereas requiescit tutus ad aras,
Amplius hostiles nec timet insidias.
Nec metuit stygios fratres, Orcig. Parathrum,
Stelliferæ sed ovans urbis amœna tenet.
Obiit anno Christi 1341.

Henricus Quintus. XXVI.

HENRICUS QTINTUS.

Henricus poſt remus in ordine præpoſitorum,
Vir fuit eximie nobilis, atq; pius.
Qui cùm regnaſſet ſeptem feliciter annis,
Et ſex integris menſibus abſq; dolo,
Ac ſine fraude omni, cum ſimplicitate paterna:
Concilii accesſit templa beata ſacri:
In quibus ipſa ſedit Mens illa æterna, gubernans,
Sol ſub utroq; videt vertice quicquid opum. Obiit año 1349.

Hactenus Præpoſiti, ſequuntur Abbates.

Deſinit inferius cognomen Præpoſitorum,
Dignius & patribus nobiliusq; datur:
Ut nunc Hebræo Abbates ſermone vocentur,
Quod commune ſuo cum Jove nomen habent.
Totius eſt pater is generis mortalium, & author;
Sic patres turbæ hi pauperis eſſe ſolent.
Quod cum præclare Urſpergenſis turba fuiſſet,
Hæc laudes ut adhuc nominis hujus habet.
Curaq; Pontificis Romani cerneret ipſam,
Virtute augeri hanc, divitiisq; domum.
Creſcere quotidie ſtudium quoq; Relligionis,
Effectus fidei delitiasq; piæ:
Rectores etiam mage digno ornavit honore,
Abbates titulo juſſit & eſſe novo.

Henricus de Rayn. &c. XXVII.

Sic integra ſolet ſua ſemper præmia habere
Magnanimi virtus filia amorq; Jovis.

HENRICUS de Rayn primus Abbas Urſpergenſis.

Nec reliquis fuit inferior virtute minorq;
In ſacro qui Abbas limine primus erat:
Nam quamquam prius eſſet avitæ Relligionis
Egregius cuſtos, fidus amator item:
Præcipuæ tamen ut regnandæ cæpit habenas,
Multiplici coluit laude, & honore Deum.
Perpetuoq; legens doctorum ſcripta Virorum

Petr

Perſcrutabatur dogmata ſacra Dei.
Juſtitiæ defenſor, amans legumq́; bonarum
Cultor Appollineæ nobilitatis erat.
Quin numeris virtutum abſolverat omnibus ipſum,
Quæ ſolet ingeniis diva præeſſe bonis.
Hinc ornare etiam titulis & honoribus ipſum,
Præ reliquis voluit Roma opulenta novis.
Fecit & omnibus meli ribus auſpiciisq́;
Abbatem, & titulo ſplendidiore patrem.
Præpoſitum modo, quem vulgus prius omne, vocabat,
Præpoſitus ſacris quod foret ipſe focis.
Quatuor at luſtris & quinq; ubi præfuit annis,
Ex hoc mortali carcere ceſſit ovans:
Fratris & acceſit pia conciliabula Chriſti,
In mortali ubi nunc veſcitur ipſe cibo.

Obiit anno Chriſti 1374.

Albertus Secundus, &c. XXVIII.

ALBERTUS Secundus: Abbas Secundus Urſpergenſis.

Iſte etiam, ut decuit, fuit admirandus amator
Dogmatis, è ſacro quod Jovis ore fluit.
Sacrarum iccirco divina volumina legum
Caſtas hiſtorias, Bibliacosq; libros.
Aſſiduoq́; alios ſcriptores ore legebat,
Qui nos de Chriſti cognitione docent.
Qui nobis fidei in Chriſtum depingere formam
Et Chriſti mortem commemorare ſolent:
Utq́; mihi liceat perſtringere plurima paucis,
Nullius ipſe rei tam ſtudioſus erat,
Quàm rectè ut Chriſtum, Chriſtiq́; agnoſcere verbum,
Ipſius, & vero poſſet amore frui.
Cùmq́; gubernator per bis duo luſtra fuiſſet,
Perq́; annum integrum hoc fidus in imperio;
Chriſti ardore gravi, tumido deceſſit ab orbe,
Ingreſſus ſuperi culmina celſa poli.

Obiit anno Domini 1395.

De Henrico Pfaffenhusio. XXIX.

DE HENRICO Pfaffenhusio, Tertio Abbate.

Sapphicon.

Hunc canam nostris etiam Camenis,
Vos piæ præsto modo adesse Musæ,
Nam mihi vestra est opus arte, curæ
Præsidioq;.
Dignus aterno fuit ille plectro
Gloria, cultu, reverentiaq;
Ob pios mores, aciemq; mentis
Et probitatem.
Per duos annos, totidemq; lustra
Præfuit summo studio atq; amore
Ædibus sacris, pater atq; rector
Religiosus.
Cumq; sentiret nihil esse in orbe
Hoc, nisi tristes animi ruinas,
Mille technarum species, dolendas
Seditiones,
Prælia & rixas, varios tumultus,
Mortis ac diræ dubios timores,
Et cruentatas sanie sagittas,
Martiaq; arma.
Ambulat cœli moriens ad arces,
Aureas sanctorum habitationes,
Orbe contemto, petit & beata
Gaudia vitæ.

Obiit anno Domini 1407.

De Balthassaro. XXX.

DE BALTHASSARO, Quarto Abbate.

Carmen Phalecion.

Hic Balthassarus optimus patronus
Mecenasq; fuit per omne tempus

Fonti

Fontis Caſtalii, ac novem ſororum,
Quæ montis hi fidi choros frequentant.
Illi individuamque Trinitatem
Sacrum Pneuma, Patremq; Filiumq;,
Sincera reverentia, fideq;,
Amplexus, coluit ſuos per annos,
Quos illi pater ore ſempiterno
Certos conſtituit, ratosq; fecit.
Urſpergam nitidis beatiorem
Structuris faciens & ampliorem,
Illuſtrare ſacrarum, domosq;
Omnes nempe ſacras pie ſolebat,
Qui cùm quatuor hic fuiſſet annis,
Abbas ſtrenuus & pater fidelis,
Atq; his quatuor addidiſſet ultra
Menſes ſex, proficiſci ad alta cœpit
Stellati & veneranda templa cœli.
Illic anumeratus eſt piorum,
Sanctorumq; Choro, & per omne ſeclum
Laudat terq; quaterq; Regem Olympi,
Pacis ſidereæ Ducem perennem,
Qui ſolus dator omnium bonorum eſt.

Obiit anno Chriſti 1412.

Urſpergam hîc iterum Præſul Romanus honore
Ornavit vera pro pietate novo:
Quos etenim Abbates mutato nomine dudum
Dixerat, hos habitu Præſulis ire jubet.
Addit & ex auro præclara inſignia puro,
Quæ Majeſtatis ſint bona ſigna novæ.
Namq; datur capiti venerabilis Infula ſacro,
Auro & gemmarum munere tota micans.
Auratoq; pedo manus inſigne coruſcat,
Non ſecus ac Titan lucet in arce poli.
Tali habitu ingreditur ſemper clariſſimus Abbas,

Si parat immenso sacrificare patri.
Quem penes omnia sunt mundi illustrissima regna,
Quem penes omne decus, gloria, laus & honor.

De Gulielmo. XXXI.

Asclepiadeum Choriambicum de GULIELMO à Thanhusen primo Abbate Infulato, qui electus est anno 1412.

Ille inter reliquos præcipuos Viros
Describendus erit carminibus meis,
Tu saltem auxilium fer sacra Pieris,
A me Xeniolum diva feres bonum.
Turbæ Pieriæ fidus erat pater,
Claris ingeniis ex animo favens:
Nec mirum, artibus his ipse etiam fuit
Edoctus nitidis à pueritia,
Res sacras adamans & Cæremonias
Quas Ecclesia fert, sustinet & colit:
Christi Evangelium & verba salubria
Observabat acri cum reverentia.
Hujus Cœnobii templa, vias, domos,
Turres aëreas, ampla palatia,
Structurasq; alias splendidioribus
Illustrans thalamis & penetralibus,
Totam arcem magis hanc reddidit inclytam.
In qua cùm fuerat lustra per integra
Abbas octo bonus, rector & impiger:
Ad sedes abiit sidereas senex.
Hic cum cœlicolis cumq; aliis piis
Regem perpetuo laudat Olympium.

Obiit anno Christi 1452.

De Jodoco secundo Abbat. XXXII.

Senarii Jambici Trimetri, de secundo Abbate infulato JODOCO ex Roggenburgo ascito.

Et hic mihi est paucis canendus versibus
Multa fuit qui clarus arte & gloria:

Amavit

Amavit ipsum Phœbus, atq; Palladis.
Varia chorus præstantia & arte nobilis.
Adeste nostris ergò Musæ versibus
Iterum feram vobis dignum munusculum.
Non pœnitebit vos laboris istius,
Insumitis brevem meo quem nomine.
Ad id facillimum est laudare dexteros,
Quos inter hic primum merebitur locum.
Animo, fide, solertia, virtutibus.
Coluit pio vos ille semper pectore,
Vestrosq; alumnos, & bonos clientulos,
Qui vestra amore castra sectantur pio.
Pietatis alter haud fuit studiosior,
Constanter & Christum, ipsiusq; dogmata
Laudavit, ac Marpesia Constantia
Defendit, hanc divinæ fortitudinis
Turrim sacram nullo violandam tempore.
Is cùm novem annis hic sedisset integris
Exutus Abbatis fuit cognomine:
Nec amplius frons hæc ferebat insulam,
Quam Pontifex summus piis concesserat
Rectoribus clari istius sacrarii.
Injuriam quam cùm tulisset fortiter,
Vocatus hinc ad Augustanum Præsulem,
Graviore dignitate sublevatus est,
Donatus est quàm plurimis honoribus.
Nempe ipsa virtus omnibus suum locis
Decus solet, dignumq; habere præmium
Sua fortibus virisq; ubiq; patria est,
Ut piscibus totum mare est patria optima.

Exauthoratur anno 1461.

Et paulo post eligitur in Suffraganeum Augustanæ Ecclesiæ.

ULRICUS

ULRICUS Secker sive Crumenarius, Tertius infulatus Abbas.

Hujus perfidiam nec noſtra Camena tacebit,
Tu verſus tantum ſuggere diva mihi.
Quam reliqui caſti, doctiq; probiq; fuerunt,
Tam perverſus homo & perfidus iſte fuit.
Namq; domum ſacram in millena pericula duxit,
Damnaq;, cum luxu tum levitate ſua.
Oeconomus malus, omnia dilapidansq;, voransq;
Atq; bibens, reliqui quod tenuere patres:
Annis ergó decem cùm vix regnaſſet & uno,
Jamq; videretur ſacra perire domus;
Eximio titulo ſacroq; exutus honore eſt,
Dignus qui ſuibus ſit canibusq; pater.

Deponitur anno Domini 1472.

Joannes Gerengroß. XXXIV.

JOANNES GERENGROSS è Rogkenburgenſi Cœnobio aſcitus, quartus Abbas infulatus.

Præfuit infeliciter Ulricus, ſed Janus
Infelicior, huic qui ſubit, ille fuit.
Debetur linguis verum diſcordibus illud
Hoc Urſperga tibi, quæ peperere malum.
Concordes animas Deus immortalibus auget
Divitiis, inopes nec ſinit eſſe Viros.
Nec ſunt ille quidem hos mediis ſuccumbere in armis,
Eventum dare ſed proſperum ubiq; ſolet
Diſcordes autem funeſtaq; bella crepantes,
Ipſe magis, ſtygium quàm Phlegetonta, fugit.
Omne malum Deus hos ærumnoſosq; labores,
Omniaq; illabi dura pericla finit.
Atq; hîc exemplum doctrinæ cernimus hujus
Eximium, miris conſpicuumq; modis.
Namq; novus deſignari cum debuit Abbas:

In

In mediòs fratres venerat ira gravis.
Hæc dedit infelix miserum discordia finem,
Jactura sensit quam domus ipsa gravi.
Ex Rogkhenburgo sibi delegere parentem.
Qui regeret fidâ talia sceptra manu.
Namq; laborabant tali invidiaq; odioq;,
Ut sibi nemo alium vellet habere ducem.
Ut primum vero peregrinus cœpit habenas,
Mirum quanta animi rexerit illuvie.
Non ego, si linguas centum natura dedisset,
Ipsius omne scelus commemorare queam.
Ipsius atq; dolos, frautes, versutaq; facta:
Nec valeam, si sint mille etiam ora mihi.
Ipsa altaria adhuc, collapsaq; templa loquuntur,
Et reliquum quicquid mansit in æde sacra.
Deploratq; suas miseras domus ipsa ruinas,
Ac se conqueritur talem habuisse ducem.
Desidia quali septem cùm præfuit annis,
Desiit amplius hoc aëre in orbe frui.
Christus ei parcat, superasq; educat ad aras,
Collocet & miserum in Regna beata Virum,
Vos exhortor ego, & per cœli numina testor,
Qui colitis divam hanc magnificamq; domum.
Ah fugitote graves, bellorum semina, rixas.
In vestris habitet pax veneranda jugis.
Nil nisi amicitiam linguisq; animisq; sonetis,
Si bene felices vultis habere dies.
Sic pacis Dominus vobis dabit æthere ab alto,
Quicquid habet pelagus, terra, poluſq; boni.

Obiit anno 1479.

De Joanne Rieplero. &c. XXXV.

De JOANNE RIEBLERO, Quinto Abbate infulato,

Carmen Glyconicum.

Hic cantandus erit meo
Exili quoque Carmine:
Sis præsens igitur mihi
Fontis Rex Heliconii.
Hunc Urspergа patrem sibi
Justo vendicat ordine.
Vir doctus fuit, & pius
Nec vulgare Jovis decus.
Musis sanguine cœlico,
Prognatis, studuit piè.
Christi verba perennia
Constanti coluit fide.
Sacram consiliis domum
Juvit pectore non pigro:
Quam ferme reliqui sua
Amisere socordia.
Et cùm sceptra sua manu
Gestasset venerabili,
Lustris quatuor, & tribus
Annis, sex quoq; mensibus:
Regno depositus suo est,
Non ob causam aliam tamen,
Quàm propter senii amplum onus,
Morbos corporis, & graves
Quos ferre imperium nequit.

Dimittitur ab officio anno Christi 1503.

De Gulielmo Henselmanno &c. XXXVI.

DE GULIELMO HENSELMANNO, Sexto Abbate infulato,

Versus Dimetri Jambici.

Nec te tacebit in suis
Mea Pieris Schediasmatis:

Nam

Nam dignus es, quem carmine
Suo celebrent aureæ
Apollinis sororculæ.
Rector pius, pater bonus,
Fuisti in hoc sacrario:
Urspergа te vocet ut suum
Ducem parentemq; optimum.
Inertia quod enim sua,
Aliqui, vel & socordia,
Vel otio neglexerant,
Hoc ipse diligentia,
Resartiebas & fide.
Prisco vigori reddidit
Sua domum vigilantia.
Ruinosa quæ casum prius
Interminabatur gravem,
Cui præfuisset ut benè,
Per lustra quattuor senex,
Per bis novem menses simul,
Decessit his è finibus,
Ad Regiam summi Patris,
Et ad cohortem, Olympicu
Quæ vivit in Palatiis,
Bibitq; nectar optimum
Regum omnium cum principe.

Obiit anno Christi 1523.

37. D. THOMAS, corporis statura parvus, cognomento Magnus; virtutibus verò & prudentia singulari maximus: in Academia Colonienſi Magisterii Philosophici titulo illustratus, eligitur anno Domini 1523. in tricesimum septimum hujus Cenobii gubernatorem, Abbatem verò infulatum septimum. Præsidet hoc adhuc currente anno 1551. fideliter ac feliciter. Vidit diripi, ac funditus ferè deleri totum Cœnobium suum, à seditiosis vicesimi quinti anni agricolis: quod ipse tamen ita instaura-

vit, ita omni ornamentorum genere illustravit ac ditavit, ut merito secundus ejus fundator haberi & dici possit.

Hunc non ausim ego nunc multis celebrare Camenis,
Quandoquidem salvo corpore vivit adhuc:
E seclo verum hoc in cœlt templa vocatum
Illustrabit cum carminis omnis honor.

Ehingen. Schelklingen.

URSPERINGUM Monialium nobilitate generis conspicuarum insigne Cenobium, Constantiensis diœceseos, ordinis verò D. Benedicti, miliare infra Ehingum Austriæ principum civitatem, & propè Schelckhelingum arcem, & oppidum eorundem, in amœnissimo agro, inter altissimos montes, ad limpidissimas saluberrimasque gelidissimarum aquarum scaturigines situm: quarum autor S. Ulricus Episcopus Augustanus bacillo eum locum percutiens, & aquas eliciens, fuisse perhibetur: à quibus item nomen contigit Monasterio, ut ad Scaturigines vulgo dicatur. Id fundatum creditur initio temporibus S. Ulrici Episcopi, ab ejusdem parentibus, postea verò auctum est à Germanis nobilioris prosapiæ militibus Rudigero, Adelberto equite aurato, & Walthero Dominis de Schelcklingen, villa & castro. Commendatum verò curæ & visitationi Wernheri Abbatis in Monasterio S. Georgii Sylvæ nigræ, anno Christi 1127. primo scilicet anno Imperii Lotharii Regis, qui Henrico quinto successit. Hi domini dederunt nominatum locum Urspringensem, cum Ecclesia ab annis anterioribus, ut est in diplomate, in eo loco constructa Deo & S. Georgio pro animarum suarum remedio. Actum in villa Ehingen. Posteà cùm misere vastatum esset Monasterium, ferroque & incendio deletum, circa annum Domini 1250. à fautorib. Friderici Imperatoris, Pontificiæ sedis acerrimi persequutoris, dedit paulò post Pontifex Maximus, Alexander quartus ingentia privilegia, ad Monasterii collapsi reædificationem, tamdiu usurpanda, donec ducentarum marcarum argenti summa conficeretur: Ut habetur in diplomate, quod datum est anno quarto sui Pontificatûs, hoc est anno 1258. Duces Austriæ sunt Monasterii advocati & tutores, primus fuit Rudolphus, anno 1360. Huic successit Leopoldus dux Austriæ anno 1379. & fuerunt semper fidi

S. Ulrici Episcopi miraculum.

Austriæ duces monasterii Urspergensis Advocati.

fidi tutores usque ad hæc nostra tempora. Anno Domini 1312. dono dedit Comes à Schelckelingen Udalricus cum suorum filiorum, Comitum Henrici & Chunradi unanimi consensu, S. Udalrico & honestissimo Monasterii Urspringensis conventui, libere absque omni impugnatione, aut molestatione, possidendam aquarum illam insignem scaturiginem, cui adjacet Monasterium cum plenaria piscandi jurisdictione & potestate, usque ad finem fontis, dicti, ad salices Molendini, vulgo Mulifelber. Dedit item montis adjacentis Lutzelberg dicti, haud mediocrem partem, & molendinum Schelckhelingense, omnia cum summa & irrefragabili potestate, & libertate possidenda. Orta autem aliquando contentione inter magistram Cœnobii, & quentam Ludovicum à Freyberg, præfectum Schelcklingensem de jure piscandi, ab Imperatore Maximiliano anno Christi 1508. talis sententia lata, & publico diplomate perscripta est, ut utraque pars à piscatione cesset, donec à personis ad definitivam in ea re sententiam ferendam ordinatis, lis componeretur, utrique tamen parti jure suo reservato. Hodiè in simili ferè lite pendent ejusdem loci Moniales: pro quibus orantem ipsum fontem in carmine quodam, sic introduximus:

Fons ego ab Ulrico Monstratus præsule quondam,
Urspringensibus hic virginibusq; datus.
Conqueror ex animo, & lachrymor mea tristia fata,
Virginibus cum sim nunc ita ademtus ego.
Ut pisces, quos hic ego nutrio, nobiliores
Non ausint digitis prendere ut ante suis.
Quas nec jura equidem, nec legum vincula contra,
Quorundam injustam vimq; facesq; tegunt.
At tu rex Fernande, & tu quoq; Carole Cæsar,
Rebus subvenies hac quoq; parte meis.
Meq; meis etiam reddes dominabus honestis,
Reddere suppresso qui sua cuiq; soles.
Quodq; tui quondam majores constituerunt
Esse fines etiam nunc quoq; ut ante ratum.

Benefactores hujus Monasterii fuerunt: Erhardus Baro à Kungseck, cum conjuge D. Geneva ab Hirnheim. D. Guolphgangus à Lapide cum uxore Elysa, Comitissa de Gundelfingen. D. Conradus à Lapide cum uxore, filiis & filiabus suis. Conradus, Eberhardus & Henricus de Oeneburen anno Domini 1258. qui dotarunt quibusdam bonis prædiis sorores, & conversos habitantes in Monasterio Urspringen. Cujus Magistratum (sic enim gubernatrices vocantur) talis est Catalogus:

1. D. *Irmeltrudis.*
2. D. *Irmelgardis.*
3. D. *Hiltrudis à Tiessen.*
4. D. *Adelheidis à Lapide.*
5. D. *Udilhildis Fulchina à Tiessen:* Præfuit ab anno Domini 1360. ad annum usque 1373.
6. D. *Margaretha Balhoczin* eligitur anno 1373. præfuit duobus annis.
7. D. *Elisabetha Leudolphina* eligitur anno 1376. præfuit annis 20.
8. D. *Anna de Lapide* eligitur 1396 præfuit annis 26. Obiit anno 1422. eodem die, quo & frater ejus Germanus Guolfgangus à Lapide Abbas duplicium aquarum.
9. D. *Anna à Westernach* eligitur anno 1422. præfuit annis decem.
10. D. *Ursula de Lapide* eligitur anno 1432. præfuit annis 16.
11. D. *Anna* ex Dapiferis de Bichishusen eligitur anno 1448. præfuit annis 14.
12. D. *Gredanna à Fryberg* eligitur anno 1462. præfuit annis 18. Obiit anno Christianæ salutis 1481. Sub ejus administratione cœpit Monasterium reformari.
13. D. *Helena ab Hirnheym* Alberti nobilis herois ab Hirnheym, & D. Ursulæ ab Honburg filia: eligitur anno Christi 1481. præfuit annis 15. Obiit anno 1496. fidelis ac utilis Monasterii sui gubernatrix & illustratrix.

14. D.

14. D. *Chunigundis* de veteri Fryburgo eligitur anno 1496. præfuit annis 14.

15. D. *Cecilia ab Hirnheym* eligitur anno 1511. præfuit annis 14. Obiit anno Christi 1525. illustravit Monasterium variis ædificiis & fideli administratione sui officii.

16. *Domina Magdalena à Monte* magnifica, facunda & humaniss. herois, Sigismundi senioris à Monte, & Dominæ Dorotheæ à Kneringen filia: eligitur anno Christi 1525. præest adhuc laudabiliter currente hoc anno Christi 1551. Sub hujus gubernatione cœperunt Moniales Urspringenses, anno nimirum 1547. (quo Moniales adhuc ibi erant 40.) Musicæ figuralis studium, in quo tantum profecerunt sub Domino Blasio Hippolito, egregiè docto Monacho, ut cum Regiis etiam vel Imperatoriis Musicis (quod pace tamen ipsorum dixerim) certare possint. Obiit Dominus iste Blasius anno postea 1549 cui Viro optimo ac humanissimo tale à me pro exhibitis mihi beneficiis gratitudinis ergò scriptum, & à Monialibus, positum est Epitaphion: *Moniales Musicæ. Blasium Musicis inscripsi-gnii.*

Blasius Hyppolitus conventus Blabyorensis,
Pars aliqua, eximia Vir bonitate potens.
Doctus & humanus, placidæ quin pacis amator
Maximus, ac patriæ gloria lausq; suæ.
Virginei cœtus confessor Relligiosus
Hic cubat, at tantum corpore, non animo.
Ad cœlos animus patrias concessit in ades,
In quibus angelici est concio sacra chori.
Illic perpetuæ cum Christo gaudia vitæ
Percipit, & fructus quos habet illa bonos.

Habebat is egregie ornatum orationale Imperatoris Friderici tertii, ex quo sequentem precationem (qua optimus Imperator pro filio Maximiliano apud æternum patrem Domini nostri Jesu Christi intercedere est solitus) transscripsi: quam ne intercidat, & pereat, huic loco inserendam statui unà cum carminibus meis: quibus prædictus D. Blasius libellum Divo Carolo V. Imperatori ipsiusq; Fratri Divo Ferdinando Regi offerre decreverat.

LIBEL-

LIBELLUS Precationum Divi Friderici Imperatoris ad Blasium.

En adsum ante tuos oculos charissimæ Blasi,
Teq; liber supplici testor & oro manu.
Redde meis me principibus, quorum optimus olim
Pulchrè est amplexus me Fridericus avus.
Te quoq; laude ego apud Reges ornabo perenni,
Officiumq; tuum hoc gratus ubiq; canam.

RESPONDET BLASIUS.

Vade libelle mihi longè charissime: Vade
Augustos dominos atq; require tuos.
Qui te in deliciis habituri nocte dieq;
Propicia & nobis numina forsan erunt.

IN IPSUM ORATIONALE.

Parvulus iste liber Friderici Cæsaris almas
Precationes continet,
Et quibus ipse Deo verbis pro Maximiliano
Suo, egerit quoq; gratias.
Austriacam pietate domum qua ornârit, & ipsi
Dicaverit Patri Deo.
Hæ quia te Fernande preces, te Carole Quinte
Deliniant & asserunt:
Justius hunc habet, & circumfert nemo libellum,
Quàm vos beati principes,
Quos Fridericus in his precibus depingere pulchrè, &
Monstrare ceu digitis solet.
Vos hunc Augusti divi, Regesq; potentes
Et Cæsares piissimi,
Non modo sumite clementer, sed sæpe libellum
Deorum ad aras volvite.
Sic pater ille Deus qui Divo Maxmiliano
Ubiq; promptus astitit.

Vo

Vos quoq; (ut hactenus) eximia bonitate fovebit
Contra hostium omnium faces.
Subjiciet vestrisq; aliquando nepotibus orbem
Quàm late totus is patet.
Vivite felices Augusti, vivite tuti
Sub optimi clypeo patris
Vos metuat, vobis subsitq; occasus & ortus,
Et quicquid orbis ubiq; habet.

Sequitur Precatio Divi Friderici Tertii, Imperatoris.

Nunc dimittas servum tuum Domine ad pacem & tranquillitatem, quam prædestinasti mihi secundum magnam misericordiam tuam Deus meus; quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod ex me parasti tuo populo Christiano, ad tuorum inimicorum destructionem, filium meum Maximilianum inquam, lumen oculorum meorum, & baculum senectutis meæ, super quo innixus quietem sumam optatam. O Deus meus! O misericordia mea infinita! O misericordia immensa: quoniam non derelinquis in finem quærentes & invocantes te. Quas igitur laudes ac gratias tibi dicere possum, indignus de tanta gratia & munere? Si ex toto corde meo ajo: si ex omnibus viribus meis dicere velim, nil facio de meo, quoniam tua sunt omnia, & ego totus tuus sum, & tua creatura: Omnia denique tibi jure debentur bona, quoniam à te sunt facta. Accipe tamen secundum clementiam tuam immensam, & secundum dignationem tuam infinitam, de servo tuo, quod tuum est, tibiq́ue debetur æternas & immortales gratias, qui & hanc misericordiam fecisti cum indigno servo tuo, sicuti fecisti cum servo tuo David, ut poneres super sedem meam de fructu ventris mei, in conspectu meo, & super thronum filium meum post me regnaturum populum tuum, sanguine tuo pretioso redemptum. Et nunc tu Domine Deus, cœli & terræ creator, & gubernator liberalissime, audi orationem meam, ut impleas eum spiritu sapientiæ & intellectus, fortitudi-

nis & justitiæ: sicuti Salomonem filium servi tui David: ut possit hæreditatem tuam in unum aggregare, unire, pacificare, custodire ac gubernare: Hostes tuos hereticos, schismaticos & infideles ad viam reducere veritatis: Rebelles & obstinatos compescere, & extirpare, fidelem populum tuum ac cultum tibi debitum ampliare & augere. Benedic & sanctifica ipsum benedictione patrum Abrahæ, Isaac & Jacob, ut multiplicetur semen suum super terram, sicut stellæ cœli. Manus ejus fortes fiant in cervicibus inimicorum tuorum: Diligant eum tribus ac populi ac omnes nationes fideles: accurrant sibi armata auxilia in tempore opportuno. Comitentur eum Sancti Angeli tui Michaël, Gabriel, Raphaël: Sitque illi semper victoria de cœlo tuo, sicut & Achatio, & Georgio, Duce S. Mauritio, quatenus pacificatis terris Christianis obtineat terram passionis tuæ sanctæ, despectui & ludibrio tam diu subjectam. Nunc enim, ut spero, tempus venit, & venit tempus miserendi, quo Christiana multitudo capta & subacta immanissimo ac turpissimo Turco, terraque sancta tua liberabitur per manum meam, & filii mei, post me. Da igitur nobis Domine Deus omnipotens, qui aufers spiritum principum tyrannorum, & destruis consilia Regum impiorum, potentiam & virtutem, ut hereditatem tuam, & terram sanctam sepulchrumque tuum (quod vidi meis indignis oculis) possideamus in sincera bonitate, ac pura innocentia tibi semper serviamus, semper te sequamur, te diligamus, tibi semper adhæreamus, te nunquam deseramus, ut à te nunquam deseramur, sed ad te, post labores, & sudores nostros, quietem perveniamus æternam, Amen.

Blabyra.

Est ad eandem in Urspringo scaturientium aquarum versus Blabyram (ubi cum Blavo fluvio miscentur) descensu, medio itinere inter Urspringum & Blabyrense oppidum, infrà Scheldelingum, aliud Monialium, etsi exiguum saltem, Cœnobiolum, Wilerinum vel Villicum dictum, instituti hodiè Franciscani. Ejus loci templum extitisse legitur, anno Domini 1155. Tum enim consecratum est in honore Domini nostri Jesu Christi, semperque virginis Matris, Sanctorum item Nicolai, Egidii, Laurentii

Vuyler Cœnobium Monialium

rentii, Cæsarii, Wenceslai, Ceciliæ, Zoæ, ac undecim millium virginum ab Episcopo Aldenburgensi Geroldo, in ipsis Calend. Septembribus. Erat tunc temporis in ea ipsa vicinia castrum nobilium virorum à Wiler, qui recens condito & consecrato templo, donarunt Eleemosynas quasdam, quibus alerentur, qui Deo illic servituri essent. Ex hac itaque arce prodiit tandem post multorum annorum curricula, prima Cœnobioli hujus inchoatrix, honesta & pia virgo Adelheidis, quæ domunculam templo contiguam construens, eidem sese inclusit, ac sola ibi, precibus jejunioque per annos quadraginta sese macerans, clementem, & sibi, & aliis sese Deum hac vivendi ratione facturam sperabat. Mortua hæc anno Domini 1280. apud Blabyram sepelitur, ubi tum conventus erat sexaginta sororum.

Successit ei alia Adelheidis, quæ Romam petens impetravit ibi cum quadam eleganter picta tabula confirmationem pontificiam: qua munita domum rediens, domunculam primam piorum subsidiis ampliavit, & paulo elegantius sibi contubernium condidit, in quo & ipsa, inter jejunia & pias preces, vixit quadraginta annis, & universæ tandem carnis viam ambulavit, annum Domini circiter 1320.

Post eam tertia accessit, Guta dicta, quæ itidem domunculæ isti inclusa servivit ibi Deo sub solitariæ vitæ professione annis 37. Qua etiam rebus humanis exemta, quarta venit ex Blabyrensi oppido Adelheidis Toblerina, quæ inclusa anno 1357. vixit ibi solitaria 18. annis. Circa hæc ipsa tempora erat nobilis ac religiosa quædam virgo Gertrudis Schuvellerina, quæ in arce Gerenhusiana 20. annis fideliter Comitissæ cuidam ad Helffenstein serviverat: Hæc cum aliquoties apud inclusam sororem Wilerianam fuisset, cujus devota & pia conversatione maximè gaudebat, ac delectabatur: accederent verò & germani fratris Bertholdi Schuelleri sacerdotis Eslingensis, crebræ hortationes, mundo valedicens, anno Domini 1374. ad Wylerium venit, petens ut susciperetur in piæ sororis consortium.

1. Hæc *Gertrudis* prima conventus inchoatrix, plures socias assumsit, donec fieret numerus tredecim sororum. Hæc fundatrix Sacri, & habitationum ampliatrix 25. annis cum summa severitate, sub matris nomine, sororibus de manuum suarum labore viventibus præfuit. Obiit anno Domini 1400. ætatis suæ sexagesimo, prima quæ in consecrato ejus loci cæmiterio humata est. Successerunt ei in hac gubernatione ad hæc nostra usque tempora, honestæ ac prudentes mulierculæ.

2. *Anastasia* à Westerstetten nobilis Domina.

Wunderkingen.

3. *Anna à Wunderkingen*, oppido non procul à fontibus Danubii sito.

4. *Clara Hessina.*

5. *Catharina Eques.*

6. *Adelheidis Usswaltina* ex Blabyrensi vicino admodum oppido nata: cujus temporibus anno videlicet 1475. cœpta est ædificari ea Domus satis elegans & ampla, in qua his temporibus habitant 21. sorores.

7. *Agnes Ganserina.*

8. *Corona Sartrix* ex Wellenburgo nata, quæ tandem decessit anno Domini 1545. cùm multis annis prius resignasset.

9. *Euphrosine Ethnica*, Patricia Ulmensis, quæ obiit anno 1531.

10. *Magdalena Megeheertina*, ex Ehingo nata, eligitur anno Domini 1538. multa passa à Wirtembergensibus, à quorum principe, omnia, quæ Cœnobioli fuerunt, eo quod à religione sua pristina discedere, & literas suas dare nollet, occupata & violenter usurpata sunt, per annos undecim, quibus nunc feliciter recuperatis, hoc adhuc præsidet currente jubileo, ætatis suæ anno 60.

UTENBURGA I. Ottenbura, in Guntiana valle, ad Guntium amnem situm, olim oppidum, & castrum Comitum Ilergoviæ, nunc verò Monasterium præpotens ac pulcherrimum, ordinis D. Benedicti: fundatum est sub Honorio Pont. Max. 12. Monachis, in honorem Dei Opt. Max. principisque Apostolorum Petri, invictissimique Martyris Alexandri, à Sylacho, Francorum duce, Alemanniæ præfecto, ac Ilergoviæ Comite, ejusque conjuge Ermiswinda,

miswinda; alibi Ermentrude, anno Christi 764. Diploma primæ fundationis tale habetur adhuc in eo ipso Monasterio.

Anno incarnationis dominicæ 764. regnande Carolo Magno glorioso Rom. Imp. ego Sylachus, ex Alemannia, vir nobilis ac præpotens, & uxor mea Erminiswinnda cum filiis nostris Gosberto, in sancta Viennensi Ecclesia Episcopo, Tottone clerico, simul & Dagoberto laico, in Domate proprio, quod divisum ac separatum liberalissime à cunctis hæredibus contraximus, & possidemus, in loco, qui vocatur Uttenburrha, secundum Ecclesiasticam institutionem, & judicium leges, in Dei nomine construimus, atque fundamus. Omnia igitur prædia vel mancipia, totamque familiam nostram omnipotenti Deo & beato Apostolorum principi, nec non invictissimo Martyri S. Alexandro, ab hinc, in legitimam ac perpetuam dotem, pro incolumitate utriusque vitæ, & pro remedio animarum, parentum nostrorum præfato monasterio, delegamus, eo pacto eaque videlicet conditione, ut nulli homini liceat hanc donationem aliquatenus infringere, aut unquam commutare: sed ad victum fratribus & vestitum summo, & vero Regi Deo, inibi militantibus, perpetualiter deserviant. Si quis autem invasor (quoq absit) aut Tyrannus hanc nostræ donationis confirmationem irruperit, Anathema sit à Deo, & mors super eum æterna veniat, vivensque in infernum, per omnia secula cruciandus descendat, Amen, Amen, Amen. Hi sunt testes, qui viderunt hæc & audierunt: Canto, Hilti, Ulleno, Landolphus, Fridebertus, Hargoldus, Rupertus, & aliæ plures tam nobiles quam ignobiles.

Privilegium à Carolo Magno Imp. & ejus conjuge Hildigarda datum Monasterio Uttenburrhano.

In nomine Dei patris omnipotentis, & filii & Spiritus sancti. Carolus à Deo ordinatus Augustus, Magnus, pacificus. Rex

Francorum. Imperator Romanorum gubernans Imperium. Quoniàm principem ac defensorem Ecclesiarum nos fecit Dominus, ne ejus ingrati esse videamur munificentiæ, servitium ejus augmentare, Ecclesias multiplicare, super incœptis & constructis bene ac opportune, ne posthàc destruantur, potestati regali convenit tuitionem impartiri, unde quicquid ad loca sanctorum damus vel concedimus, hoc nobis ad mercedis augmentum vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Quapropter notum sit omnibus principibus nostris & fidelibus, qualiter nos ad petitionem dilectissimæ conjugis nostræ Hildegardis, illustris Reginæ, Abbatem nomine Tottonem, ex Monasterio, quod vocatur Utenburra, cella nova, cum hominibus unà & rebus ipsius Monasterii, sub nostro Mundiburdio, & defensione, propter illicitas malorum hominum infestationes, accepimus & retinemus. Igitur à præsenti die coram principibus nostris decernimus, & præcipiendo præcipimus, ut nulli de majoribus atque minoribus, liceat prædicto Abbati, aut hominibus ipsius Monasterii, tam ingenuis, quam servientibus, vel in rebus, quæ ad ipsam Casam Dei legitime aspicere videntur, inquietare, aut calumniam facere præsumat. Sed diximus liceat eum una cum jam facto Monasterio sub nostra tuitione quietum vivere ac residere, ac si aliquæ causæ adversus eum, aut homines ipsius Monasterii surrexerint, quas infra pagum, cum fidelibus suis definire non potuerint, in præsentiam nostram reserventur, & ut omni regno nostro, & fidelibus nostris pateat, nos præfatum locum, non avaritiæ, vel quæstus, sed pro amore Dei, & animæ salute, atque defensionis causa, in nostram potestatem suscepisse. Hinc à præsente die ac deinceps fratribus ejusdem Monasterii, authoritate nostra damus hanc licentiam, & concedimus, ut post discessum Tottonis Abbatis potestatem habeant inter se eligendi Abbatem, quem meliorem secundum regulam S. Benedicti, & aptiorem nostro servitio invenire, potuerint: nobisque & successoribus nostris præsententur, quatenus Regia sublimentur authoritate & confirmentur. Investitus siquidem per nos, liberum hunc, ab omni exactione curiali

vel

vel munere permittimus abire. Consecrationem & sui Monachorumque concedentes, ubi à religiosis duntaxat Episcopis intra provinciam ordinari poterunt, liberrimam habere. Amplius præsenti sane Abbati ejusque successoribus Monachis, & hominibus ac negotiatoribus præfati Monasterii, qui à nostra authoritate, frequentia populi, ad reliquias sacras venientes inibi statuimus, hanc libertatis gratiam concedimus, ut ubicunque in regno nostro, ad negociandum perrexerint, sive in civitates, vel in oppida, seu pontum navesque petant, sive venientes seu redeuntes, sine exactione telonii, cum pace securi transeant & pergant. Item placuit nostræ providentiæ, in Tottonis præfati Abbatis potestate ponere, ut sapientum usi consiliis, ex his, quos inter potentes seculi noverint esse, æquitatis & fidelitatis amatores eligant suis competentibus locis advocatos, & defensores, si opus habuerint: Sin verò, nos nostrosque successores justissimos & certissimos defensores habeant. Sed nullus hominum sibi hanc potestatem præsumat vendicare, vel quasi hæreditariam, aut aliquo jure debitam invadere, nisi quem Abbatis & Monachorum consulta approbatiora nolunt admittere: eo tamen tenore, ut post fidelitatem Regio jure nobis nostrisq; successoribus, Abbati tria juret Sacramenta. Primùm, quod secundum posse & nosse justus & utilis Advocatus in homines & res prædicti monasterii existat. Secundum, quicquid placitando acquisierit, id est, in juria Bannorum, vel satisfactione temeritatum, tertia sibi parte retenta, duas reddat Abbati: & nullum advocatum, vel exactorem præter se, nisi Abbatis permissione constituat. Tertium quod nihil privati muneris vel servitii à quolibet loco sive curte, seu à villicis, vel à cellariis, quasi ex debito & statuto jure exigat, ac mansiones & pernoctationes uspiam frequentare caveat. Ad unum quemque verò locum (quem Abbas ad placitandum ordinaverit) cum duodecim equis & totidem viris advocatus semel tantum in anno adveniat, nisi pro aliqua necessitate ab Abbate sæpius advocetur, ac tunc pro loci qualitate, ab Abbate honestè suscipiatur, & procuretur. Infra locum Monasterii nullum placitum nisi rogatu vel voluntate

Abbatis

Abbatis unquam ſtatuat, nullum de militari familia, ſine juſta ſociorum ſuorum deliberatione damnet, vel aliqua injuria coërceat & offendat: qui militares vel alio nomine miniſteriales optimo jure perfruantur, quo Fuldenſes vel Augienſes potiuntur. Amplius nullum domus ſervientem ſine conſenſu Abbatis, ad judicium, vel ad damnum cogat. Quando autem hujus comiſſi vel in homines, vel in res (quod vulgo Ballmundt dicitur) extiterit: ſtatim ſine mora & ſine præjudicio (niſi citò reſipuerit) advocatia, cum omnibus commodis, ſine ſpe recuperationis carebit. Et ut hæc firmius credantur, & diligentiùs conſerventur, manu propria ſubterfirmavimus, & annulo noſtro inſignire juſſimus. Ego Ludebertus Archicappellanus recognovi, & ſubſcripſi. Data anno incarnationis Domini 769. Actum Maguntiæ in Pentecoſte, in Dei nomine feliciter, Amen.

Catalogus Utenburrha in Monaſterii Abbatum & gubernatorum talis extat:

1. S. *Totto* Comes Ilergoviæ Sylachi fundatoris filius, qui una cum patre conſtruxit hoc Monaſterium, in honorem S. Martyris Alexandri filii S. Felicitatis, vir pius & vitæ innocentiâ celebris: eligitur Abbas Utthenburranus, anno Chriſti 764. præfuit annis 53. Obiit anno Chriſti 817. decima tertia Calend. Decembr. ætatis ſuæ anno 80. Sepelitur in medio Eccleſiæ, ſed Iſigrinus decimus ſeptimus Abbas tranſtulit eum ſub majus altare. Ejus inventum eſt in ſubterraneis templi locis, anno Chriſti 1522. tale Epitaphion ſaxo inciſum:

Notum ſit cunctis, præſentibus atq; futuris,
Hic tumulata patris venerandi membra Totonis.

2. *Mylo* eligitur anno Chriſti 817. vir ſanctus & nobilis cum virtute, tum genere, præfuit annis 47. deceſſit ex hac mortali vita anno Chriſti 864.

3. *Neodegarius* Epiſcopus Auguſtanus, ex Abbate hujus loci factus mox eodem anno quo accipit, Abbatiam reddit. De quo plura lege in catalogo Epiſcoporum Auguſtanorum. Iſti enim Epiſcopatui laudabiliter aliquandiu præfuit.

4. *Wig-*

4. *Wiggarius*, vel *Widogerus* à Neodegario Episcopo Abbas constituitur anno Domini 864. ubi cùm 24. annis laudabiliter præfuisset ac profuisset, avocatus est ad Augustani etiam Episcopatus gubernationem anno 888. ubi cùm præfuisset 14. annis, retenta Abbatia etiam Utenburrhensi. Obiit doctus, humanus, ac maxime affabilis præsul, & Abbas, reverendus Helvetiorum Apostolus, anno Domini 902. *Heluetiorum Apostolus.*

5. *Birtylo* nobilis vir, ingenuus & fidelis administrator eligitur anno Christi 902. præfuit annis 39. Obiit anno salutis Christianorum 941.

6. *Adalbero* non Abbas, sed Comes quidam, S. Ulrici Episcopi Augustani, è sorore nepos, præficitur Abbatiæ anno Christi 941. in castro Dillingensi apud S. Ulricum pium, ac optimum Antistitem Augustanum: Quamdiu præfuerit ignoratur.

7. *Udalricus* Episcopus Augustanus declaratur Abbas hujus loci anno Christi 971. Is obtinuit confirmationem privilegiorum Monasterii, & novas etiam immunitates, apud Othonem Imperatorem: fuitque in omnibus rebus fidelis pater hujus Cœnobii, cui præfuit per unum penè annum, & resignat gubernationem, declaratque alium Abbatem anno Christi 972. Effecit idem Episcopus, ut nulli magni mures sint in hoc Cœnobio, imo ut & aliunde importati vivere non possint, sed illico expirent ac intermoriantur. Quâ vero industria id factum, ignoratur. Eodem beneficio affecisse dicitur totum Episcopatum suum Augustanum. *Cœnobium muribus carens.*

8. *Rudungus* egregius auctor & locupletator Monasterii, eligitur anno Christi 972. præfuit laudabiliter annis 28. moritur anno Christi milesimo.

9. *Dangolphus* elegitur anno milesimo, præfuit annis 12. Obiit anno 1012.

10. *Sigebertus* eligitur anno 1012. præfuit annis 16. Obiit anno Christi 1028.

11. *Embricus* vir bonus & prudens eligitur anno 1028. præfuit 22. annis. Obiit anno 1050.

12. *Eberhardus* Abbas etiam in Campidono & Degernsehe, S. Quirini Cœnobio perspicacissimi ingenii Monachus, & timore divino plenus, eligitur anno 1050. præfuit annis novendecim. Obiit anno Domini 1069.

13. *Racelmus* vir summæ humilitatis & innocentiæ eligitur anno 1069. præfuit & profuit annis 13. valedixit huic mortali vitæ anno gratiæ 1082.

14. *Adelhalmus* non solum Utenburranus Abbas, sedet Wingartensis, Petershusanus, Neresheymianus, & Faucensis; eligitur ab Utenburensibus, anno Christi 1082. præfuit annis 12. & decessit ex hac vita anno 1094. Is dissecto & everso vetere, novum Monasterium fecisse, & id egregiè illustrasse dicitur.

15. *Gebehardus* utilis Monasterii gubernator & pater optimus, eligitur anno 1094. præfuit annis novem. Adiit solem qui occasum nescit, anno gratiæ 1103. tertia Calend. Octobr.

16. *Henricus* successit Gebehardo quidem in prælatura & dignitate, sed nequaquam in virtute. Erat enim ut ætate juvenis, ita moribus stultus, qui timore Dei vacans, & dilapidatione rerum & bonorum, plurima damna intulit Monasterio, iccirco Deus eum diu præesse non passus est: electus enim anno 1103. Obiit statim anno sequenti.

Abbas Centum & viginti annorum.

17. *S. Rupertus* adductus è Cœnobio S. Georgii, quod est in sylva nigra, eligitur anno Christi 1104. præfuit annis uno & quadraginta. Obiit anno Christi 1145. anno ætatis suæ 120. Fuit egregius Reformator & locupletator Monasterii Utenburensis, item & renovator ac illustrator: nam quod Adelhalmus incepit, S. Rupertus perfecit, adjuvantibus eum Udalrico Constantiensi, & Hermanno Augustano Episcopis, dedicavit templum, in festo Omnium sanctorum. Cùmque antea tantum nobiles in hoc vixissent Monasterio, iste nobilibus humili genere natos etiam adjecit, non habens respectum generis, sed virtutis, pietatis & eruditionis. Addidit etiam & assumsit in partem

tem Monasterii sui nobiles Dominas, quibus eam partem habitandam dedit, in qua hodie adhuc est præfecti seu advocati domus. Hæ Moniales opulentæ egregiè dotarunt hoc Monasterium. Sub hoc Abbate Ruperto, præfuit advocatiæ Wernherus Comes de Schwabeck, fundator Cœnobii Urspergensis, ad Mindulam seu Mindelium fluvium siti. *Moniales Conjunctæ Monachis.*

18. *Isingrinus* de Monasterio S. Ulrici ex Augusta Vindelicorum assumtus, eligitur anno Christi 1145. Oeconomus & paterfamilias longe optimus, qui Monasterium Utenburrhanum plurimùm ditavit, quia eo tempore ad corpus S. Ruperti maximus erat hominum, totas etiam villas donantium, concursus. Ad hujus sepulchrum sedebat jugiter Salcho, frater quidam Utenburrhanus, egregius prædicator laudum & virtutum S. Ruperti, cui cogitationes etiam fratrum dicebat fuisse notas. Hac praxi maximas opes consequuti sunt Utenburrhenses Monachi. Proficiscitur Abbas iste anno gubernationis suæ septimo, unà cum Conrado Augustano Episcopo Romam, anno videlicet 1154. dumque est in eo itinere, conflagravit interim calamitosissimò incendio magna pars Cœnobii Utenburrensis, quod damnum tamen ipse domum reversus, egregiè correxit & resarcivit. Anno decimo septimo suæ gubernationis transtulit corpus S. Totonis, & anno vicesimo primo ex Colonia etiam sanctorum quorundam martyrum corpora apportavit. Donatur privilegiis Monasterium hoc, ad Isyngrini petitionem, anno Christi 1152. ab Eugenio Papa, & anno 1171. à Friderico Barbarossa Imp. Et cùm laudabiliter præfuisset, & profuisset Monasterio, per annos jam triginta tres, redactus est venerandus Senex, occulto Dei judicio ad insaniam, duobus annis ante mortem, quibus habuit Vicetenentem & administratorem, priorem Gernodum; Obiit tandem anno Christi 1180. recuperatis prius sensibus, quàm ex hac vita in alteram discederet.

19. *Bernoldus* eligitur anno Christi 1180. præfuit annis 13. & tandem anno Christi 1193. resignat Abbatiam propter sen-

ſuum defectum. Sub hoc Bernoldo Henricus Marchio de Rumſperg, & ejus uxor Udilhildis donarunt Monaſterium Utenburrhanum vineis, ac aliis quibuſdam redditibus annuis.

20. *Conradus* antea Prior, vir humilis, caſtus, benignus, hoſpitalis, in dandis eleemoſynis largus, in ſervitio Chriſti ſtrenuus, in doctrina præclarus, in orationibus aſſiduus, eligitur in Abbatem anno 1194. conſecratur Auguſtæ ab Udalſchalco Epiſcopo, præfuit fideliter & religioſiſſime annis ferè 36. Primo anno gubernationis iterum miſero periit incendio Utenburrha, valde inclementem habens vulcanum, ſed poſt undecim annos egregiè reſtituitur, templumque dedicatur anno Chriſti 1204. Donatur privilegiis anno 1219. ab Honorio Papa, & Friderico Secundo Imp. Rom. Obiit anno Chriſtianæ ſalutis 1229.

21. *Bertholdus* juvenis quidem ætate, ſed prudentia & probitate morum maximus, & multis etiam ſenibus anteferendus ejuſdem Monaſterii antea Camerarius, conſecratur Gislingi ab Ayſtetenſi Epiſcopo Henrico, abſente & peregrè profecto Auguſtano. Præfuit annis 19. ab anno gratiæ 1226. ad annum uſque 1248. quo propter deficientes corporis vires, Abbatiæ gubernationem volens reſignavit, & paſtoralem baculum alteri commendavit. Hic Bertholdus impetravit à Gregorio Pontifice confirmationem privilegiorum omnium de novo, & ſuper id Infulam, ac cætera ornamenta pontificalia, anno Chriſti 1242. Fuit ergo iſte primus hujus loci Abbas infulatus, cujus tale extat Epitaphion.

Præſens prælatus hic veſtem pontificatus
Obtinuit primus hujus: memore prece cujus.

22. *Waltherus* integerrimus & optimus pater eligitur, anno Chriſti 1248. confirmatur ab Innocentio IV. Obiit quarto gubernationis ſuæ anno, videlicet anno 1252.

23. *Henricus* præficitur anno 1252. confirmatur ab Alexandro quarto, præfuit ſex annis. Obiit anno Chriſtianæ ſalutis 1258.

24. *Sigefridus* ſucceſſit Henrico, præfuit annis 8. utiliter. Obiit anno 1266.

25. *Hen-*

25. *Henricus* de Bregantia Baro eligitur anno Domini 1266. præfuit annis 30. & deceſſit ex hac mortali ad immortalem vitam anno Chriſti 1296.

26. *Conradus* eligitur anno 1296. Circa hæc tempora plane erat collapſa vita regularis, quæ poſtea reformata & reſtituta eſt ab Abbate Gulielmo. Præfuit Conradus annis 16. Obiit anno ſalutis 1312.

27. *Henricus* elegitur anno 1312. præfuit annis decem. Obiit anno 1322.

28. *Henricus de Nordholcz* eligitur anno 1322. præfuit uno & triginta annis, ac ceſſis ex hujus vitæ turbulentiſſimo mari, ad æternæ ſalutis portum, anno 1353.

29. *Joannes de Altmanshofen* eligitur cõmuni omnium voce anno Chriſtianorum 1353. præfuit annis 18. Obiit anno ſalutis 1371.

30. *Udalricus de Kneringen*, eligitur anno 1371. tempore Gregorii undecimi, à quo confirmatur: præfuit annis ſeptem. Obiit anno gratiæ 1378.

31. *Joannes Hocherer* eligitur anno Chriſtianorum 1378. tempore Urbani Sexti præfuit annis 12. commutavit hanc mortalem cum meliore vita anno 1390.

32. *Henricus* eligitur anno Chriſti 1390. tempore Burcardi Antiſtitis Auguſtani, præfuit octo annis, & aliquot menſibus. Obiit anno 1399.

33. *Joannes de Affſtetten* eligitur anno 1399. & infra anni ſpatium Abbatiam reſignat: fuit vir pius & religionis obſervantiſſimus.

34. *Joannes Ruſſingerus* cellarius antea ad S. Ulricum, in Auguſta Vindelicorum: eligitur anno Chriſti 1400. præfuit quatuor annis, & revocatus Auguſtam Abbas ad S. Ulricum deſignatur. Is quia pontificali mitra uſus erat, apud Utenburram, noluit illa etiam deinceps in ſuo Monaſterio carere: Ergò ſibi ſuisque ſucceſſoribus pontificalia illa ornamenta, à Pontifice Max. decerni & confirmari fecit.

35. *Eggo* Comes de Schwabeck egregius paterfamilias, & utilis gubernator Monaſterii. Vir omnino magnanimus, eligitur

anno 1404. Joanne ad S. Ulricum redeunte. Impetravit confirmationem à Ruperto & Sigismundo Imperatoribus, fuit annis 12. incidit in acerrimas contentiones, cum quibusdam nobilibus Monasterio incommodare volentibus, qui tantum effecerunt, ut Abbas anno Domini 1416. in lecto suo cubans noctu interficeretur, à propriis suis ministris, & per fenestram è summo conclavi deturbaretur, ne existimaret aliquis dolo eum aut vi esse interemtum. Hactenus fuerunt omnes nobiles, & sublimi genere nati Abbates, qui sequuntur, ex media plebe assumti sunt : excepto Gulielmo à Luschnau.

Abbas trucitatur à famulis suis.

36. *Joannes Schedler* Campidonensis vir religiosus, doctus & procerus, eligitur anno Christi 1416. præfuit annis 32. Obiit anno Christi 1448.

37. *Jodocus Niderhoff* Memmingensis cæpit regnare una cùm Joanne anno Christi 1443. fuerat antea præpositus ad S. Nicolaum Memmingæ : & quia civis erat Memmingensis, attulit ille secum, ad Cœnobium Utenburrhanum, domum suam ac majorum suorum intra muros urbis Memmingensis sitam : præfuit annis decem. Obiit anno Christi 1453.

Mindelheim.

38. *Joannes Graus* ex Mindelheimio celebri Fronspergiorum oppido natus, vir pius, & Monasterio isti utilissimus gubernator, eligitur anno 1453. Confirmatur & consecratur à Petro Cardinali Augustano, præfuit 22. annis. Obiit anno Christi 1475. ipsa die Innocentum.

39. *Wilhelmus de Luschnau* vir nobilis, elegans, hilaris, facundus, ingeniosus & rebus gerendis exercitatissimus, præpositus antea in Rodt Monasterio, propè Dinckelspuhelium sito, quam præpositurum constituerat hic Abbas in Hirsaugia. Is inquam constituitur Abbas à Petro Cardinali Augustano, præfuit annis quatuor : Obiit anno Domini 1479.

40. *Nicolaus Röslin* elegitur anno Christi 1480. præfuit annis 12. Obiit anno 1492.

41. *Matthæus Akherman* seu Agricola Constantiensis, eligitur anno 1492. præfuit annis octodecim, depositus & exauthoratus

thoratus est anno 1510. Obiit autem posteá anno Domini 1512.

42. *Leonhardus Wideman* aut Salicetus, patria Dillingensis: vir pius, doctus, integer, castus, munificus ac liberalis in eruditos omnes, & in pauperes omnes: cœpit Monasterio præesse vivente adhuc Matthæo, anno nimirum 1508. præfuit annis 38. Obiit ad lacum Æronium, in pago Supplingensi procul à Cœnobio propter bellicos tumultus à Smalchaldici fœderis asseclis contra Carolum V. excitatos exulans, anno Christi 1546. vidit maximo animi dolore misere lacerari sua ætate Cœnobium suum à seditiosis rusticis. Vidit postea Cinglianorum furores comminuentium, & confringentium omnia, quæ ad excitandum timorem Dei, in imperitis erant à vetustis hominibus erecta, & instituta. Idem Moniales instituti Franciscani, è Memmingiaco per eundem furorem ejectas, pio excepit hospitio, ædificans illis Cœnobiolum, supra suum Monasterium, in eadem Guntiana valle, & in sinistra Gunczii fluvioli, quod Ellerinium à multitudine populi arboris appellavit. Ejus tumulum ego à successore rogatus talibus honoravi Epitaphiis, cùm anno Domini 1547. ad Comitia Augustana è Lindavio iter facerem. *Supplingen* *Ellerinium* *Cœnobium*

L ubrica contemnens mundanæ gaudia vitæ
E t fugiens quicquid lexq; deusq; vetant.
O mnibus ornatus superæ virtutibus aulæ,
N ulli non charus, non reverendus homo.
H umanus turbæ pater & defensor egenæ,
A ptus ad ornandas relligionis opes.
R erum sacrarum mire studiosus amansq;,
D octus in æthereis in laciisq; libris
V ivus in æde locum sacra sibi legerat istum
S ed voto invidit Parca maligna pio.
V ndiq; dum furit hostis enim, & te seditiosi
V iribus invadunt Carole Quinte suis
I n Supplingensem procul hinc secedere pagum,
D e sacra & propria cogitur ipse domo!
E vita tristi hic superam concessit ad arcem,

M unda-

M undanis dicens rebus ubiq; vale.
A st ego successor tuus ô Leonharde clienſq;,
N e quis me ingratum dicere posſit ovans.
V irtuti meritisq; tuis, animæq; pudicæ,
S axum hoc pono pia dexteritate tua.
Vive pater Leonharde poli cum principe Christo,
In cujus requies est tibi parta sinu.

Aliud Epitaphion.

L urida quem triſti mors ſuſtulit atraq; vult V
E vita, in medio hunc terra habet iſta ſin V
O ſſa ſed hic tantum requieſcunt more decent I
N amq; anima ad Superos venit, & aſtra tene T
H ac erat Abbatis Leonhardi, relligion E
A uguſti imprimis, laudibus & totide M
R egia quotquot habet cœlorum principis aul A
D icatur placido hinc pectore ſemper hyme N
V ivit enim in Chriſto ſine curis, atq; tumult U
S anctus cum Sanctis ſcilicet usq; viri S

Aliud Epitaphion.

Legerat hanc ſedem Leonhardus Wideman Abbas,
Defunctis membris oſſibus atq; ſuis.
Sed mors invida, quæ cunctis graſſatur in oris,
Non eſt hic ſanctum paſſa cubare virum.
Supplingæ innocui requieſcunt oſſa parentis
Spiritus æterni vivit in arce Dei.
Dexteritas animi, pietas candorq; fideſq;,
Vix fuit in priſcis par ſimiliſq; viru.
Caſtus erat mitis, pius hoſpitibusq; benignus,
Doctrinæ imprimis omnis & artis amans.

D. Leon-

D. Leonhardo VVidemanno optimè merito, pio, casto, docto ac integerrimo Abbati: suo velut Alteri parenti, suoq. anteceſſori P. Pietatis gratitudinis ac honoris ergò Gaſpar Kindelmannus Helvetius.

Rapersvyl.

43. *Gaſpar Kindelmannus* ex Rapersvvyl Helvetiorum oppido ad lacum Tigurinum natus, ætate juvenis, prudentia ſenex, pietate magnus, corpore parvus, omnibus egregium Abbatem decentibus virtutibus eximiè conſpicuus, & omnium favore ac amore digniſſimus: eligitur anno Chriſti 1547. in die converſionis Pauli, cum ageret annum ætatis ſuæ triceſimum ſecundum: Præſidet hoc adhuc currente anno 1551. conſtruans ex imis fundamentis novum idemque magnificum ac ſumtuoſum templum.

Huic det felices cœlorum conditor annos,
Et fortunet eum, contegat atq. beet.

Walt.

WALDSEEHENSIS præpoſituræ (quod eſt Canonicorum regularium S. Auguſtini Cœnobium in Svevis, & Dapiferorum Walburgenſium ditione, intra mœnia oppidi Walczenſis, ad amnem, lacum, unde nomen & oppido & Cœnobio contigit, ſitum) ejus inquam fundator fuit, anno virginei partus 1181. Illuſtriſſimus Svevorum princeps Fridericus II. qui (ut ibi ſcriptum legitur) inter mortales candidiſſime vivens, hujus ſacræ ædis ac Canonicæ congregationis omnium prima fundamenta jecit, moxque ætatis ſuæ 31. anno, ſub Innocentio tertio, Apoſtolici gregis paſtore in Romanorum Regem confirmatus, deinde ab Honorio Papa in Imperatorem coronatus eſt: & cum per triginta tres annos imperatoria ſceptra tenuiſſet, feliciter in Chriſto obdormivit. De hac fundatione tale extat meum Schediaſma Heroicum:

Fridericus II. Imperator.

Waldſenſem hanc ædem pietatis amore, ſecundus
Conſtruxit Fridericus, avorum à ſtirpe Svevus:
Imperii princeps, Rex, & Mavortius heros,
Ille nepos magni, & Mavortis Cæſaris ejus,
Qui ruffa barba toti orbi eſt nomine notus.

Sed nomen lacus ipſe loco dedit, ipſaq; ſylva,
Proxima, ſi veteres non dicunt vana libelli.
Hanc decimus quintus nunc præpoſitusq; parensq;,
Pulchre illuſtratam patria bonitate gubernat,
Hieronymus Schlaich: *vir venerabilis atq; fidelis,*
Iſtius eximiæ pater illuſtrator, & ingens
Augmentator, & Oeconomus laudabilis, ædis.
Is, quo Saxoniam debellat Carolus anno
Præfuerat domui huic viginti quatuor annis.
Utq; diutius huic præſit feliciter, ipſos
Oremus ſuperos, & Chriſti numen JEsu.

Eſt in hoc Cœnobio celebris ſepultura illuſtrium Sacri Romani Imperii Dapiferorum, Baronum de Waldburg: quorum hæc ſunt nomina:

Dominus Georgius Dapifer, longus Dominus cognominatus. Obiit apud Waldſee anno 1482.

Dominus *Chriſtophorus* Dapifer, Baro Walburgis, Domini Joannis junioris filius, qui obiit Fryburgi in Briſgovia, ſepelitur anno 2494. in Waldſee.

Dominus *Joannes* Dapifer. Obiit anno 1511.

Dominus *Georgius* ſacri Romani Imperii Dapifer, Baro de Waldburg, præfectus provinciæ Svevicæ, Vice-tenens Regiæ Majeſtatis, in ducatu Wirtembergenſi, Joannis filius. Obiit Stuggardiæ anno ætatis ſuæ quadrageſimo tertio, unde in ſuam ditionem revectus, in Waldſeehenſi Cœnobio, anno Chriſti 1531. cum tali Epitaphio ſepelitur:

Magnanimus ductor clarusq; Georgius armis
Ex Walburg Dapifer clauditur hoc tumulo.
Virtutis generoſa proles, venerabile morum
Exemplar, patria nobilitatis honos.
Juſtitiæ cultor præſtans, & moribus aquis,
Utq; toga celebris, ſic pietate fuit.
Non illi ingenium, non robur corporis ingens
Defuit, aut ſummo principe dignus honor.

Illuſtres

Illustres titulos, meritosq; ex hoc triumphos
Sæpe tulit victor vita trophæa manu.
Quas meruit laudes, quum rustica turba per agros
Verteret in dominos impia tela suos,
Vel dum sceptra tenens commissam à Cæsare gentem
Wirtembergiacam non sine pace regit.
Gratus apud quos sic itidem vitam ipse reliquit,
Huic placidus populo quo tegiturq; solo.
Vixit lustra novem, septem nec plus minus annos:
Ossa tenet lapis, ast ipsam animam superi.

In ejusdem laudem tale etiam ibi legitur Elegidion, Bibliothecæ parieti inscriptum:

Nunc vos ô fratres Baronem plangite vestrum,
Qui cecidit morbo nuper ademptus acri.
Imò si qua manet pietas, Germania late
Hunc debet lachrymis condecorare piis.
Nam licet antiquis fuerit natalibus ortus,
Dives opum, forma præditus eximia:
Non tamen ut multi faciunt, corrumpere vitam
Occepit luxu desidiaq; suam:
Sed mox à puero studiis addictus honestis,
Emicuit gentis gloria magna suæ:
Verus justitiæ cultor, pietatis amator,
Eloquio pollens, Consilioq; gravi.
Semper consuluit paci pro viribus almæ,
Et rexit placidâ subditione suos.
Quin etiam nostro claris efflоruit armis,
Tempore conspicuos inter honore viros.
Nam cùm seditio sæviret rustica passim,
Adversus Dominos: hoc Duce pulsa fuit.
Addo quod ejectis ultro citroq; Tyrannis
Sæpe tulit patriæ commoda magna suæ.
Sed quæ cuncta suis corrumpit legibus, illum
Sustulit insignem mors turculenta virum.

Dominus *Jacobus* Baro de Waldburg, Georgii filius. Obiit Savonæ ad Cuczerum, cùm in Bello Marsiliano ex maris mediterranei tempestate infirmatus, in provinciam redeuntem Carolum V. Imperatorem sequeretur: Sepelitur Savonæ Imperatoris jussu anno 1536. decima tertia Octobris. Et in Waldseeh honorarium Monumentum, cum tali Epigraphe erectum est: Savonæ.

O genus humanum infelix, ô Jupiter alme!
Cur data vix nobis illicò dona rapis.
Clarus erat juvenis, clara de stirpe Baronum,
Jacóbus, titulis notus ubiq; suis.
Huic genitor fueras Svevorum summa Georgi
Gloria, quem miseris abstulit atra dies.
Cùm puer is primos dociles pervenit ad annos,
Mittitur in Latium discere literulas.
Hunc rabidus raptor Roseo de Monte, perennis
Hostis in Imperio, vi Thoma surripuit.
Quatuor ut primum fecit quinquennia, terras
Deseruit patrias, Cæsaris arma sequens.
Adventu juvenis gratatur Cæsare, & illi
Tradebat propria bellica signa manu.
Gallia vastatur, sed iniquo Marte cadebant
Cæsaris heroum corpora multa tabe.
Heu quoq; solverunt fatales fila sorores
Morte viri gelida: Gallia membra tenet.

Habuit hoc Cœnobium semper gubernatores præpositos, quorum hæc extant nomina:

1. *Bertholdus* Dominus de Wallseer.
2. *Rudolphus* nobilis de Prato.
3. *Joannes* de Monte Zurch.
4. *Jacobus* de Waldseeh.
5. *Henricus* de Thann nobilis.
6. *Wolffhardus* de Wolffurt obiit anno 1382.
7. *Conradus* Wiser Wangensis præfuit 26. annis. Obiit anno 1408.

8. Jac-

8. *Jacobus* Spet nobilis.

9. *Jacobus Metſcher.* Obiit anno 1418.

10. *Conradus Rugelin* Obiit anno 1428. interfuit Concilio Conſtantienſi & Baſilienſi, ex quibus rediens fundavit Rutenſe vicinum Beginarum ſeu Franciſcani Inſtituti ſororcularum Cœnobiolum.

11. *Petrus Mæhaber* de Hopffenwyler deceſſit anno 1450. cùm præfuiſſet annis 22.

12. *Henricus Fuchs* ex Epiſcopi Conſtantienſis oppido Martorffo natus, frater Petri & Joannis Abbatum in Schuſſenriedt, & Augia minore. Valedixit vitæ, anno Domini 1492. cùm ſedisſet ad clavum annis quadraginta duobus.

13. *Lucas Hœrber* nobilis de Ringenberg præfuit annis 11. Obiit annis 1503.

14. *Adam Molitor* de Wurzach deceſſit anno 1523.

15. *Hieronymus Schlaich*, vir literis & humanitate clarus, quique novis & elegantibus ſtructuris, hoc Cœnobium præclare illuſtravit: electus anno 1423. ſexta die Maij, præfuit adhuc in proximorum anno Jubileo.

WEttenhuſium Monaſterium Marchionatus Burgovienſis, in Svevia ad Camlachium amnem, medio itinere inter Ulmam & Auguſtam, ſitum, ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini: fundatum eſt anno Chriſti 982. à Conrado Equite aurato, & Wernhero fratribus Comitibus de Rockenſtein: & Domina Gertrude eorum matre, quæ dicitur eſſe vera fundatrix. Petiit enim tantum agri à filiis ad extruendum locum ſacrum, quantum ipſa unius diei ſpatio aratro poſſet circumſcribere, quod cùm à filiis facile impetraſſet, ipſa miræ parvitatis & levitatis aratrum adornans, id ſpatium, quod hodie adhuc iſti Cœnobio paret, obequitans, & aratrum in ſinu geſtans, circumſcripſiſſe, & obtinuiſſe legitur. Benefactores hujus Monaſtici loci celebrantur. *Petitio ad impetrandos monaſtis limites per aratrū.*

Conradus à Riethaim
Conradus à Flachberg
Henricus à Kneringen } omnes Equites aurati.
Eberhardus ab Hammerſtetten
Haller. *Burcardus Haller*

Sepulti vero in hoc Monaſterio cubant primum Henricus ultimus Marchio Burgovienſis, qui obiit anno Domini 1283. poſtea verò plurimi nobiles à Rodt cum conjugibus ſuis.

Udalricus à Rodt, cum conjuge Urſula Burggravia.
Conradus à Rodt, cum duobus filiis Henrico Sapiente, & Rudolpho.
Henricus à Rodt, cum Adelheide Uxore.
Joannes à Rodt, cum conjuge Magdalena Marſallina.
Stephanus à Rodt, cum Agnete à Weſterſtetten cum conjuge.
Georgius à Rodt, cum conjuge Khunigunde à Neydeck.
Joannes à Rodt, cum Ottylia à Wehingen uxore ſua.
Joannes à Rodt, cum Urſula Spetina conjuge.

Alii item nobiles ab Ellerbach.
Joannes videlicet cum Elyſa conjuge.
Burcardus, cum Verena conjuge.
Puppelinus, cum Domina Anna ab Aychelberg conjuge.

Item:
Henricus.
Wolfgangus.
Georgius, omnes nobiles ab Ellerbach.

Hujus Cœnobii Præpoſitorum hæc tantùm nuda extant nomina.

1. *Henricus.*
2. *Egloſius.*
3. *Bertholdus.*
4. *Henricus* à Rodt.
5. *Sifridus.*
6. *Henricus Raunerus.*
7. *Conradus.*

8. *Petrus*

8. *Petrus.*
9. *Stephanus.*
10. *Wernherus.*
11. *Ludovicus.*
12. *Ulricus Hieberus* Ettenburranus, latinè satis doctus, optimus œconomus eligitur anno Christi 1505. fuit egregius illustrator Monasterii, cui laudabiliter præfuit annis 27. Restaurator templi ruinam minitantis. Obiit anno 1532.
13. *Georgius Frey* Gunsburgius, eligitur anno 1532. homo morosus & in quem non male quadrat veteris poëtæ, de Polyphemo versiculus:

Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli:

Præest hoc nimirum curente adhuc Jubileo.

WEichenstephanum (quod si latinè dicere velles. Consecratum Stephanum non inconvenienter appellaret) Benedictinæ professionis elegans ac magnificum in amœnissimoque monte, prope Frisingam, Episcopalem in Bavaris civitatem, situm Cœnobium: constructum legitur anno Christi 830. Ab Hittone Frisingensis Ecclesiæ Episcopo sexto, qui instituit ibi primum, Præpositum cum sex Præbendariis. De hac prima fundatione extant tales versiculi rudes quidem & Barbari, sed ob antiquitatem non omitendi.

Centum sunt octies triginta scilicet anni.
Christi verbigenæ per omnia secla regnantis,
Suplex Hittonis devotio Præsulis almi,
Frisingæ fundat, statuens hic præposituram.

Præpositura S. Viti.

Anno vero Domini 1021. transtulit præposituram hanc in ejusdem montis umbilicum S. Viti appellatione notum, in hunc consecrati Stephani verò altiorem montem Monachos cum Abbate Secundum D. Benedicti regulam victuros introduxit Dominus Egilbertus, omni laude dignissimus Frisingensium Episcopus, & Antistes decimus septimus, ex nobilissima Mosburgensium Comitum stirpe natus. De qua secunda & vera fun-

fundatione in hunc usque diem durante tale extat Tetrastichon:

Hinc anno Milleno vigeno quoq; primo,
Præposituram Præsul Egilbertus vehit inde
Translatam, Viti cœpere cacumina Montis:
Cœpit ac hic Benedicti floribus ordo per ipsum.

Dedit verò Episcopus Egilbertus de rebus Ecclesiæ S. Mariæ virginis, ac S. Corbiniani, primi Frisingensium Episcopi, ad Monachorum hujus loci sustentationem & pagos multos, & decimas plurimas, in variis locis. Sanctus autem Imperator, Henricus, cognomento claudus, dedit eidem novo Monasterio, partem insulæ cujusdam in Austria sitæ, quam Saxonaganam appellabant: pro qua idem præsul Egelbertus dedit Monachis villam Hagelhusensem. Apellatus est antiquitùs Mons iste excelsus (in quo est Cœnobium consecrati Stephani, & ex quo videri possunt multæ circumjacentes urbes, Monachum videlicet Landishuta & aliæ) Thettmons, vel Thettonis mons, ut est in his duobus adhuc versiculis:

Saxonagana.

Thettonis Mons.

Inclytus iste locus proprio cognomine Thettmons,
Noscitur esse sacer, procerum de pignore comptus.

Pipini Castræ.

In ejus summitate castrum olim fuisse legitur Pipini Galliarum & Alemanniæ Regis, in quo postea Carolomannus etiam sedem suam habuisse scribitur. Fuit verò arci contiguum templum etiam S. Stephani, id anno Christi 740. à Pipino conditum & illustratum est. Eversum est castrum an. Domini 746. à Marsilio Svevorum Rege: Pipino in franciam Orientalem, ad Carolomannum, profecto, videnturque hodie adhuc in Monte fossæ amplæ, quæ arcem magnificam ibi fuisse satis luculenter ostendunt. Circa vel paulo post hæc ipsa tempora Romam peregrinatus est S. Corbinianus, qui à Papa, beato Gregorio Juniore, sacerdotalem, cum Pallii privilegio, benedictionem adeptus, in convertendas ad Christum gentes ac Idolatricas adhuc provincias mittitur. Is variis locis concionans, tandem per Tridentinam vallem, in Bavariam venit, à cujus terræ præglorioso Duce

S. Corbinianus.

ce Grimoaldo clementer exceptus esse legitur. Ibi vir Dei S. Corbinianus in honore S. Benedicti primum in monte Frisingensi, ducali Authoritate sibi concesso, eam Ecclesiam condidit, quæ beatæ virginis Chathedrali templo contigua etiam hodie adhuc est: in eam Monachorum sacrum Conventum collocavit. In hoc verò S. Stephani etiam Monte, idem S. Corbinianus primus Frisingensium Episcopus, oratorium sibi condidisse, & illic vixisse legitur, inductus in eum locum miraculosâ quadam Psallentium Angelorum voce. Ostenditur illic hodie adhuc puteus & uberrimus Fons, quem S. Corbinianus precibus à Deo impetrasse, & terrâ bacillo percussa fecisse dicitur, deficientibus in monte aquis, & de procul afferendarum aquarum difficultate conquerentibus Episcopi ministris. Extant de hoc fonte tales adhuc versiculi:

Templum S. Benedicti.

Fons, bacilli percussione, exortus.

Transactis igitur per tempora plura diebus,
Concessas quondam plebs sitiebat aquas:
Accendunt animos in vota, precesq; retexunt:
Ipse fatigatur voce polus querula.
Jejunant, quin & tridui statione peracta,
Quæritur admotis forte locus crucibus.
Hac freti clerus, plebs, innuptæq; puellæ
Adsunt, & Christum supplice voce rogant.

Tantum invenio de hujus loci Antiquitatibus. Catalogum Abbatum talem mihi communicavit ejusdem loci ingeniosissimus artificiosissimusque Cœnobita, Benedictus Dollius Cellæ præfectus: Mathematicus, pictor ac sculptor planè mirificus, humanitate nemini sui ordinis hominum secundus.

1. *Gerhardus* ex Bavarico Monasterio Seûn assumtus, præficitur Abbatiæ consecrati Stephani Primus Abbas, ab Episcopo Egilberto: quamdiu verò præfuerit, is ignoratur.

2. *Arnoldus* substituitur Gerhardo, ab ipso eodem etiam Episcopo, sed quo anno id etiam incertum. Obiit verò anno Christi 1041. Sub ejus gubernatione decessit ex hac vita Egilbertus fundator, anno 1039. cùm sedisset ad clavum Episcopatûs,

tus annis 34. Sepelitur in Ecclesia Cathedrali, & ante aram S. Spiritûs.

3. *Dietfridus* successit Arnoldo, discessit ab Abbatia, & dimisit eam anno 1047. cum præfuisset sex annis.

4. *Henricus* præfuit annis 15. dimisit Abbatiam anno 1062.

5. *Beringerus* præfuit duobus annis, & submersus periit in Danubio tertia Kal. Maij, anno Christianæ Salutis 1064.

6. *Hagano* successit octava Kal. Febr. Anno 1065. Obiit anno 1070. cùm annis præsedisset 15.

7. *Henricus* obiit anno 1082. cum præfuisset annis duobus.

8. *Erchangerus* præficitur quarta Nonarum Augusti. Sub ejus gubernatione combustum est Cœnobium, anno 1085. per negligentiam Monachi cujusdam; reconsecratum verò post hujus reædificationem, octava Kal. Septemb. anno 1095. à Meginhardo Frisingensi Episcopo, qui Ercangerum tandem exauthoravit.

9. *Pabo de Priselingen* propè Ratisbonam sito Cœnobio evocatus: efficitur Abbas hujus loci anno 1096. & paulò post iterum deturbatur è gubernationis fastigio. Sequente anno Henricus Quartus Imp. ab Italia reversus, reimpetravit exauthorato Erchangero Abbatiam. Anno 1098. obiit Episcopus Meginhardus, successit Henricus, qui anno 1099. Paboni Abbatiam reddidit. Hoc ipso anno visæ sunt à Marquardo clerico S. Virginis variæ & insolitæ apparitiones igneæ, faces ardentes, & similia meteora multa, supra Cœnobium S. Stephani.

S. Virginis apparitiones.

10. *Meginhardus* eligitur anno 1117. Sub hoc fulmine est tactum Cœnobium, ita ut Monachi etiam prosternerentur in templo, sed citra jacturam vitæ.

11. *Sigmarus* præficitur Abbatiæ, ab Othone Episcopo, anno 1138. fuit nobilis genere. Consequutus est Privilegia ab Imperatore Conrado secundo, & Papa Eugenio tertio. Obiit anno Domini 1147.

12. *Gun-*

12. *Gutherus*, Abbas Weihenstephanianus constituitur, anno 1148. & anno sequente exauthoratur iterum, fratribus aliquibus insolentiam ejus accusantibus.

13. *Rapatho* successit ei, qui tandem cæcus effectus. Resignavit Abbatiam, anno 1172. cum præfuisset utiliter annis 23.

14. *Sibotho* subrogatur resignanti Rapathoni, præfuit duobus annis, & ultrò sese Magistratu abdicavit, eò quod se inhabilem, ac parum tali gubernationi idoneum esse videret.

15. *Regimbotho* designatur anno 1174. præfuit octo annis, & longâ infirmitate planè defatigatus, & omnibus viribus exhaustus, resignavit anno 1182.

16. *Alto* successit, ex Priore Abbas factus. Sub ejus Regimine, secundo concrematum est Cœnobium V. Id. Maii, anno 1197. incipiente noctis crepusculo: postquam calamitatem Alto resignavit, cum sedisset ab Abbatiæ clavum annis quindecim.

17. *Eberhardus* eligitur anno 1197. præfuit annis 22. Sub eo dedicatum est Monasterium hujus loci, anno Domini 1200. in ipso videlicet anno Jubileo, à Venerabili Domino Chunrado Moguntino & Sabinensi Episcopo, Crucis Christi Ministro: cooperante sibi Othone secundo, Frisingensi Antistite. Idque factum in honorem S. Michaëlis Archangeli, & S. Stephani Protomartyris, tertia Kal. Octobrium. Obiit Eberhardus Abbas anno 1219.

18. *Meinhardus* successit Eberhardo: qui cum 5. annis præfuisset, abdicavit sese iterum Magistratu anno 1224.

19. *Udalricus* Ætalensis Abbas, successit anno 1225.

20. *Udalricus* Secundus, Abbas in Seûn: eligitur in hujus etiam loci Administratorem, anno 1226. Sed ultrò Abbatiam susceptam mox iterum dimisit.

21. *Udalricus* Tertius eligitur anno 1227. præfuit annis 24. Sub ejus gubernatione anno Domini 1241. pridie Nonarum Octobris Eclipsis Solis facta est tanta, ut claræ Stellæ apparerent in cœlo, ipsô etiam medio die. Sequente anno

Eclipsis Solis maxima.

Monialiũ Cœnobium

anno clauſtrum Dominarum (quod à prima fundatione huic Cœnobio conjunctum fuit) combuſtum eſt, in feſto undecim millium Virginum. Et iterum in ſequentibus temporibus, anno nimirum 1245. totum Cœnobium Weichenſtephanianum, in feſto Leodegarii Martyris exuſtum eſt. Obiit Abbas iſte Ulricus Tertius, anno Chriſti 1251. decima quinta Kal. Maii.

22. *Iſenricus* ſubrogatur Udalrico Tertio, præfuit 4. annis, & reſignat.

23. *Udalricus* Quartus, de Tegernſee S. Quirini Bavarico Cœnobio aſſumtus eligitur, anno 1255. Obiit mox anno ſequente.

24. *Ludovicus* ſucceſſit: ſed is iterum Magiſtratu ſeſe abdicavit, anno 1262. cùm ſediſſet ad gubernaculum quinque annis.

25. *Chunradus* Primus eligitur anno 1262. præfuit 38. annis. Deceſſit ex hac mortali vita, anno Chriſti 1300.

26. *Chunradus* Secundus primò ſubſtituitur. Sub ejus gubernatione reconciliatum eſt Monaſterium anno 1305. ab Epiſcopo Sabinenſi. Idem Chunradus Abbas anno 1309. creatus eſt Ananienſis Epiſcopus, & Suffraganeus Eccleſiæ Friſingenſis: Conſecratur in civitate Concordiâ à tribus Epiſcopis: & nihilominus Abbatiam tenuit per triennium adhuc.

27. *Nicolaus* eligitur in Abbatum, anno 1311. præfuit per unum ſaltem annum, & obiit.

28. *Henricus* cognomento *Seefelder*, aſſumtus è S. Quirini Tigurino apud Bavaros Cœnobio: eligitur anno 1312. Quamdiu præfuerit, ignoratur.

29. *Waltherus* ſucceſſit: ſed quo anno, id æque incertum eſt. Deceſſit is iterum & à gubernatione & ex vita anno Chriſti 1319.

30. *Chunradus* Tertius Walthero ſubrogatur: præfuit per novennium. Obiit anno 1328.

31. *Chunradus* Quartus, cognomento *Chrenius*, Auſtrius: ſucceſſit ejusdem nominis tertio. Præfuit 3. annis. Obiit anno Domini 1331.

32. Mar-

32. *Marquardus* eligitur in festo S. Barbaræ ejusdem anni, quò anteceſſor rebus humanis exemptus eſt: Præfuit annis 36. Confirmatur Conſtantiæ, ab Epiſcopo Friſingenſi Chunrado de Klingenberg, Dominica poſt Epiphaniam. Reparavit is Abbatiam quarto ſui regiminis, anno videlicet 1336. Ejusdem anni tempore Autumnali, in feſto traslationis S. Ruperti, totum Monaſterium cum omnibus penè ejus, & intra & extra muros habitis rebus, tam in prædiis, quàm in ſtructuris, miſerrimè & devaſtatum & ſpoliatum eſt, per exercitum quadraginta millium Galeatorum imperatoris Ludovici ex una parte, qui cum eodem exercitu Friſingi & circumquaque, per totam æſtatem commorantes violenter omnia deſtruxerunt: Et ex altera parte per Ducem Landishutanum Henricum, cum exercitu duorum Principum, ſcilicet ipſius Ducis & Regis Bohemiæ, trium millium Galeatorum contra dictum Imperatorem pugnantium. Sed Imperator cum ſuo exercitu victor, totam terram ipſius ducis Henrici potenter transivit. Hæc magis notabilium hujus loci calamitatum legitur fuiſſe quinta. *Bellum in Bavaria.*

Anno Domini 1348. in feſto Converſionis S. Pauli: ſole adhuc lucente & claro, circa pulſum veſperarum, die ſtatim nubibus involuto & nubilo facto, tantus terræ motus factus eſt, quantus à paſſione Domini nec viſus nec auditus. Vidimus enim (ſic ſcribit is, qui eâ tempeſtate in Cœnobio hoc vixit, & tantum miraculum annotavit) domos altas & muratas, pariter & Eccleſias fortiſſimè ſe moventes, audivimus, item Feneſtralia propter motum tam violentum, ſonum edere maximum. Vidimus arbores ſylveſtres maximas in terra ſtantes, ſe commovendo invicem pulſare, fluxus rectos aquarum errantes, & extra ripas ſuas, propter tantum tremorem terræ evagantes: Aquas verò limpidiſſimas etiam, vidimus hoc terræ motus tempore turbidas, hâc hora fuerunt homines quaſi amentes, & dolentes circa capita. Euntes in via errabant: ſtantes, ſtare non volebant. Audivimus inſuper ob motum talem campanulas in Eccleſiis dependentes ſeſe pulſare. Obiit Abbas Marquardus anno 1367. *Terræ motus ſtupendus.*

33. *Gallus* cognomento Pictor succeſſit, Monachus hujus loci, Abbas ejusdem factus: dictus Pictor ab artificio ſuo, & quòd Pictoris filius eſſet: præfuit quidem, at non profuit, Monaſterii enim ſubſtantiam malè ac luxurioſè conſumſit: Abbatiam igitur non diu tenuit, ſed exauthoratus, ad parrochiam Mallershovenſem translatus eſt: Poſteà Iſaro amne abſorptus, periit.

34. *Albertus* homo juvenis ac admodum pompoſus ſucceſſit, qui negligentiſſimè etiam præfuit, Cœnobioque plurimùm obfuit: Iccircò ab ipſo ejus ætatis Epiſcopo Friſingenſi exauthoratus. Habuit ſucceſſorem Monachum quendam Cœnobii Schyrenſis, cognomento Munnenbeggium. Appellavit verò Albertus Pontificem contra intruſum Abbatem, & ipſum etiam Epiſcopum, ſed antequam à Pontifice rediret ad Abbatiæ poſſeſſionem, obiit in itinere. Munnenbegius Schyrum rediit, ubi tandem Abbas deſignatus eſſe ſcribitur. Poſteà circa annum Domini 1378. quidam novæ Cellæ Præpoſitus, dictus Stephanus Proczenneſtius, à vulgato ac uſitato ſuo proverbio, ſuſcepit gubernationem Monaſterii hujus, non quidem ut Abbas, ſed ſicut
35. Proviſor & Adminiſtrator, Friderico Bavarorum Duce ei gubernaculum committente, ut Monaſterium depauperatum ab interitu vindicaret: quod & feliciter ita fecit, multùm enim profuit Monaſterio, auxilium præclare ferente prædicto Duce Friderico. Præfuit per triennium, & author fuit Monachis, ut ipſi inter ſe idoneum aliquem Abbatem electum ſibi præficerent.

36. *Leonhardus*, genere nobilis, moribus & vita venerabilis pater: eligitur anno 1380. ſub Leopoldo Friſiorum Epiſcopo & Friderico Bavarorum Duce. Hic monaſterium ad priſtinum ſtatum præclare reduxit, cui ita præfuit laudabiliter, ut ſecundus hujus loci fundator dici meruerit. Sedit enim ad clavum utiliſſimè & feliciſſimè 36. penè annis. Obiit anno Domini 1415. Sepelitur in Sacello S. Corbiniani à ſe condito.

37. *Fri-*

37. *Fridericus* ex Priore Abbas factus, succeſſit Leonhardo; ſed non diu præfuit, anno enim primo ordinationis ſuæ, à quibusdam malis ac turpibus mulieribus, in balneo Villæ intoxicatus eſt, ita quaſi leproſus videretur totô corpore: Unde & una earum comprehenſa, viva ſub patibulo, terræ injecta, & ſepulta eſt. Sic eodem anno miſere vita functus eſt Fridericus, & in Capitulari domo humatus. Eodem verò anno balneum ipſum in villa, cœleſti igne incenſum, conſumitur. *Mulierûm malitia.*

38. *Eberhardus* eligitur anno Domini 1416 quo & confirmatur: Vir corpore & mente egregius. Hic primus infulatur ab Alberto Epiſcopo Friſingenſi, in die Philippi & Jacobi. Idem reformationem incepit, regularis vitæ per omnia ſtudioſiſſimus. Ædificia multa præclare illuſtravit & auxit. Ab eo teſtudines ante portam, & in Abſide Eccleſiæ ad S. Andream, cum ipſa Turri Eccleſiæ conſtructæ ſunt, auxilio & ope ſtrenuiſſimi militis Wilhelmi de Fraunberg, illic ſepulti, cum ſuis majoribus. Interfuit Abbas iſte Concilio Baſilienſi, ubi coram univerſo Concilio ſub infula publice Sacra fecit. Sub ejus gubernatione emtæ ſunt Vineæ in Kelhaim, oppido Bavarico, tribus ſupra Ratisbonam miliaribus ad Danubium ſito, ubi dicitur naſci naturale acetum potius, quàm vinum. Præfuit Eberhardus Abbas laudabiliter, annis 32. & obiit anno 1448. ſepultus ante aram S. Crucis.

39. *Joannes* ex Priore fit Abbas, concorditer electus, moxque ab Epiſcopo Friſingenſi Joanne Grienwaldero confirmatus, anno Chriſti 1448. Vir omni diſcretione plenus, cunctis amabilis, largus & pius. Multas is vidit ſui ſeculi ærumnas, nempe grandines, fulminationes & bella civilia. Anno 1472. ſub eo ad clavum ſedente, fulminata Eccleſiæ turris intus tota conbuſta eſt, ipsâ die Sanct. Joannis & Pauli, inter horas 7. & 8. ante medium noctis: perierunt verò ſex ibi campanæ. Anno ſequenti in aurora prædictorum Sanctorum, infrà primam & ſecundam pomeridianas, fulminatum eſt majus horreum cœnobii, in Colonia, unà cum cohærentibus ædificiis infrà & ſupra annexis, usq; ad tabernam, quæ

omnes

omnes igne perierunt. Adeò habuit hoc Cœnobium male propitium Vulcanum. Sub eo emtæ sunt Vineæ in Austria. Præfuit annis 33. cum summa laude. Obiit anno Salutis 1481. in Calendis Februarii. Sepelitur in Ecclesia, circa aram Sanctorum Achatii, & Mauritii à se constructam.

40. *Leonhardus Nagel* eligitur anno 1481. fidelissimus & prudentissimus servus, quem constituerat dominus super familiam suam: Vir ingenii & animi sagacissimi, & omni laude dignus, admodum verò afflictæ valetudinis. Is Abbatiam è fundamentis erexit de novo. Præfuit tantum tribus annis, & obiit septima Cal. Septembrium, anni à nato Christo 1484. Sepelitur ante aram S. Crucis in Ecclesia.

41. *Christophorus Carinthius* juvenis Religiosus, doctus & eloquentissimus eligitur anno 1484 absens, tempore videlicet vindemiæ, in Austria Cœnobii negotiis invigilans, ac etsi refragaretur electioni plurimùm, tamen consecratus est & confirmatus. Resignavit post pauculos annos, amore literarum & studiorum conferens sese Bononiam, retenta pensione annua tantum 32. florenorum. Bononiæ Sacram Theologiam professus, ibidem Doctor etiam Pontificii Juris effectus est. In Charinthiam deinde profectus, in Cellæ Marianæ magnifico Collegio proclamator verbi Dei famosissimus extitit, ubi & obiit, & humatus est anno Christi 1507. Paucis annis antequam ex hac vita emigraret, Frisingi fuit, & magnam pecuniarum summam dono dedit Monasterio in Weihenstephan, ad construendam Bibliothecam, cum eleganti Sacello Beatæ Virginis. Post obitum omnia ipsius ad Cœnobium hoc pervenerunt relicta bona.

42. *Wolffgangus de Weyx* substituitur resignanti Domino Christophoro, ab ipso Frisingensi Episcopo Domino Sixto. Vir senex & grandævus, Religiosorumque amator maximus, & singularis hujus Monasterii fautor, & benefactor, qui prius per 40. annos Cathedralis Ecclesiæ fuerat Canonicus, & Officialis. Vixerat juvenis in habitu Monastico, apud Melicense, in Austria, Cœnobium, unde per amicos vi extractus, & à suo proposito revocatus

vocatus, habitum ante professionem deposuit, & in Frisinga Canonicus factus, in seculari professione sacris servivit. Tandem resignans præbendam suam filio fratris sui Degenhardo, ipse ad Monasterium sese contulit, omnia faciens, quæ sui ordinis hominem facere decet. Abbas designatus, multa bona fecit Cœnobio, ambitum testudinavit, & plura alia ædificia renovavit. Sacrarium plurimis ornamentis decoravit, & ditavit. Obiit 7. Kal. Septembrium, Anno Domini 1495.

43. *Anthonius* ex Priore Abbas factus, successit Wolffgango, pater mansvetus, humilis ac Dei timens, ardentissimusque amator pauperum, largus, pius & omni virtute conspicuus, uti secundus Martinus aliquis, eleemosynarum fidelis exhibitor ac distributor; gaudebat enim tempore magnæ Charistiæ, dum feriis sextis, ante portam Monasterii acervus puerorum & pauperum magnus adesset, quorum nullum unquam inconsulatum & indonatum à se dimisit. Profuisset gubernatio ipsius huic loco plurimùm, nisi crudele Bellum Bavaricum impedivisset, in quo Duci Alberto 800. Taleros numerare coactus fuit, nisi vellet exuri Monasterium. Rapinarum verò & direptionum nullus ibi erat modus, quibus & subditi depauperati, & Cœnobium graviter afflictum est. Obiit in die S. Ruperti Episcopi, anno Christi 1507. Martij 26.

44. *Benedictus* ex Priore in Abbatem eligitur, anno 1507. feria secunda post Palmarum. Invenit Monasterium ære, alieno maximè obstrictum cujus ipse tamen magnam partem exolvit: fuit enim vir & virtuosus, & diligens, ac prudens gubernator. Condidit pulchrum balneum in horto. Passus est invita gravamina, & non exiguas Principum suorum exactiones. Coactus est dare in spacio 12. septimanarum, 700. aureos, propter intestina bella cum Wertenbergensi Duce habita. Præfuit undecim annis, optime & laudatissime. Emigravit pie & feliciter, ex hac lachrymarum valle, anno salutis 1520.

45. D. *Thomas* vir latine doctus & facundus, honestate vitæ & morum insigni præditus, eligitur ex Priore in Abbatem, à Præsule Frisingensi Philippo Comite Palatino, anno 1520. secunda post

Palmarum, confirmatur feria secunda post Dominicam Quasimodo geniti. Præsidet laudabiliter & utiliter, hoc adhuc currente anno Domini 1551. multa gravia & difficillima perpessus, bella intestina Agricolarum & Smalcaldensium, gravissimas exactiones, durissimumque jugum Principum nunquam non veredariis, venatoribus, & Falconum cicuratoribus, Cœnobium onerantium. Vir profecto meliore fortuna dignissimus. Senex obesus, humanus, gravis, doctus, & honestissimus. In cujus gratiam tale à me lusum est Schediasma:

Si multos tales Abbates orbis haberet
Qualis is est Thomas, qui modo sceptra tenet.
Florerent, & disciplina Monastica, & ipsa etiam alta
Temporibus priscis condito templa, & magis.
Doctus enim, facundus enim est, humanus amansq;
Clarorum ingenio, & dexteritate, virûm.
Sed pius est etiam & justi studiosus, & æqui,
Omnia, virtutem, qui super alta colit.
Huic Deus omne bonum cœlesti donet ab arce,
Et longæva senem vivere secla sinat.
Fortunetq; beetq; domum sub Principe tali,
Omni qui dignus laude & honore fuit.

Der Neu-Stifft zu Freysingen.

Otho Frisingii.

Est vero Freisingi, etsi extra muros etiam, in ipso Isari & Mosæ amnium confluxu, aliud Monasterium Præmonstratensis, instituti Nova Cella dictum: Id in honorem Sanctorum Christi Apostolorum, Petri ac Pauli, fundatum esse legitur, anno Domini 1141 ab Othone Frisingensis Ecclesiæ Episcopo, Austriæ nobilissimo Principe, artium Philosophiæ ac Sacræ Theologiæ Magistro, cujus extat latinum Chronicon de Imperatoribus toti Europæ notum. Habuit is germanum fratrem Conradum Salisburgensem Archiepiscopum fundationis hujus coadjutorem. Cubant in ejus Cœnobii templo, S. Maurinus Scotus, Episcopus, & S. Teclanus ejus Diaconus peregrinatores Religionis ergò, qui Frisingi mortui, & hujus loci terræ mandati sunt. Præfuerunt huic Cœnobio semper præpositi, quorum talis extat Catalogus:

1. Her-

1. *Hermannus* præfuit annis 40. Obiit anno 1180.
2. *Engelschallus* annis undecim. Obiit anno 1191.
3. *Altmannus* annis 17. Decessit anno 1208.
4. *Hartmannus* annis 4. Obiit anno 1212.
5. *Gosvvinus* septem penè annis. Decessit anno 1218.
6. *Henricus* annis novem. Exuit hominem anno 1227.
7. *Albertus* annis 13. Valedixit hominum consvetudini, anno 1240.
8. *Gumpoldus* undecim annis præfuit. Obiit anno 1250.
9. *Conradus* annis 14. Emigravit anno gratiæ 1264.
10. *Ulricus* præsidet annis 16. Obiit anno 1280.
11. *Ulricus* secundus annis 14. Decessit anno salutis 1294.
12. *Grimoldus* per biennium rerum potitus est. Obiit anno 1296.
13. *Arnoldus* 19. annis præfuisse legitur: obiisse verò anno 1315.
14. *Henricus* secundus tribus annis ad clavum sedit. Obiit anno Domini 1318.
15. *Chunradus* secundus per unius anni spatium præfuit, & decessit anno 1319.
16. *Hermannus* secundus decem annis præfuit ac profuit. Obiit anno 1329.
17. *Chunradus* tertius quinque annis ad gubernaculum sedit. Obiit anno 1334.
18. *Ludovicus* similiter quinque annis, & obiit anno 1339.
19. *Henricus* tertius per biennium præfuit. Obiit anno Christi 1341.
20. *Henricus* quartus puatuor annis sedit. Obiit anno 1345.
21. *Fridericus* præfuit 12. annis, sex mensibus. Obiit anno 1358.
22. *Matthias* octodecim tantum septimanis & eodem anno obiit, quo præsidere cœpit.
23. *Albertus* eligitur anno 1358. præfuit annis 12.
24. *Sunzo* eligitur anno 1370. præfuit duodecim annis.
25. *Stephanus* cognomento Proczenestius, eligitur anno Christi 1381. præfuit 22. annis. Assumitur anno Domini 1388. in Administratorem Cœnobii Weihenstephaniani, cui per trien-

nium prudentissime, ac utilissime non præfuit tantum, sed & plurimum profuit, Monachisque ejus loci author postea fuit, & Ivasor, ut ipsi inter se aliquem idoneum Abbatem eligerent. Obiit anno Domini 1402.

26. *Ulricus Albinus* præfuit 15. annis. Obiit anno 1417.

27. *Ulricus Holmasius* sedit ad gubernaculum annis 29. Obiit anno 1446.

28. *Joannes Schmidhoferus* triginta annis præfuit, fuit Vir doctus, magnæ existimationis in Curia Romana. Obiit anno 1475.

29. *Conradus Figelsheimer* nobilis, præfuit annis 20. Decessit anno 1495.

30. *Joannes Buchsenmacher* 12. annis. Emigravit ex hac ad aliam vitam, anno Domini 1507.

31. *Conradus Attingerus* sedit ad clavum annis septem. Obiit anno 1514.

32. *Stephanus Thiemarus* eligitur in Calendis Martiis, anni 1514. præfuit utiliter hoc adhuc currente anno Domini 1551.

ZUIFALTUM sive Zuifaltaha, latinè ad duplices aquas, à duobus rivis Aych cognominatis, & in ipso Monasterio concurrentibus, sic dictum: magnificum ac opulentum Benedictini instituti Monachorum Cœnobium, Constantiensis Diœceseos, non procul à Danubio, inter Haingum & Riedlingum oppida, tribus milliaribus supra Ullmam, in Alpibus Sveviæ situm: fundatum ac amplissimè dotatum est, anno Christi 1088. in honorem Beatæ Virginis Mariæ, pro 12. Monachis ex Hirsaugia, adductis, ab illustribus Comitibus de Achalm Luitholdo, & Chunone, duobus Germanis fratribus, Pontificatum Urbano Secundo, Imperium verò Henrico Quarto tenentibus. Donatum est mox ab Adalberto quodam Comite Calewensi Sindelfingiacensis Cœnobii fundatore. Habitabant verò Comites isti de Achalm, alter in avita gentis suæ arce Achalm, quæ sublimis & magnifica hodiè adhuc visitur supra Reuttlingum oppidum imperiale, in ducatu Wirtembergico: alter verò in Wulflingensi castro. Qui, cum evocarentur ex hac mortali

Haingum. Riedling.

Sindelfingen Cœnob.

Reutlingē.

tali vita, sine heredibus, commendarunt curam & tuitionem hujus sui Monasterii, Mangoldo Comiti cuidam de Veringen, qui mox, Urbano Secundo Pontifici Max. tuendum ac defendendum ipsum tradens, semper postea id sub Romanæ sedis tuitione esse ac manere voluit: Unde Cœnobium temporum successu, plurimis immunitatibus ac privilegiis donatum est, non à Pontificibus solùm, sed ad Pontificum petitionem, ab ipsis quoque Cæsaribus, ac Romanis Regibus: qui potestatem fecerunt Abbati, & conventui, eligendi sibi tutorem & advocatum, quemcunque vellent, sibique utilissimum fore existimarent, addito etiam hoc privilegio, ut si quis non utilis videretur, possent Monachi alium etiam, ejecto & amoto priore, eligere, & assumere pro suo arbitratu. Inde factum est, quòd primi advocati & tutores hujus Monasterii fuerunt duces Bavariæ Welphones, postea Comites de Hohenberg, item successu temporis ab anno 1285. aliquandiu etiam Comites Emerkhingenses. Tandem eò res pervenit, ut per ducentos & quinquaginta penè annos, ab anno 1303. inchoando, Austriæ duces, certis quibusdam conditionibus, advocati ac tutores essent. Primus horum fuit Fridericus Austriacus Ludovici Imperatoris competitor, quem in eodem officio sequuti sunt postea, ut Monasterii diplomata contestantur, Albertus Rex, & hujus filius Leopoldus, postea Rudolphus, Fridericus, Sigismundus, Maximilianus & Imperatoris Caroli V. Frater Ferdinandus, qui omnes diligenti ac clementi tuitione id tutati sunt semper, neq; quicquã novi unquam postularunt, pro advocatiæ administratione, quam quod veteribus ac primis, juxta primam conventionem datum est. Interim verò aliquoties accidit, ut illi ipsi Austriæ principes Monasterii tuitionem ac advocatiam per aliquot interdum annorum spatium Wirtembergensi principi, ut suo cognato administrandam commendarent. Sic Sigismundus Archidux Austriæ Wirtembergensi cuidam Comiti affini suo: Et Rudolphus dux Austriæ per triennii spatium: item Albertus & Leopoldus Austriæ duces itidem per triennium Eberhardo Comiti Wirtembergensi advocatiam concrediderunt. Hi Comites aliquandiu satis moderati ac fideles advocati, tandem hâc occasione, aliquoties videlicet sibi ab Austriæ

Welphones tutores monasterii Zuifalten.

Wirtembergensib. Principib? commissa est tutela Cœnobii Zuifalten.

principibus commendatæ tuitionis,& advocatiæ, ad se totum jus advocatiæ transferre,& sibi tanquàm proprium & hereditarium vendicare ausi fuerunt,præsertim Eberhardus barbatus. Id verò,Abbatibus non ita studiosè perpendentibus, facilè obtinuerunt. Mox itaq; progressi,introductaq; istâ novitate nondum contenti, rapere quoq; aliqua Monasterii bona ad sese conati sunt, ita ut ex advocatis & tutoribus, hostes tandem & raptores fierent, cujus rei evidens exemplum est.

Gutelstein Chartusia Urach.

Chartusia boni lapidis, vulgo Gutelstein supra Urachium Ducatus Wirtembergensis civitatem, in amœnissimo loco instar oppidi amplissime constructa, quæ antiquitùs præpositura Monasterii Zuifallensis,Monachis & Abbati eorum,per vim à Wirtembergensibus Comitibus, Ludovico & Udalrico, ablata & extorta est, A.C.1439.Illi enim Religionis studium prætendentes Chartusiam ibi se inchoaturos affirmabant, quemadmodum etiam faciebant, tantùm verò in hoc,ut in manus postea eorum locus ille citius & commodius pervenire posset. Monachi,ægre consentientes in istâ rapinam,consentire tamen coacti sunt, quia nec justitiâ, nec sano consilio, sed violentiâ res plerumq; gerebatur: consenserunt hac tamen ratione, ut si non fieret Chartusia,& divinus cultus ibi non institueretur, aut etiam futuris temporibus non servaretur, quò deberet studio servari, tum præposituram eam vel chartusiam, recidere debere, cum omnibus ad eam pertinentibus juribus, bonis, & possessionibus ad Abbatem & conventum Zuifallensem.

Dissidium in Austriacos & Wirtenbergenses duces de cœnobio Zuifalt.

Super hac ipsa verò advocatiæ vendicatione magnum dissidium est ortum inter Sigismundum Austrium & Wirtembergensem: ita ut Fridericus Imp. nomine Sigismundi ducis vexillum, una cum inhibitoribus literis,in Monasterii templo erigi curaret, per virum quendam nobilem: Eberhardus verò Comes Wirtembergensis collecta subditorum suorum manu Monasterium tumultuanter invasit,a.1486.vellixumq; à Cæsare suspensum & erectum dejecit,pro quo tamen contemtu ac temerario ausu,numerare postea coactus fuit mulctam 10000. aureorum. Abbas ejus temporis Georgius,Riedlingum auffugerat,mirabiliter defensus. Interim lite super Advocatia apud Othonem Episcopum Constantiensem pen-

pendente,& Imperator & Dux Sigismundus moriuntur. Res verò tandem per Maximilianum composita & transacta est, ita nimirum,ut maneret Cœnobium sub tuitione Austriaca, Wirtembergensis caderet. Nihilominus tamen postea Ulricus Dux aliquoties subsidia postulavit, contra transactionem factam à Maximiliano, Monachi quietem amantes,pacis ergò dederunt 4000. aureorum. Iterum petenti data sunt 2000. ab Abbate Georgio, hâc conditione,ut aliquando renumerarentur. Tertiò petenti 1500. aureos, pecunia negata est Duci existenti, tum in comitiis Constantiensibus. Quarto ex Treveri iterum petenti quatuor millia,a. Domini 1512. rursus denegatum est aurum ab Abbate Georgio, sic dicente postulanti aurum nuncio; Vellem (inquit) Dominum & Ducem tuum ita Oeconomiæ suæ præesse, ut & nos nostræ præesse possemus. Hâc voce irritatus & concitatus princeps naturâ iracundus,paucis equis,ex Trevei, in Monasterium venit, & Abbatem, qui nuper egressus erat balneis,nondum indutum,equo alligatum, in altum Niffenium (id arcis nomen est) abduxit, ibiq; incarceravit: Ubi bonus senex, qui jam per 40. penè annos, ut in Catalogo sequetur, Monasterio utilissime præfuerat, tandiu est detentus, donec Episcopus Constantiensis,& alii circumjacentis terræ Reguli,Morsenburgum, eum in tolerabiliorem carcerem placitarent. Ubi tantum est actum,ut Abbas Zuifallum resignaret, retenta sibi tamen in singulos annos Sexcentorum aureorum pensione: qui etiam paulo post Monasterio divitis Augiæ, ab Imperatoria Majestate præfectus est,cui Monasterio cùm sapienter præesset, egregiè id iterum instauravit. Sic semper contendum & dimicandum fuit Abbatibus hujus loci cum ducibus Wirtembergensibus, à quibus misere oppressum & exhaustum est Cœnobium,lite in hodiernum usque diem nondum sopita: quâ post habita ad Catalogum hujus Cœnobii Abbatum tandem venio, qui talis extat:

1. *Notgerus* præficitur Abbatiæ anno Domini 1088. præfuit annis quinque.

2. *Udalricus* præfuit annis 43. Obiit anno Domini 1136.

3. *Pilegrinus* Abbas præfuit 9. tantùm septimanis. Obiit anno 1137.

4. *Hari-*

4. *Haricus* præfuit annis 16. Deceſſit anno Domini 1153.

6. *Erneſtus* ſacræ paginæ Doctor, præfuit annis quinque, & anno Domini 1158. à Romano Pontifice ad ſeminandum Dei Verbum Hieroſolymam, & ad alia Palæſtinæ loca miſſus, ob conſtantiam in aſſerenda & docendi Chriſti doctrina, martyrio illic coronatus, & Antiochiæ ſepultus eſt.

6. *Wernherus* præfuit 5. annis poſt Erneſtum ablegatum à Pontifice.

7. *Godefridus* duobus annis ſedit ad Abbatiæ gubernaculum. Obiit anno 1165.

8. *Conradus* præfuit 24. annis. Obiit anno Domini 1189. Huic dono dedit Ulricus Comes de Bergen Mochentalium arcem ſuam, quæ mox in Præpoſituram converſa eſt: Hæc in amœniſſimo colle non procul à Danubio medio ferè itinere inter Zuifaltum & Ehingum ſita eſt.

Mochental præpoſitura.

9. *Wernherus* ſecundus ſedit quatuor annis. Obiit an. 1193.

10. *Hermannus* præfuit annis 12. Deceſſit anno 1205.

11. *Conradus* annis 8. ſedit ad clavum, quem abjecit iterum, anno Domini 1213.

12. *Henricus* præfuit duobus annis. Obiit anno 1215.

13. *Luitholdus* præfuit annis 14. Deceſſit anno 1229.

14. *Reinhardus* ſedit quinque annis. Obiit anno 1234.

15. *Fridericus* ſex annis. Exuit hominem anno 1240.

16. *Arnoldus* quinque ſedit annis. Sub hoc Cœnobium vaſtatum legitur, ab Imp. Friderico ſecundo, quod tamen à Guilelmo Imperatore reſtitutum, & inſtauratum eſt.

17. *Wernherus* ſex annis. Deceſſit anno Domini 1251.

18. *Conradus* duobus annis præfuit.

19. *Bertholdus* novem annis ſedit.

20. *Petrus* decem annis gubernaculum tenuit.

21. *Ulricus* quindecim annis.

22. Eberhardus 44. annis laudabiliter officium paſtorale in hac Abbatia tenuit. Deceſſit ex hac mortali vita, anno ſalutis 1331.

23. *Ulri-*

23. *Ulricus* novem annis præfuit: occiditur in ipsa habitatione sua anno 1340.

24. *Waltherus* præfuit decem annis. Obiit anno 1350.

25. *Joannes* præfuit 19. annis. Decessit anno 1369.

26. *Anshelmus* annis sedit 17. Obiit anno Domini 1386.

27. *Conradus* sedit annis octo. Decessit anno 1394.

28. *Joannes* præfuit annis quinque. Obiit anno 1399.

29. *Wolfgangus* nobilis *à Lapide*, successit Joanni, præfuit 23. annis. Obiit anno 1422. eodem die, quo & Germana ejus soror, Abbatissa in Urspringen è vivis excessit.

30. *Georgius* præfuit annis 14. Obiit anno Domini 1436.

31. *Joannes de Lapide*, vir nobilis genere & virtute, successit Georgio, ex Præposito Gutelsteinensi Abbas factus: præfuit laudabiliter 37. annis. Obiit anno 1473.

32. *Georgius* cognomento *Piscatoris* ex Pachensi proximo pago natus, eligitur in Abbatem anno Domini 1473. erat vir statura procerus, corpore omnino forti ac robusto præditus, in rebus gerendis prudens & fortunatus, in deliberando gravis, in conficiendo celer, erga hostes Cœnobii sui animosus & intrepidus: quin & literis, præcipuè utriusque juris peritiâ clarus, natura facundus, & eruditione eloquens, pacis amator maximus, dissensionum ac pendentium inter summos ac infimos litium pacator & compositor felicissimus. Præfuit annis penè 40. tam utiliter, ut meritò secundus hujus Cœnobii debeat appellari fundator. Primum enim id de novo reformavit anno 1489. tum omni ornamentorum genere illustravit: aurea & argentea vasa ad sacrum faciendum parari curavit, utrumque dormitorium aliud 17. cellarum, aliud decem cubiculorum elegantissimorum construxit: domum præterea in qua S. Stephani sacellum est, & Bibliothecam omni optimorum librorum genere refertam, adjecit, de quo ipsius beneficio sic Poëta Bebelius canere non dubitavit:

Quod modo doctorum solatia Bibliothecam
Struxeris, authorum doctis variisq; refertam

Codicibus, semper te Abba venerande Georgi,
Doctorum cœtus laudabit, amabit, honorat.

Fuit optimus œconomus ac pater familias, qui 10. millium aureorum debita ab anteceſſoribus contracta ſolvit, & omnia penè ædificia vetera renovavit; Utque facilius à ſucceſſoribus ædificari poſſet, intra Cœnobii muros molendinum ſerrarium, ut vocant, in quo aſſeres ſcindi & aptari ſolent: domum item ſeu tugurium, in quo lateres coquantur & conficiantur, condidit: quibus omnibus anno 1507. piſtrinum etiam adjecit, ſequente verò anno domum, in qua hoſpites humaniter & commode exciperentur & frumenta conſervarentur, erexit. Cinxit præterea Monaſterium ob aquarum inundationem ampliſſimis foſſis, & duplici muro, quorum interior propugnaculis ornatus tantum conventualia loca circumit, habens unam magnificam portam: alter totum Monaſterium & omnia exteriora ædificia concludit, habens duas amplas portas, cum totidem domunculis pro cuſtodia ſuprastructis. Ædificavit & alibi, Reuttlingi videlicet & Munderkingi, ædes egregias, & in aliquibus pagis parrochias inſignes ac alia plurima, lacus quoque effodi curans, fontesque optimos. Emit inſuper à Joanne Gaſpare Equite aurato de Bubenhofen pagos Eberſtetten, Edelwalſtetten, Aychenloch pro novem millibus & quingentis aureis Rhenenſibus. Caſtrum item Richenſtein, cum adjacente pago, & aliis ad id caſtrum pertinentibus poſſeſſionibus & juribus, pro ſex millibus aureis. Advocatiam item in Bechingen, à Ludovico Speth pro 900. florenis. Tandem captus (ut ſupra dictum) ab Ulrico Duce, & liberatus, reſignare coactus, ad Augiæ divitis gubernationem vocatus, ibi præfuit fideliter & utiliter: poſtea conceſſit ibi ad Dominum, & ad ſolem neſcientem occaſum, anno 1511. gubernante interim in Zuifalten Domino Sebaſtiano.

Eberſtetten
Edelwalſtetten.
Aychenloch

33. *Sebaſtianus* cognomento *Molitor* præfecti cujusdam in oppido Wirtembergenſi Kirchen Untter Teck dicto, filius: Vir acri, verſatili ac prudenti ingenio præditus, ſubrogatur Georgio anno ætatis ſuæ triceſimo tertio. Præfuit is prudenter, magnanimiter & utiliter 26. annis. Multa perpeſſus à duce Wirtembergenſi, quæ

Kirchen ſub Teccen ſ. arce.

si, quæ toto anno vix scribi possent, præsertim tum, cúm ab Hessorum Landgraphio ditioni amissæ restitutus esset. Tum enim Cœnobium Zuifaltense aliquoties direptum ac spoliatum, irrecuperabilia damna accepit. Abbas Uberlingam secesserat, inde tandem reversus, omnia præclare & illustravit & auxit. Negotium verò Cœnobii sui coram invictissimo Romanorum, Bohemiæ & Ungariæ Rege Ferdinando, adversus Wirtembergensem, Viennæ tam magnanimiter ac strenuè egit, præsente etiam Ulrico Duce: ut ab ipsis regiis consiliariis, secundus Monasterii, ad extremam jam ruinam spectantis, erector ac fundator publicè diceretur. Tandem perpetuarum litium pertæsus, redeunte in suum ducatum, ejecto prius duce, resignavit Abbatiam anno Domini 1537. seque Mochentalium recepit, ubi vixit ad annum usque Christi 1549. quo resignanti Nicolao, iterum unanimi omnium Cœnobitarum voto, subrogatus, rursusque Abbas designatus est. Præsidet verò hoc adhuc currente Jubilæo. Mochenthal.

34. *Nicolaus Buchnerus*, patriâ Tubingensis, eligitur anno 1537. præfuit laudabiliter annis 12. Est vir doctus, cujus extat latina oratio non invenusta, de Monasticæ vitæ laudibus. Musicus excellens, & Musicorum librorum diligens coëmptor. Reddidit Abbatiam his, a quibus eandem prius acceperat, idque fecit anno Domini 1549. privatus nunc vivens, inter literarum studia & exercitia, quibus occupatus est totus.

Pfaffenhofen.

SCHYRUM sive Schyrense Monachorum Benedictinæ professionis Cœnobium in Bavaris, non procul à Pfaffenhofio Bavariæ principum oppidulo situm: Comitum initio Schyrensium magnificum castrum fuisse legitur, quod construxit Arnolphus Imperator, Ratisbonæ apud S. Hemeranum sepultus, qui è familia horum principum descendisse scribitur. In Monasterium verò conversum est hoc modo: *Arnolphus Imperator fundator castri Comitum Schyrensium.*

Inchoata erat ab Othone & Alberto nobilibus viris, solitudinemque amantibus hominibus, in horum ipsorum Comitum ac principum Schyrensium ditione, Montanis videlicet Bavariæ, juxta altissimum ejus provinciæ jugum, quod accolæ den Enttelstein

ſtein vocant, eremitica quædam Cella & Eccleſiola, annum Chriſti circiter 1077. conſentienribus Othone Schyrenſi Comite, ejuſque uxore, Domina Haziga Aragonum Regis filia, & utriusque filiis Echardo, Bernhardo & Othone, principibus Schyrenſibus. Hæc Cella juſſu Ellenhardi Friſingenſis Epiſcopi, ea tempeſtate ægrotantis, ac graviter decumbentis, à Pontifice quodam Polenſi conſecrata eſt. Decedente verò paulo poſt, ex mortali hac vita Principe Othone, anno nimirum Chriſti 1079. Domina Haziga, relicta Othonis conjunx, iterum jam vidua facta (habuerat enim prius maritum Hermannum Caſtelianum Comitem) cum filiorum ſuorum conſenſu, ex humili ac eremitarum domo ac Eccleſiola, celebre Monaſterium conſtruere, & in memoriam mariti ſui liberaliter donare decrevit. Tranſtulit verò Monaſticam ſedem in paulo amœniorem locum, qui hodie adhuc à præterfluente piſculentiſſimo fluviolo, Viſchbachau dici ſolet, & quatuordecim miliarib. à Schyrio, ſeptem verò à Monaco, duobus à S. Quirini Tigurino Monaſterio abeſt, ad pedem montis Khuezagel cognominati, in Aiblingenſi diſtrictu ſitus: Ubi hac adhuc tempeſtate duo ſunt templa, quorum aliud S. Martino, alterum beatæ Virgini dicatum eſt: & præpoſitura Monaſterio Schyrenſi incorporata. Hunc locum Domina Haziga fundatrix, & pagis & vineis plurimis dotavit: in hoc loco cœpit Monaſtica D. Benedicti congregatio: in hoc Domina fundatrix mortua & humata, ut poſtea Schyrum translata eſt. Sed nec iſte locus diu Monachis placuit: poſt ſex enim annos à prima translatione, iterum mutata eſt ſedes: & ſecundo translatum Monaſterium è Montanis in paulo liberiorem agrum ad Glanum fluvium, qui non procul inde in Ambarum cadit, Uſenhofium videlicet, vel à ferro Eyſenhofium: quod caſtrum nunc eſt Eckhiorum, antiquitùs Glanegk, à prætereunte fluviolo dictum, tribus milliaribus à Schyrenſi Cœnobio ſitum. Illic in monte S. Petri (ubi hodiè adhuc templum viſitur, ab Othone Hazigæ fundatricis filio, & à Bertholdo Comite de Burggheim, ante duas aras ibidem ſepultis, conſtructum) tertiò inchoatum eſt Monaſterium ſub primo adhuc

Fiſchbachau præpoſitura.

Eyſenhofen

S. Petri Mons.

huc Abbate Erccenboldo. Quo loco cùm sedecim annis mansum, & propter aquarum in sublimi monte S. Petri defectum, locus iste etiam parum commodus Monachis visus esset, quarto translatum est Cœnobium nuper inceptum, in ipsam principum Schyrensium (unanimi eorundem omnium consensu) avitam arcem ac sedem, amplam illam quidem, sed admodum jam ruinosam, & fere desertam, ac ad extremam prorsus internetionem spectantem. Hæc Schyrensis Monasterii initia sunt, & exordia certissima. Monumentorum nihil amplius ibi est celebrium, quam in media Ecclesia sublimis tumulus Othonis fundatoris ac D. Hazgiæ fundatricis, tali à me Epigrammate honoratus:

Hic Otho Schyrensis Comes, usq; ad sidera notus,
Ipsius & conjunx Haziga pulchra cubant.
Hæc quorum meritis domus est erecta, locumq;
Translata in quartum hunc: forte monente Deo.
Ossa vorare potest, quod destruit omnia, tempus:
Ast animas secum Jupiter ipsus habet.
Jupiter atherea qui donet ab arce quietem,
Omnibus his latam, quos habet iste locus.

In Ingressu domus Capitularis est alius de terra elevatus tumultus, sub quo centum ac viginti utriusque sexus Comitum ac principum Schyrensium corpora sita, & in subterranea crypta, quasi ordine collocata esse dicuntur. Hunc tali honoravi Epigraphe:

Hic tumulus Schyrensium habet Comitumq;, ducumq;
Centum & viginti corpora tecta situ.
Horum quæso piis animabus læta precetur
Omnia, quisquis ad hac nota sepulchra venit.

Nomina ipsa Comitum ac principum istorum interciderunt: sed præcipuorum hujus loci fundatorum ac benefactorum, talis extat Genealogia:

OTHO Primus, Comes Schyrensis: vixit anno Christi 994. Is ex conjuge Domina Tuta excepit.

OTHONEM Secundum; Advocatum Frisingensis Ecclesiæ & Episcopatus: qui obiit anno Domini 1079. Is ex Domina Haziga fundatrice Schyrensis Cœnobii, Regis Aragonum filia, & Hermanni Casteliani Comitis relicta uxore, excepit

CHONradum Comitem Valeyæ, arcis quæ nunc Ahemstein vocatur. Is genuit.

Gvvaltherum Episcopum Trevirensem.

Othonem.

Conradum qui vicissim excepit

Conradum tertium.

Othonem quartum.

Arnoldum sive Arnulphum, Comitem Dachuni. Is ex Beatrice conjuge excepit

Conradum. Is iterum genuit.

Otho.

OTHONEM tertium: qui ex Agnete Lotharingiæ ducissa genuit

Bernhardum Primum qui tradidis omnibus suis bonis Cœnobio Vischbachow, sine uxore & libris, privatus & cœlebs obiit.

Ecchardum, qui ex conjuge Domina Petrissa excepisse legitur.

Arnoldum impium illum, & in Schyrensem lacum ab ipsis Dæmonibus præcipitatum Comitem: Omnium sacrorum contemptorem: & qui solus partem suam, quam habebat, in arce Schyrensi, Cœnobitis sese daturum negarat.

Conradum ducem Dalmatiæ; cujus uxor D. Uthilda vendidit Dachaw arcem & territorium Othoni Bavarorum duci, cùm amisisset filium impuberem Conradum.

Othonem Quartum: Comitem Palatinum in Wittelsinspach. Is ex Domina Heilica de Lengenfeeld, excepit

Hildericum.

Ludovicum.

Othonem qui Comites de Wolffratshausen dicti sunt, à nova sua sede: cum jam arx Schyrensis comutata esset in Cœnobium.

Bernhardum.

Ecchardum Secundum qui dimissa Repub. & armis exutis privatus vixit in Monasterio, à Majoribus suis fundato & à se munifice donato.

Othonem palatinum Majorem natu: posteà Bavariæ ducem.

Fridericum.

Othonem juniorem Palatinum Wittelsbacensem, qui ex Domina Benedicta, Weerdensi Comitissa, ultimum excepit Othonem, illum, qui auxiliis Eccenberti Episcopi Bambergensis Philippum Imperatorem Barbarossæ filium interfecit. Ac tantum quidem de loci hujus fundatoribus & primordiis: Sequitur Abbatum & gubernatorum ejusdem Catalogus, qui talis est à me consutus.

Chunradum Archiepiscopum Moguntinum & Salisburgensem.

1. *Erchenvvoldus* Primus Abbas à Gulielmo Hirſaugienſis Cœnobii præſule mittitur, cum duodecim fratribus, fundatrici Dominæ Hazigæ anno Chriſti 1096. Præfuit is in Viſchbachaw annis ſex, poſtea Cœnobium transfert ad Eyſenhofen, conſenſu Conradi Comitis Schyrenſis, & aliorum Dominæ Hazigæ nepotum, ubi iterum piè præfuit annis acto. Deceſſit ſenex anno gratiæ 1111. Sub ejus gubernatione obiit Domina fundatrix Haziga Aragoniæ Regina, cujus filius Otho Comes, multis reliquiis hunc locum donavit & illuſtravit.

2. *Bruno* vir egregiæ nobilitatis: filius nimirum Materteræ Henrici Imperatoris, ſucceſſit Erchenboldo, accitus ex Hirſaugia, quod magnificum ac potentiſſimum eſt Benedictini inſtituti Cœnobium, in Ducatu Wirtembergenſi ad Nagoldum amnem inter Kalbium & Thermas Cellenſes amœniſſimo loco ſitum. Præfuit in Eyſenhofen octo annis; poſtea propter aquarum defectum tranſtulit ille iterum, nuper inchoatum Cœnobium in alium locum, arcem videlicet Schyrenſem: idque unanimi conſenſu Schyrenſium Comitum omnium, qui jam relicta arce Schyrenſi admodum ruinoſa hinc inde in aliis caſtris habitabant. Præfuit verò idem Bruno apud Schyrum Monaſticæ congregationi ſimiliter octo annis, & obiit tandem A. C. 1127. *Hirſaugia.*

3. *Ulricus* ſive *Hildericus Primus*, ſubrogatur Brunnoni: præfuit per unius tantùm anni ſpacium, & exauthoratur à principibus Schyrenſibus.

4. *Ulricus* Secundus vir nobilis admodumque religioſus, duobus tantum annis functus eſt munere Abbatis, & viam univerſæ carnis ambulavit anno 1130.

5. *Marquardus* ſucceſſit Ulrico Secundo, ſed non diu præfuit; vix enim completo uno anno per principes à gubernaculo amovetur: ratio literis mandata non eſt.

6. *Goſoldus* quinque præfuit annis, & ab adminiſtratione, fortaſſis non abs re, deturbatur iterum A. C. 1135.

7. *Ulricus* Tertius, vir & prudens & religioſus admodum ſubrogatus Goſoldo, ſapienter & pie præfuit annis 25. Impetravit

travit Mitram & sandalia à Pontifice Alexandro Quarto. Cœcus tantem factus, contra omnium voluntatem magistratu sese abdicans, Vischbachuni reliquum vitæ exegit, ubi & ex hac vita emigravit, & humo mandatus est.

8. *Eberhardus* alibi *Eckardus* subsequitur unanimi fratrum consensu electus anno Christi 1160. vir natalibus quidem clarus,& genere nobilis, sed levitate & superbia infamis, quæ communia solent esse degeneris nobilitatis vitia. Deturbatur itaque à gubernaculo, anno gubernationis suæ undecimo,per Comites ac principes de Witteleinsbach, anno Christi nimirum 1171. quo duodecimo Calendarum Februarii igne combustum periit totum ferè hactenus tantum ligneum Cœnobium.

9. *Baldemarus* eligitur omnium favore post exauthoratum Eberhardum,præfuit sapienter & prudenter 32. annis. Vir Ecclesiasticarum rerum perstudiosus, hospitalis & pauperum juxta D. Pauli præceptum non vulgaris patronus. Instauravit igne collapsum Cœnobium de integro feliciter. Homo admodum sæverus, qui legitur non carne tantum, sed & adipe ad mortem usque abstinuisse. Obiit A. D. 1203.

Abbas privatam vitam turbis præfert.

10. *Hartomannus* vir senio penè confectus, à Ludovico Bavarorum Duce vix exoratus, Abbatiæ clavum accepit anno, quo antecessor inter vivos esse desiit: cumque tribus annis præfuisset,iterum cessit,malens privatus vivere, quàm tanta dignitate & officio conspicuus, cum tanta inquietudine.

11. *Chunradus* constituitur Abbas anno Christi 1206. consecratur in festo Simonis & Judæ præsente Duce Ludovico. Erat juvenis simplex, sed præsentia principis excitata adolescentis simplicitas præclare sese postea exeruit, familiaremque & Ecclesiasticam rem gnaviter administravit. Sub eo Monasterium hoc Deiparæ virgini consecratum septima Iduum Octobris, ab Othone tertio,Episcopo Frisingensi, A.C. 1215. Divo Martino templum lateribus coctis ædificavit,sacellumq; omnium Sanctorum,quod dedicatum est à Patriarcha Aquilegiensi. Romam ivit, unde purpuram deportavit. Palestinam voti reus iturus,ab

Archie-

Archiepiscopo Salisburgensi voto solvitur. Præfuit annis viginti, & resignavit libere præsentibus Ludovico Bavarorum Duce, & Episcopis, Aystettensi & Frisingensi. Sub eo claruit Chunradus Monachus ac Prior, diligentissimus ac indefatigabilis innumerorum penè librorum scriptor, & Shyrensium Chronographus, qui sibi ipsi tale reliquit Monumentum:

Immerit o peto quod preci o prex perpetual is.
Chunrad sit & auxili Mater pietat

12. *Henricus* eligitur A.C. 1226. consecratur in festo S. Matthiæ: præfuit annis 33. Extruxit turrim quadratam, sacellum S. Catharinæ, granarium, & valetutinarium, aliaq; plurima, multa etiam vetera sarcivit & instauravit, abalienata redemit & recuperavit: ac etsi tunc temporis varia essent inter principes & Episcopos bella, tamen omnibus ex æquo charissimus fuit, quia hospitalis ac munificus. Resignavit tandem senio gravatus anno virginei partus 1259.

13. *Rudolphus* Abbas in Thierhaupten (Aventinus Thierhausen vocat) vocatur ad gubernandum hoc etiam Cœnobium Schyrense, præfuit per unum vix annum, & amovetur iterum, quod inutilis esset & negligens rerum Cœnobii gubernator.

14. *Ludovicus* designatur Abbas A. C. 1260. præfuerat antea Cœnobio Frisingensi, quod Weichenstephan vocant: præfuit hic 13. annis satis negligenter; iccirco etiam parum honorifice dimissus est à principibus.

15. *Arnoldus* subrogatur Ludovico A. D. 1273. sed imperitus administrandarum rerum familiarium, (de Ecclesiasticis enim nemo admodum curiosus erat) septimo anno ab electione ultro se magistratu abdicat.

16. *Fridericus* Primas vel prior antea Ratisbonæ ad S. Emeranum, omnium suffragiis declaratur Abbas Schyrensis, anno Salutis 1281. vir in literis satis doctus, sed qui in procuranda re familiari parum erat felix: adeò ut sub eo Cœnobium ad extremam inopiam redigeretur. Vendidit plura, quàm emit. Præfuit annis 10. ab administratione tandem deturbatus, Ratisbo-

nam rediit, ubi non sine ignominia dicitur ex hac mortali vita emigrasse apud S. Emeranum.

17. *Ulricus* IV. cognomento *Perchtinger*, ex Cœnobio S. Quirini in Degernseeh accersitus, feciliſſime præfuit annis 20. Emit vineas in Alpibus. Obiit A. D. 1311. Sepelitur in lacu Degorino, apud S. Quirinum (unde erat accitus) juxta aram S. Erasmi.

18. *Chunradus* II. cognomento *Montanus*: præfuit cum omnium dolore & querimonia 13. annis negligenter, & iccirco etiam inutiliſſime: Deceſſit ex hac vita A. C. 1323.

19. *Udalscalcus* Chunrado ſuffectus, præfuit per unum ſaltem annum, nec tamen integrum, & ad patres ſuos collectus eſt.

20. *Ulricus* V. cognomento *Leuczenauer*: eligitur anno 1324. præfuit annis ſex & aliquot menſibus parum utiliter. Lapſus equo, expiravit A. C. 1330.

21. *Chunradus Leuczenauer* germanus frater Ulrici V. ex Abbate Wiltsburgenſi conſtituitur rerum hujus etiam Schyrenſis Monaſterii pater, ac adminiſtrator, unanimi Conventualium conſenſu. Sedit 15. annis ad gubernaculum, & laudabiliter & utiliter. Conſequutus eſt ab Imperatore Ludovico IV. Bavaro Parrochiam,
Pfaffenhoven. oppidi vicini Pfaffenhovenſis ad Ilmium fluviolum ſiti. Senex decrepitus & imbecillis, tandem ſeſe Magiſtratu abdicavit ultrò.

22. *Wolffgangus* vir genere quidem nobilis, ſed non perinde virtute, homo ſuperbus & levis, ſubrogatur Conrado: præfuit inutiliſſime, & cum magna rerum Cœnobii jactura, 7. annis, nihil gerens memoriâ dignum, conflans magnum æs alienũ. Obiit A. C. 1353.

23. *Ulricus* VI. cognomento *Mersbegius*, ſucceſſit Wolffgango: vir prudens reiq; familiaris adminiſtrandæ cum ſingulari laude ac felicitate peritiſſimus. Præfuit ſapienter & utiliter annis 23. penè. Obtinuit apud Imperatoris Ludovici ſupradicti filium Ludovicum Marchionem Brandenburgenſem, Ducem Bavariæ ac Tyrolis Comitem (eum inquam, qui Monaci in beatæ virginis
Voburg. magnifica æde ſepultus eſt) Parochiam oppidi Voburgenſis, ad Danubium ſiti. Deceſſit ex hoc calamitoſo ſeculo, anno Domini 1376.

24. *Ulri-*

24. *Ulricus* VII. cognomento *Munnenbegius*: eligitur in Ulrici VI. succeſſorem, præſidet annis 24. fideliter & feliciter. Conſequutus eſt à Pontifice M. Urbano VI. confirmationem ſupradictarum donationum Parochiæ Voburgenſis & Pfaffenhovianæ. Ejus tempore Fridericus Bojorum Dux, Georgii proavus, in Capitulo principes Schyrenſes (quorum centum ac viginti dicuntur illic humati in ſubterranea quadam Crypta) depingi curavit. Obiit anno 1400. in ipſo Jubileo. *Sepultura celebris.*

25. *Chunradus de Mur*, ſubrogatus Ulrico VII. præfuit annis 12. vir bonus & manſvetus. Ophtalmia tandem graviter laborans, Abbatiam Conventui reddidit.

26. *Chunradus* V. cognomento *Tegernbachius*, deſignatur Abbas, anno Chriſtianorum 1413. præfuit annis 8. inutiliſſime, quibus grande æs alienum conflavit.

27. *Ludovicus Walchius* ſucceſſit Conrado V. ſedit ad clavum cum magno Cœnobii detrimento, per annos ſex, prædia enim oppignorans, uſumfructum vendidit. Obæratus itaque amovetur, anno 1427. Fuerunt hac ætate graviſſima bella in Bavaria, ob hereditatem iniquè diviſam, inter principes Bojorum patrueles, Ludovicum Ingolſtadianum, Henricum Landishutanum, Arioniſtum, Vilhelmiumque, Monaci degentes. Hæc bella, & huic, & aliis Cœnobiis plurimùm etiam obfuerunt: Siquidem Solone teſte

In thalamos penetrant publica damna tuos.

28. *Chunradus* VI. cognomento *Weickmannus*, vir callidus, ac ingenio verſuto præditus, pertinaciæ tamen ſingularis. Habuit graves concertationes cum conventu, difficulter tandem compoſitas per arbitros, authoritate Concilii Baſilienſis datos, Joañem Grinobaldum Vicarium Friſingenſem, & Joannem Tulbegium. Præfuit parum utiliter annis 9. Amovetur tandem anno 1436.

29. *Joannes Degernbeggius* vir eloquens ac ſingularis induſtriæ diligentiæque, ſucceſſit Chunrado ſexto, præfuit annis 13. ſatis negligenter, augens æs alienum plurimum. Condidit duo ſacraria, & ſupremæ aræ delubrum. Obiit anno 1449.

30. *Wilhelmus Kienberger* ex Tigurino, apud Bavaros, sito lacu, ac Cœnobio evocatur, ad Schyrense Monasterium gubernandum: præfuit annis 18. Fuit vir religiosus & eruditus, qui studiosa librorum omnis generis coëmptione Bibliothecam præclare auxit, observantiamque secundum D. Benedicti institutum Cœnobio huic intulit: valedixit vitæ mortali, & hominum, in terris viventium, consvetudini, anno Christi 1467. Sepelitur in medio Ecclesia propè tumulum fundatorum, Othonis Comitis & D. Hazigæ.

31. *Georgius* cognomento *Sperlin* ex parrochia Schyrensi pauperibus quidem, sed honestis tamen parentibus ortus, vir multis præclaris virtutibus præditus, successit Gulielmo. Præfuit sapienter & diligenter, utilissimeque 22. annis: quibus & Bibliothecam præclare auxit, & ædificia plurima pulchrè construxit, sacellum videlicet D. Joannis Baptistæ, sacrarium minus, Zytharium seu præceatorium, & ambitus duas partes cocto latere concameravit. Muro & pariete latericio cinxit hortum. Magnam æris alieni partem dissolvit, calculo laborans crebro, decessit tandem, anno ætatis suæ LXVIII. Christi verò anno 1489.

32. *Paulus* cognomento *Preu*, patria Voburgius, ex celebri oppidulo ad Danubium sito oriundus: successit Abbati Georgio, vir integer & religionis Benedictinæ observator imprimis diligens. Præfuit 16. annis. Obiit Monaci in conventu fratrum Minorum, apoplexia, sexagenarius, anno Christi 1505. Dominica post conversionem S. Pauli. Corpus Schyrum defertur, ac honorifice sepelitur. Erat eo tempore gravissimum bellum in Bavaria: mortuo siquidem Georgio Duce Landishutano absque maribus, Albertus Monacensis princeps adire (jure quidem) hereditatem voluit; sed Rupertus filius Philippi Palatini Rhenani, Frisingensis quondam Episcopus, nepos ex sorore, & gener ducis Georgii, contra fas edictumque Maximiliani Imperatoris Landishutam, Burghusium, Neuburgum, Rhenos (vulgo Rheyn vocant) & alia plæraque oppida, ope & conspiratione quorundam procerum vi occupat. Sic miserè Bavaria ferro flammaque devastata est, nec Templis, nec Cœnobiis parsum in eo rerum statu est: donec Ruperto ejusque uxore

Bellum Bavaricum.

Landshut. Burghausse Neuburg.

uxore authoribus tanti belli fato functis, per Maximilianum Imperatorem, in conventu Principum, Colonienſi pax reddita & firmata eſt, eodem, quo Abbas iſte rebus humanis exemtus eſt, anno.

33. M. *Joannes* cognomento *Turbeyt* ex Patavino Epiſcopatu oriundus, communi omnium ſuffragio electus, ſubrogatur Paulo: anno 1505. Vir qui honeſtis literis & Philoſophiæ, usque ad ſupremam palmam, in Ingolſtadiano gymnaſio operam dedit. Rerum Eccleſiaſticarum reique domeſticæ & familiaris ſupra quam dici poteſt diligens, & peritus gubernator: unde & grande æs alienum à majoribus conflatum, duo nimirum aureorum millia diſſolutum iri curavit. Opera incepta ab anteceſſore ſuo perfecit: ipſe de integro & ex fundamentis pleraque extruxit. Portas utrasque cum domibus cohærentibus magnificè ampliterque ædificavit, fuerat prius præpoſitus Viſchobachuni, ubi egregium theſaurum accumularat, quod nemo alius antea fecerat. Plurimum auxit cœnobii Clinodia, & aurea argenteaque monumenta. Vir vitæ integritate nemini ſecundus, principibus chariſſimus, præcipuè Alberto principi: prudentiſſimo ac eloquentiſſimo, Maximiliani Imperatoris genero, qui per eum pleraq; D. Benedicti Cœnobia, ad ſeverioris religionis (cujus ipſe perſtudioſus erat) jugum revocavit. Literarum & literatorum omnium fautor & amator maximus. Aventini Chronographi Bavorum ſingularis Mecenas. Præfuit laudabiliter & omnium optime, annis 30. Deceſſit ex hac lacrimabili vita octogenarius apoplexia, 18. Cal. Aprilis, A.D. 1535. Sepelitur in medio templo prope Mauſolæum fundatorum.

34. *Andreas* cognomento *Geishoverus* vir religione & devotione inſignis: ſucceſſit rebus humanis exempto Abbati Joanni. Bene præfuit annis XII. Obiit 21. Decembrium Anni à nato Chriſto 1547. Sepelitur in medio ferè templo cum præclaro monumento, quod illi pio affectu erigi fecit ſucceſſor.

35. *Joannes Chriſoſtomus* cognomento *Hirsbegkius*: vir procera corporis ſtatura præditus, literis verò & virtute claris. Eligitur anno 1547. præſidet laudabiliter hoc adhuc currente anno 1551. Habuit germanum fratrem Paulum Hirsbegkium Sacræ paginæ do-

ctorem & Ratisbonensis summæ Basilicæ olim concionatorem, culus extant scripta quædam Ingolstadii excusa, quæ de ejus ingenio ac eruditione, dignum posteris testimonium perhibebunt. Huic Abbati, Domino Joanni Chrysostomo tale ego hoc ipso anno dedicavi de Ecclipsi Lunari (quam in Februario vidimus) Idyllion Heroicum.

Reverendo in Christo patri ac Domino, Domino Joanni Chrisostomo Abbati Schyrensi in Bavaris, Domino ac Mæcenati suo S. D. Gaspar Bruschius Poëta Laureatus,& Comes Palatinus.

Jane Chrysostome, doctorum Patrone fidelis,
Et studiosorum fautor amande gregis.
Si tibi tantum oci tua cura domestica linquit,
Et potes à rebus paululum abesse tuis:
Ut fortasse soles nonnunquam nostra redire
Ad studia hæc, olim qua placuere tibi:
Perlege quod venit à nobis tibi carmen, amicum
Optat & hospitium te penes esse sibi.
Vidimus ante dies paucos Lunaris in ipso
Horrendas tenebras luminis ore Sacro.
Vidimus infando fædatos sanguine vultus,
Fulgentes auri qui prius instar erant.
Hæc, ut non casu fiunt, sed mente Deorum
Consultata diu: sic nova fata ferunt.
Ingentesq; trahunt secum Metamorphoses omni
Tempore, & ærumnas tristitiasq; graves.
At quid nunciet hæc Lunæ obscuratio nobis,
Accolimus miseras qui Babilonis aquas:
Id brevibus numeris & agresti carmine nuper
Diximus: ut nobis noster Apollo dedit.
Est munus nimium fortasse exile, tuoq;
Indignum vultu: si tibi id ipse feram.
Sed jubet hoc facere audacter me, notus uterq;
Weissenhornius & charus uterq; tibi. Ergò

Ergò brevem, at ſcriptum de re præſtante libellum,
Qui te pulchrum aliquid forte monere poteſt:
Accipe clementer, Pater ô Reverende, & amanter,
Inq; tuis charis rebus habeto: Vale.

In Calendis Martiis Anni Jubileum
inſequentis.

In Lunarem Eccliſin Anni à nato Chriſto 1551

Idyllion Bruſchii.

Si verum fuit ulla tempeſtate, quod inquit
Magnus Apoſtolus ille Dei, qui vixit ad uſque
Tempora Trajani, Solymarum vidit & urbem
Dilectam patriam vaſtari à milite ſævo,
Vidit & innumeras alias cladesque facesque,
Iræ exempla Dei, & juſti Monumenta furoris:
Si verum fuit inquam ullo iſtud tempore, verum
Ut nimium fuit: eſt auſus quod dicere veri
Vir pius ille DEI, in diro poſitum eſſe maligno
Hunc omnem cœli poſitum ſub fornice Mundum, *1. Joan. 5.*
Quo nihil eſt immundius, & magis impium ubique:
Verum equidem nimis hâc eſt noſtra ætate, ubi nullus
Virtuti locus amplius eſt, Dominique timori:
Arbitrio ſed quiſque ſuo vivitque, facitque *Seculum noſtrum omnium peſſimum.*
Et ſine fronte, omni procul abjectoque pudore,
Quod Sacræ prohibent leges, quodque ira furentis
Non injuſta Dei tantis ulciſcitur auſis;
Ut totas gentes, & totas deleat Urbes
Sæpe furens: veluti Trojanam funditùs urbem,
Et Solymas arces delevit, & ignibus olim
Extinxit ſubitis Sodomam, ſociamque Gomorrham.
Munus namque ſuum quis nunc facit? aut quis honeſti
Amplius eſt ſtudioſus, ut olim ſecula priſca
Præclaros habuere viros, virtutis amantes
Tantopere, nil non facerent virtutis ut ergò,
Quin mortem ſæpe oppeterent virtutis ut ergò.

Quis

Quis non ſummus, & infimus, hac ætate, Deosque
Atque Deûm leges contemnere novit? & ipſis
Oſtendit medium digitum monitoribus, alto
Qui de ſugeſtu Domini præcepta tonantes,
Contemtus miniſtrorũ Eccleſiæ. Plenâ voce jubent meliori attendere vitæ:
Ni vindictam iramque Dei ſentire velimus.
Quæ non uſuris, quæ non pleniſſima furtis
Sunt loca, & injuſtis odiis, ſævisque rapinis?
Imò libidinibus vetitis, & cœdibus atris,
Peccata ſexti præcepti impunè abeunt. Quin & adulteriis, quæ nunc prope honeſta putantur
Eſſe, apud hos verò imprimis, qui hæc ipſa vetare
Et gladio ulciſci debebant impia facta.
Quid proceresque ducesque niſi aut venabula curant
Et ſua tertia? contemptis ſtudiisque librisque:
Studia Principum Aut prava otia tantùm, inconceſſasque ſubinde
Mille voluptates votisque animisque ſequuntur,
Securi plebis, ſecurique officiorum
Ad quæ divina poſiti voce eſſe videntur.
Doctores verò multi aut Idola tuentur,
Doctorum ſilentium noxium. Erroresque graves defendunt vindice lingua:
Aut plebi pravis exemplis ſæpius obſunt,
Aut non objurgant plenis mala crimina buccis,
Ac ad multa tacent hominum delicta, canes ceu
Omnino muti, nihil & latrare valentes.
Quod ſi quid de plebe velim huc adducere: certe
Nec ſatis oris erit mihi, nec tantum unius uſus
Sufficiet linguæ. Centum vix dicere poſſent
Quanta ſit impietas, quàm perverſiſſima Plebis
Vita, mali quàm plena doli, quàm plena veneni?
Deteriore loco non poſſent omnia ſtare
Plebis malitia ſumma. Quàm ſtant noſtrâ ætate nimis duraque malaque.
Sic ut conveniat noſtris hæc ipſa diebus
Non male vox, à ſancto olim prolata Joanne:

Totus

Totus enim in diro ſitus abſorptusque maligno,
Eſſe videtur ita immundus ſuper omnia Mundus.
Omnia ſunt vitioſa,& ſordibus undique tecta:
Vix tot in orbe boni, quot ſunt ſacri oſtia Nili. Rom. 3.
Omnes devia turba ſumus, peccavimus omnes
Atque caremus honore gravi,in quo condidit ipſe
Nos pater æternus, cùm terræ prima locaſſet
Fundamenta, lutoque ſuum cœnoque vigorem,
Inflaret, ſimilesque ſibi nos conderet omnes.
At redeamus ut inque viam, reparemus honorem,
Amiſſumque aliquando,Dei effugiamus & iram
Juſtis conceptam cauſis modo: voce monemur
Non modo Apoſtolica (quâ ſemita vera Salutis
Monſtratur) ſignis,ſed prodigiisque Deorum,
Ac variis monſtris. Hinc nuper euntibus annis
Vidimus hinc inde horrendos ardere Cometas,
Et plures Soles, & concurſantia cœlo
Agmina,& inſtructas peditumque equitumq; cohortes:
In variisque locis ſtagnantes ſanguine fontes,
Quin & monſtroſos partus volucrumque hominumque:
Ac complura alia, his brevibus vix apta Camenis.
Ut ſileam triſtes concurſus ſiderum, in arce
Ætherea: quin tot Solis Lunæque labores.
Sic ille ipſe dies, hodie qui venit ab ortu,
Et viceſimus eſt in avitis lucifer umbris,
Triſte novumque aliquid ſecum portabit ab axe:
Apparebit enim tetra obſcuratio Lunæ
Totius, in multis qualis non extitit annis.
Magnarum rerum ſecum tractura ruinam,
Interitus Regumque ducumque. Immitia fata
Triſtitiasque graves multorum, conſiliis qui
Reges atque Duces ſoliti ſunt ante juvare.
Iſtud Atlantiades hodiernæ Eclipſeos hoſpes,
Et Mars in quarta Cœli ſtatione triumphans,

Ambo infelices, immites ambo minantur.
Siderum maligna vis.
Sed nec falcifer ipse Senec (qui hoc incidit anno
In dulcis vitæ stationem) omnino quiescet:
Aut vires non exeret has, quarum est sibi pulchre
Conscius, ille vorax hominum interfector, & hostis.
Morborum genera ille trahens quam plurima secum
Præcipuè mortes invenum accelerabit, ubique
Amissam faciens prolem lugere Parentes.
Et quia principium tenet anni luminis illa
Obscuratio Lunaris, quam promovet Hermes
Siccus, & augebit positus Saturnus in arce,
Florentis vitæ: Sata læta annique labores,
Et spes Agricolarum ex magna parte peribunt,
Horrendamque famem adducent mortalibus ægris.
Hæc mala sidereæque faces, & luna minatur
Obtenebranda hodiè: Luna inquam, fida Deorum
Interpres conceptæ iræ. Cui credere, quamque
Audire utraque admota nos convenit aure.
Leniet has verò curas Jovis aurea stella,
Atque benigna Venus. Non Jupiter illæ, Poëtæ
Quem scribunt & adulteriis, stuprisque vacare:
Nec Venus illa procax, vetitos quæ accendit amores.
Sed clemens pater ipse DEUS, cui filius heres
Cœlorum regni, pura est è virgine natus:
Deus Dominus sidereus.
Quem solum atque unum propter, mortalibus ille
Et clementior est, & novit parcere rebus.
Is moderabitur hæc mala, & iras leniet omnes
Astrorum: nam nos amat, & quos condidit olim
Non plane abjiciet, siquidem hæc dilectio non est
Frigida, qua nos prosequitur Pater ille perennis.
Igneus iste amor est, quo non vehementior alter
Extitit in vita: Qui sic accendit eundem
Humani generis studio, ut nec parceret uni
Ipse suo gnato, sed morti traderet illum,

Quo

Quo per eum mortem nos evitare perennem
Posſemus, qua jam dejecti in Tartara eramus.
Hæc eſt illa benigna Venus, quæ mitigat iras
Concilliaque patrem, Chriſti per vulnera nobis:
Mitigat & meritas pœnas, & flagra coercet.
Hanc venerem quicunque colis, vel ſcire laboras
Scripturas volvendo pias, quas concio cœli,
Turba Prophetarum nobis abitura reliquit:
Quas & Apoſtolici proceres auxere, Deique
Filius ipſe ingenti confirmavit honore.
Huic inquam quicunque faves, quicunque miniſtrum
Te ſociumque facis: fac id quoque quæſo, & eandem
Sic placare & in officio retinere perenni
Tota mente ſtude Venerem: ut quæ rebus amanter
Condolet humani generis, miſerisque maliſque
Non fremere iraſcique diu velit: obvia ſed ſit
Undique propitiis radiis, & luce ſerena.
Hanc totis omnes animis ſtudeamus amare
Tam blandam Venerem. Huic inſtemus nocte dieque,
Ingenuis præcibus, ne nos aut deſerat unquam,
Aut transformari ſeſe patiatur in iram:
Sed maneat clemens ſemper, fiatque ſubinde
Et clementior atque malis magis obvia noſtris.

XIX & XX Febr. Anni 1551. Ingolſtadii in ædib. Weiſſenhornianis faciebat Author.

Concluſio Monaſteriorum Germanicorum: ad omnes Germaniæ Abbates & Præpoſitos, aliosque viros religioſos ac eruditos, Antiquitatumque ſtudioſos.

Jamq; operis partem exegi, quod noſtra labore
Immenſo, omnibus ex Germani partibus orbis,
Et ſtudio in patriam nunquam ceſſante coëgit
Calliopea. Hanc nulla dies, nulla obruet unquam

Flumine Letæo, licet omnia deſtruat ætas.
Gratia diis Magnis, quorum bonitate fideq;
Defenſi, priſcosq; lares hos vidimus omnes,
In juſtosq; libros ratione redegimus aptæ.
Quod ſi (qui vitam dedit) idem prorogat annos
Hos mihi mortales: mox pars etiam illa ſequetur
Altera, quæ nondum ſatis illuſtrata, laboris
Et Monumentorum quid adhuc, opis atq; requirit.
Vos (Germaniæ quos habet) Abbatesq; virosq;
Ingenio claros, & religione celebres,
Omnes ex animo precor, atq; hoc carmine teſtor:
Ut non difficiles, & cetera veſtra mihi illa
Mittatis monumenta, meo quæ deèſſe putatis
Huic operi: in quo non modo mille Monaſtica templa
Sunt deſcripta mihi, verum omnes Pontificatus
(Quos diis non male gratus alit Germanicus orbis)
Æterno calamo tranſmiſi ad poſteritatem.
Ut ſine veſtrarum jactura & vulnere rerum
Largiri facile nobis hæc ipſa poteſtis:
Quæ pulchre vobis etiam illuſtrata redibunt.
Sic ad vos tamen inde etiam hoc redit inſuper, ipſam
Ut ſupra ſortem ceu fœnus, nominis atq;
Æternæ laudis ſummum accipiatis honorem.
At quantum decus hic Patriæ præſtetis, in iſtis
Sic convectandis monumentis: ſi mala noſtra
Non (ut ſunt ingrata nimis) ventura loquentur
Secla fidelius ipſa tamen, quæ grata labores
Agnoſcent iſtos, & noſtrum nomen ab omni
Interitu eripient, laude ornabuntq; perenni.
Nolo hoc commemorare loco (nam cernitis ipſi)
Quàm laudaturi ſint vosq; meumq; laborem
Hunc Succeſſores veſtri: Nam nos quoq; noſtros
Majores magis ornaremus, ſi ſua nobis
Scripta reliquiſſent: de rebus ſcilicet illis,

Quarum

Quarum auditores Spectatoresq; fuerunt.
Ergò agite, & positis reliquis è pectore curis
Omnibus, hoc tota facite isto tempore mente:
Quærite diversis è chartis, & monumentis,
Et conscribite, & æternis mandate libellis,
Quæ videatq; legatq; olim haud malè grata futura
Posteritas vobis: quæ vos vixisse, & honestum
Hic fecisse aliquid toto testentur in orbe.
Vivite felices, vestri memoresq; Poëtæ,
Qui dedit hæc nunc, & dabit uberiora, superstes
Munere si fuerit divûm, Vos omnis Olympi
Concio sacra & amet, nullum & non servet in ævum.

In die S. C. Virgineæ Augustæ Vindelicorum.

Hæc habet à Divo Fernando Cæsare, magnis
Pro meritis Vates Bruschius arma suis:
Quod primus Patriæ celebrare est totius ausus
Pontifices omnes, templa laresq; sacros:
Unde, in quo fuerint quondam pia Sacra favore,
Arserit immensas quàm Pietatis amor:
Quale suis fuerit studium Majoribus olim?
Ipsis cum Senibus scire Juventa queat.
Tu decus hoc agnosce tuum Germania, laudi
Invidisse tuæ ni velis ipsa: Vale.

In Æquinoctio Verno M. D. LI.

Reverendo Ampliſſimoq. Domino, Domino Henrico Rodolpho à Weza, JURIS utriusq. Doctori, Monaſterii Waldſaſſenſis in veteri Nariſcorum terra Adminiſtratori dignissimo Sal. perpetuam optat, Gaſpar Bruſchius, Poëta Laureatus.

Verè novo æquavit nocturnas Solibus umbras
In ſignorum Aries principe parte ſitus.
Frigida præterque ivit hiems, & inambulat annus
Flore novo totis luxurioſus agris.
Jam Pater arce ſua Clarius deſcendit, amicâ
Voce ſalutatis ſed tamen ante ſuis.
Quærat pubentes ut verni temporis herbas,
Per quas humanum ſublevat omne genus.
Jam ſua per nemora & Silvas, per apricaque ſaxa,
Per dumeta, agros, lætaque rura volans,
Nunc hos, nunc illos flores decerpit, amicos
Non ſecus ac ſuccos ſedula quærit apis.
Jam per Grynæi nemoris ſtabula alta ſuperbe
Incedens Thymbram colligit inde ſuam:
Jam per maternam Delon, locaque invia Cynthi
Ipſum Hyacinthum etiam quærit & optat amans.
Turba novena domi in ſacrato Helicone relicta
Tota vacat ſtudiis rebus & ipſa ſuis.
Calliope Regum deſcribit carmine laudes,
Res geſtas magni Cæſaris atque Ducum.
Laſcivos Erato juvenum decantat amores:
Illuſtrat plantas culta Thalia ſuas.
Contexit varias facunda Polymnia laudes:
Scribendis Clio ſudat in hiſtoriis.
Melpomene exercet cantus, pulcherrima cœlos
Uranie notat, & quidquid Olympus habet.
Sic aliæ citharasque lyrasque, & cætera adornant,
Blanda quibus gaudet Muſica tota cohors.

Quæque

Quæque ſuas artes exercet, quisque Deorum
Atque hominum ſtudiis ſe levat ingenuis.
Ergò & nos aliquid, generoſe Henrice Rodolphe,
Convenit hoc ipſo ludere vere novo.
Ludere quod proſit patriis arisque focisque,
Ipſaque poſteritas quod legat atque probet.
Quod vixiſſe aliquando & nos teſtetur, & inter
Phæbigenas aliquem dignum habuiſſe locum.
Si vivis verò, & vitali veſceris aura,
Et toto incolumis corpore rite vales:
Si tibi tota favet cæleſtis contio regni,
Ad votumque fluunt omnia cæpta tuum:
Ex animo lætor, Divosque imploro ſecundos,
Propitii tibi ſic ſemper ut eſſe velint.
Ipſe ſatis felix ſum corpore, ſed tamen ipſa
Crumena interdum non ita ritè valet,
Dum magnos facio ſumtus, ut totius orbis
Germani proceres ſecla futura legant:
Omnes conſpicuos meritis, virtute fideque
Pontifices claros & pietate Patres.
Nuper & ex Ubiis, Mediomatricibus atque
Ad patriæ redii dulcia tecta meæ:
Perluſtravi omnes ubi Rheni totius urbes,
Ad caput ex Ubiis quas habet uſque ſuum.
Vidi & conſcripſi in toto hoc quam plurima curſu,
Quæ ſunt olim oculis grata futura tuis.
Ex variis quæ cuncta domi nunc digero chartis,
Ut juſto conſtent ordine quæque ſuo.
Ac ſi me ſuperi ſervat clementia cæli,
Si me cuſtodit, qui regit aſtra pater,
Intra anni ſpacium latiis ſermonibus edam,
Quos de Pontificum rebus adorno, libros.
Illîc & tibi marmoream poſitam eſſe columnam,
Eximias noſtro è rure videbis opes.

Tu

Joannem à Weza Episcopũ Constantiensem.

Tu mihi Mæcenas tantum, Augustusque moneto,
Talibus & scriptis, his studiisque fave:
Illustremque tuum hac virtute imitare patronum
Ac patruum, ardua quem nunc habet aula Jovis,
Quem lacus Acronius, Venetusque colebat, & omnis
Vicina Helveticis fertilis ora jugis.
Quem mea perpetuis celebrabit grata Camenis
Pieris, in laudes officiosa tuas.
Sed quod non subeo tua nunc amplissima tecta,
Ac Dominum vivâ voce saluto meum,
In causa est partim moles immensa laborum,
Quæ respirandi vix sinit esse locum.
Partim alia & nova nostra peregrinatio, in ipsos
Quos medius lætos scindit Havelus agros.
Namque ex Præsulibus, quos omnis Teutonis ora
Nutrit & immensi numinis instar habet,
Nomina, resque mihi desunt tantummodo eorum,
Quos inter parvas nutrit Havelus opes.
Hos si finiero cursus felicibus astris
Et Domino, veluti spero, favente Deo,
Tum coram tibi læta loquar, coramque precabor,
Voce absens grata quæ tibi sæpe precor.
Nunc de Præsulibus, quos urbs Constantia jactat,
Hæc exporrecta carmina fronte cape.
Si, quâ fortuna Rhenanas viderit urbes
Bruschius, id forsan tu quoque scire cupis.
Ex elegis aliis, quos hîc subjecimus apte
Et tibi sacramus, absque labore scies.
Talia nos tibi dona damus, chartacea: sed quæ
Ipsa tamen fiunt nobiliora die:
Quæ te immortalem facient, quæ conciliabunt
Nominis æterni splendida dona tibi.
Fulvum expectato summis à regibus aurum,
In pretio vel quæ cætera mundus habet.

Virtu-

Virtutum laudes, victura Poëmata solis
Vatibus à sacris Phœbigenisque pete.
Hæc si e munera amas, generose Henrice Rodolphe,
Accipies à me sæpius illa: Vale.
Vive, valeque Narisci decus utile terræ,
Perpetuaque heros laude canende mihi.

De omnibus Ecclesiæ Constantiensis Episcopis,

Idyllion Heroicum ad D. Christophorum Mezlerum, Episcopum Constantiensem, scriptum à Gaspare Bruschio, Poëta Laureato.

AD villam nuper Salomonis ab urbe profectus
Sigmaria, cum Pfullendorffi parva subissem
Mœnia: mox nova fama meas pervenit ad aures,
Fama mihi certe quovis tum gratior auro,
Te Metzlere, vir optime, & illustrissime Doctor,
In Constantina templis ac civibus urbe
Esse gubernatorem, inspectoremque sacrorum
Divina bonitate datum, acceptumque. Quis autem
Hunc tota non mente Tibi gratetur honorem,
Doctrinâ instructo, pietate & moribus æquis
Justitiaque viro? Quis non & numina Olympi
Sacra, Patrem, Gnatumque & Procedentè ab utroque
Laudaret Dominum pro tali munere, pro tam
Præsule conspicuo virtutibus omnibus? Et quis
Non quoque Canonicos vellet laudare patresque,
Cella opulenta, tuos, sua qui suffragia nulli
Vinoso, ignovoque viro, mollive dederunt,
Nec qui aliqua generis sibi nobilitate placeret,
Sive videretur magnus: sed honesto & honestis
Devoto studiis, casto integroque parenti:
Qui regere optata populos in pace valeret,
Doctrinaque gregem commissum pascere sana

Sinnaringen, oppidum Comitum à Zollern.

Cella, oppidum ad Lacum Venetum.

Et juſta ſummo pietate litare Tonanti.
Hæc ſuffragia commendabit Cæſar, & urbis
Romanæ totus venerabilis ipſe ſenatus.
Quisque & ut optimus eſt, ita te lætabitur eſſe
Ad Rheni caput hâc ætate Antiſtitem honeſtum.
Ad Venetumque Lacum, paſſis qui te excipit ulnis,
Underſeeh. Teque ſuum blanda genitorem voce ſalutat:
Exemplo cujus fortaſſe modeſtior alter
Podamico, ad quem ſita Conſtantia Urbs, olim Imperialis nunc Auſtriaca. Nunc erit & poſito faſtu contractior ibit,
Monſtri aliquid triſti cujus ſub fronte latebat
Hactenus, ille tuo nunc lumine apertior eſſe
Incipiet, fiduſque magis, magis obvius omni.
Imperioque tuo, dextræque aſſveſcit herili
Rurſus, & ex animo tua vota & juſſa capeſſet:
Et quanto fuit ille ſuperbior hactenus, erga
Te tanto eſt ſubmiſſior hac ætate futurus:
Te Metzlere colet, Te, Te, venerabitur, & Te
Præſulem honoratum pietate verebitur omni.
E Cœnobio Salemitano ad Merſenburgū. Viſus id ipſe mihi lacus eſt promittere nuper,
A villa cum me ferrem Salomonis ad urbem,
Quam nomen referunt de nomine Martis habere.
Hic ego neſcio quid melioris vocis & oris
Audierim, quod dum breviter, doctiſſime Præſul,
Commemoro, ut me clementer & obvius audi:
Quicquid id eſt etenim totum ad te pertinet, & Te
Gaudet ad hanc ſedem veniſſe faventibus aſtris.
Lindavium Morſenburgi. Acronio nuper cùm vectus in æquore pulchram
Acceſſurus eram Philyren, prope mœnia Martis
Nympharum ingentem vidi medio æquore cœtum
In placidis ludentem undis, fluctuſque ſecantem
Ac pulchre ignivomo ſeſe ſub Sole lavantem.
Has pater Acronius ſenior, barbatus ad uſque
Pectora, compellans, eſt tali voce loquutus:
Quid vos, ò dulces natæ, nunc luditis aut quid

Ocia

Ocia tanta sequi juvat isto tempore, quo vos
Quiddam aliud melius facere & tentare decebat?
Quod vobis ut honorificum, sic utile posset
Esse, senem vestrumque aliquando beare parentem.
An nescitis, in hac Antistitem adesse superbâ
Urbe novum, qui justicia pietateque magnum ad
Sidera nomen habet, qui doctrinaque piisque
Artibus excultus, nulli est toto orbe secundus:
Eximia celebris meritorum laude bonorum,
Ut senio venerandus, ita experientia onustus,
Et sapientia ita instructus, linguæ nitore,
Atque Periclæ gravitatis acumine, ut ista
Sede sit imprimis & tali dignus honore.
Qui merito teneat populorum atq; urbium habenas,
Quas nemo melius moderatur dexteriusque,
Quàm sapiens Princeps, justus, pius atque disertus,
Metzlerus qualis, cui vos debetis honorem
Gratari talem, quin ipsum munere vobis
Demeruisse novo, quod quale sit instituendum,
Vos equidé perpulchre ego mox breviterquedocebo.
Ite, meæ dulces natæ, mea pectora chara:
Ite, aliquod pulchrumque auleon arte magistra
Instaurate, quod ingeniosis convenit istis
Ac teneris melius digitis, quàm nare per undas,
Ludere & ignavo puerorum more per istos
Insanos fluctus, nec quovis tempore fidos.
Ite & texite opus præclarum, & nobile, quali
Dignus Episcopus est novus, & vos quale potestis,
Artem non ego vos, non ingeniumque docebo.
Nam pulchre didicistis id, ostendente Minerva,
A primis annis, cùm vos daret Euganis uxor,
Chara mihi imprimis socialis pignora lecti.
Materiam tamen ipse dabo haud male convenientē
Temporibus nostris. Scitis, mea pignora, scitis,

Alluxerit ad lacum Venetum, ad quem olim sedebāt Veneti.

Ut quaſdam paſſim ad ripam videamus utramque
Non ita morigeras Nymphas, facileſque ſorores,
Quæ dictis parere negant Antiſtitis hujus
Eximii noſtri: His agite oſtendamus in iſto,
Quod ſumma vobis texendum eſt arte, tapeto.
Non novum id eſſe, quod hac quoque tempeſtate ſubire
Præſulis imperium, quod juſſa capeſſere debent.
Ergò periſtroma hoc intextos afferat omnes
Præclaros meritis mitraque pedoque decoros,
Quos habuit priſcis Dominos Conſtantia ſedis,
Præſulis officio & venerando nomine notos.
Atque hîc pingite, quos Vindoniſſa parentes
Atque Duces habuit primos: ibi namque vetuſtis
Temporibus nata eſt veneranda Eccleſia Chriſto
Ad Limagi thalamum, in quem Ruſa Ararisque puellæ,
Inſignes forma & præſtantes corpore, currunt:
Sed Martis propter rabiem excitosque tumultus
Ad Conſtantini tandem translata penates:
Per non ingentos præclare ibi floruit annos.
Nunc vero (ò mores, ô tempora) ibi exulat iſta
Tempeſtate adeò dira, reditura ſed iſtuc
Poſt paucos menſes: ita forſan digerit iſta
Omnia, qui regit aſtra Deus, quī trinus & unus,
Cuncta auditque videtque æterna Solis ab arce.
Ergo *Boulcum* intexite primum, interfuit iſte
Concilio & revendæ olim Synodo Epaonenſi.
Huic *Grammatius* accedat, digniſſimus omni
Laude vir, ingenii & pietatis dote celebris,
De Chriſti quem doctrinis ſtudiisque loquentem
Et conſultantem felix Aurelia quondam
Vidit & audivit, veterum ut monumenta vitorum
Conteſtantur. At hunc *Maxentius* ille ſequatur
Quem quidam Maximminum dixere, beatum
Illuſtremque virum, Dagoberti Regis amicum:

Qui

Qui Vindoniſſenſem urbem, patriamque reliquit
Hoſtibus, in ſanctos graſſantibus undique cives,
Cæſaris & ſeſe ad Conſtantini apta recepit
Mœnia, conſilio Dagoberti Principis uſus.
Hîc memores Limagum, Ruſamque Ararimque relictos
Pingite & hoſpitium: quod amanter & officioſe
Excepit, fortemque virum ſanctumque Prophetam.
His *Rudilo*, *Urſinus*, *Gaudentius* & *Mariannus* 4 5. 6. 7.
Adjiciantur & inſignis pietate *Joannes*, 8.
Opthardusq; ſenex, *Pictavius* atque *Severus* 9. 10. 11.
Aſtropiusq;, *Haunusq;* patres, & *Buſo* beatus 12. 12. 14.
Audoniusq; à Contracto celebratus, honeſti 15.
Inſignesque viri, virtute & nomine magni.
De quibus omnibus omnino tamen extat in orbe
Certum exploratumque nihil, ita prorſus inertes
Germani laudisque ſuæ rerumque fuere.
His ſuper addantur ſtudioſe *Ernfridus*, & urbis 16.
Qui nomen vetus & clarum *Sydonis* habebat, 17.
Cui magni Regis conjunx Bertrada Pipini *Sidonium.*
Clemens multa dedit, mater tua Carole Magne.
Poſt hunc pingite acu & ſtudioſa mente *Joannem* 18.
Ambitioſum Abbatem in Galli divite templo,
Qui viginti annis bene præfuit atque duobus,
Mox *Gangolphum* etiam, vitæ brevis atque *Fidelem* 19. 20.
Et *Theobaldum*, *Eginona* & avarum & divitem, in auro, 21. 22.
Qui Chriſtum pendentem effingi fecit, & iſto
Eſſe ſui memores voluit nos munere ſancto.
Poſt effingite ſic *Theodorum*, *Wolfeliumq;* 23. 24.
Sangalli Monachum ac Eginoni ex fratre nepotem
Auſoniaque datum *Solomona* ex urbe, ſenemque 25.
Bathegena, *Gebhardum*, quin *Solomona* ſecundum 26. 27.
Contentum ſemper paucis, parvoque potitum. 28.
Horum res nullæ, ſed nomina ſola ſuperſunt.
Non multis opus eſt igitur cura atque labore:

Sed qui nunc in congerie hac ſerieque ſequuntur,
Hos opus eſt, ut magnifice exornetis, eorum
Texendo varias res fortunaſque viceſque:
29. Quos inter *Solomon* primas Ramſchwagius Heros
Obtinet eximie præclarus, nobilis & cui
Eximiam peperit laudem ſapientia ſumma
Ac prudentia, qualem Ithaco Smyrnæus Homerus
Attribuit, quem doctum etiam linguisque fuiſſe
Inſtructum variis, etiam ipſa volumina ſcripta
Sangalli teſtantur, ubi idem etiam optimus Abbas
Extitit: & Conſtantinæ urbis Bibliotheca.
Hic etiam Caſtrum Theobaldi appingite, & ipſos
Svevorum Reges captivum in vincla trahentes
Hunc Solomona pium: quæ magni cauſa tumultus
Multorumque malorum erat. His ſuperaddite juſtas
In dictos Reges Conradi Cæſaris iras.
30. Inde *Notingum*, illum omnigena pietate refertum
Et Veringenſem Comitem, quem ſanctus ab iſta
Mortali vita ſublatum Ulricus abunde
Flevit, & eſt Divos ardenti voce precatus,
Ut ſimilem dignarentur, Conſtantia, nempe
Præſulem honoratum tibi reddere, religioſum
Sincereque pium. Quæ vota audivit ab alto,
Qui pia vota precesque auditque videtque piorum,
31. *Conradumq;* dedit ſanctum, Comitem Altorfenſem,
Quadraginta annis qui præfuit atque duobus,
Nec tantum bene præfuit, imo profuit urbi
Et templis rebusque ſacris: extruxit ab imo
Fundamento etenim Pauli, ſanctique Joannis
Templa decora, & cui Mauritius inſidet heros.
32. Huic *Gaminolphum*, qui vixit ſub Othone ſecundo
Rege, *Gebhardum* itidem, in Sanctorum jura relatum,
33. Qui ſtatuit Divo templum & domicilia Petro,
Petershu-ſium, Et ſedem ſacris Monachorum cœtibus aptam,

Qua

Qua Rheni ripam longus Pons jungit utramque
Inter utrumque Lacum. *Lambertum* adjungite sancti, 34.
Multa ex æde Petri tollentem argentea vasa
Phthiriasi tandem, quem sustulit ira Deorum. 35.
Post hos Ausonia *Ruthardum*, peste peremtum, 36.
Atque Haimona pium doctumque hominem disertum,
Quin & *Warmannum*, ac *Eberhardum* appingite, cujus
Ad Divum Petrum Romæ ossa & membra quiescunt: 37. 38.
Quos ambos ex Dillingensi stemmate natos,
Affirmant veterum monumenta, librique virorum.
Mox *Theodoricus*, *Rumoldus*, *Corolus*, atque
Effingatur *Otho*, Svevorum à Rege Rodolpho 39. 40. 41. 42.
Ejectus ditione & templis, Pontificis quod
Hilbrandi non omnia vota & jussa probaret.
His porro accedat *Gebenhardus* Marchio, frater
Bertholdi, quem clara domus Zeringia nobis
Ediderat mitem ac cum primis præsulem honestum, 43.
Cui semper fortuna parum fuit æqua, parumque
Prospera, ut hæc equidem nunquam non cæca furensq; est.
Huic etiam *Arnolphum* sacri de stemmate Montis
Intrusum veluti, sic ejectum quoque tandem 44.
Atque *Udalricos* Comites adjungite, quorum
Posterior Baro Castellanus, Canonicis cum 45.
Se gratum non esse suis sentiret, in ipsa
Condidit Hercinia rursus se, ubi Blasius ædem
Divus habet, dumis sylvestribus undique cinctam.
Cedere namque suorum maluit illi furori,
Præsidiis quàm Martis opes regnumque parare,
Quod plenum ut curis, ita cerneret esse caducum.
At prior *Hartmanni* Venerandus filius ædem 46.
De cruce nomen habentem extruxit amore Deorum
Sumtibus ex propriis, in qua ipsius ossa quiescunt.
Vos insignia Dillingensis ei addite gentis.
Inte *Hermannum* Arbonensi de gente Baronem, 47.

Autho-

Authorem magni (quod habet Constantia) templi
Inserite, imprimis opulentum Heroa, Scotorum
Qui domicilia, collapsam instauravit & ædem.
48. Mox Zeringensem Comitem describite *Othonem*,
49. 50. *Bertholdumq́*, à Busnang, *Hermannumq́*, secundum
Qui Fridingensis fuit ingens gloria gentis:
51. Præclaræque domus decus immortale *Dithelmum*,
Krenckingi dominum Wisenburgique Baronem,
52. 53. *Wernherumq́*, à Stauff, *Conradum* deinde secundum
Ex Andecensi Bojorum stemmate natum.
Succedant alia texendi parte tapeti
Post hos expositos alii quoque, nomina, quorum
Et vultus & res breviter percurrite gestas.
54. Montana *Henricus* cognomen ab abjete ducens,
Walburgi dominus, qui gessit prospera bella
Niffenses contra Proceres, quos pingite captos
Cum quadraginta ducibus, quos scilicet omnes
In Constantinam vinctos secum attulit urbem.
55. Ejusdem hunc alius gentis stirpisque sequatur
Præsul *Ebrardus* amans bellorum & Martius heros,
Qui templis ut erat non utilis, ipsam ita nostram
Vastavit patriam regionem incendio & armis,
Dum contra Bertholdum, Abbatem Sangallensem,
Civica bella gerens excivit in arma juventam
Impia, rebus & his nimis infelicia nostris.
56. His Habspurgensis succedat & ipse *Rodolphus*,
Canonicus Basileæ tuus, patruusque Rodolphi
Romani Regis, bellator maximus, & qui
Mire afflixit opes nostras, sed victor ubique
Austriaci contra cognati sanguinis hostes
Oppida multa sua virtute manuque subegit.
57. Mox *Henricus* erit pingendus Episcopus, hero
58. Klingenbergius, & *Fridericus* Zollerianus,
Electi discordia per suffragia, quorum

Poste-

Posterior tamen argento sedatus & auro est,
Vir mitis, facilis, placitusque. Henricus at alter
Alberto Regi charissimus, omnium amator
Doctrinarum & cultor erat, nigromanticus autem
Præcipue insignis, pater, Oeconomusque fidelis.
Huic superaddite mox *Eberhardum*, pontificis qui 59.
Verius imperio sedem est intrusus ad istam,
Quam voce electus concordi: vir tamen inter
Versatus doctos, ut doctus & ipse piusque:
Sed linguam quia Germanam non norat, ineptus
Ad rerum curam tantarum erat, Oeconomusque
Non adeo bonus, in reliquis verò optimus heros.
Hunc aliqui appellant variata voce Gerhardum,
Quo misera ex vita hac supera ad convexa vocato.
De Montis Fortis generosa stirpe *Rudolphus* 60.
Est Constantinæ præfectus Episcopus urbi,
Egregius princeps, & qui bene profuit ipsis
Et templis rebusque suis, rebusque suorum:
Conditus Arbonæ sub sancti fornice Galli.
Post hunc *Nicolei* memores estote puellæ, 61.
Nobilis à Kenczing Domini, qui victor ad urbem
Venit, Adelberto magna virtute fugato.
Munificus pater & bene largus alumnus eorum,
Sarcina quos paupertatis male grata præmebat:
Huic mendicantes pueros appingite multos,
Matres atque viros panemque stipemque petentes,
Propitius quibus ille fuit fautorque paterque
Semper, opes spargendo suas ita opemque ferendo.
Nicoleo *Ulricus* tuus, ô Constantia, civis. 62.
Successit Piperis cognomine nobilis heros:
Ut pietate & doctrina, sic Relligionis
Et fidei studio celebris, nullique secundus.
Artifici post quem pingatur honore *Joannes* 63.
Windegus, quem clara suum Schafenhusia civem

Jactitat, egregium bellatoremque ducemque:
Quique tuus fuit, ô generosa Svevia, ductor,
Albertus Tigurum quando Austrius obsidione
Cingeret, Helveticis importans montibus arma.
Sed velut is bellator erat, sic contigit ipsi
Lurida mors bellatoris quoque, non quòd in armis
Conciderit structaque acie, propriis sed in ipsis
Constantinæ urbis laribus, per seditiosos
Occisus quosdam, lautæ inter fercula cœnæ,
Inter opes, interque dapes, & pocula plena.
64. Hîc *Leopoldum* etiam memores intexite, & ipsum
65. Fridiacæ gentis decus immortale *Joannem*,
Cedentem sibi commissa de sede libenter,
Ne fortassis ei discordia sæva noceret:
66. Namque *Henricus* erat quidam Brandysius herôs
Pontificis nutu intrusus, qui præfuit annis
Sex & viginti totis, rixosus & urbi
Non bene propitius fautor, quem morte peremtum
67. Mox est *Mangoldus* de gente sequutus eadem,
Quem contra parte ex alia est electus honestus
68. Atque pius vir *Nicoleus* Risiburgius: at dum
Armata prohibere manu conatur eundem
Mangoldus, subitâ decedit morte, venenis
E medio sublatus, equum ascensurus ad ipsum
Apud Rheinfeldium. Tiberii sublime forum. Sic undique nobis
Proponentibus ætherea disponit in arce
Res nostras Deus. Hæc vos omnia pingite, Nymphæ,
Nec vos pœniteat plaudentem attexere Rhenum,
Imò & utrumque Lacum. Nam non sine sanguine bellum,
Nec sine cæde isset, nisi Dis mandantibus esset
Sublatus Mangoldus ab his terrestribus oris.
Sic sedem obtinuit placidaque in pace regebat
Nicoleos plenis vix prorsus quatuor annis:
Quem mox *Burcardus* concordi voce vocatus

Electus.

Electusque in vestri aulei parte sequetur
Heuwensis Baro magnificus lautusque, duobus
Qui lustris feliciter urbi præfuit atque
Divorum templis, quorum illustrator & auctor
Ille etiam fuit, intemeratæ Matris in æde
A se fundata locupletataque sepultus.
Hic Nellenbergensem etiam Comitem *Fridericum* 70.
Adjicitote, senem placidum, qui nomine solo.
Præsulis egregiè contentus, reddidit illis,
A quibus & claves & sceptra acceperat urbis:
Aspirans magis ætherei ad domicilia regni,
In quibus est nobis à Christi patre parata
Mansio jamdudum, vanos quàm mundi ad honores.
Huic succedentem *Marquardum* adjungite, natum 71.
E Randeggensi præclara stirpe Svevum,
Qui Sangallenses pacavit seditiosos,
Abbati docuitque suo parère, aliosque, *Abbas Celdenses.*
Qui Cellæ ac Abbatis habent cognomen agreste.
Quin etiam *Albertum Blaurerum* intexite fortem 72.
Magnanimumque virum, sapientem atque ingeniosum,
Eximie in rebus solertem agilemque gerendis:
Cui natale solum fuit urbs Constantia. Is ipse
Pauperie oppressam fortuna humilique jacentem
Penè omnem sedem pulchre instauravit, & urbes
In pignusque datas arces multo ære redemit,
Non temere effuso, verùm sapienter ubique
Congesto, prudenter & utiliterque retento.
Huic alios etiam subjungite nobilitate
Eximios prisca, doctum & Venerabilem *Othonem.* 73.
Marchio is Hochburgensis erat, pietate fideque
Præditus insigni, qui multis præfuit annis
Utiliter: sed Canonicis invisus, ob aurum
Largius interdum justo in convivia lauta
Effusum: quos ille reconciliavit amore

Ac animi bonitate ſibi tamen, illud ad ipſum
Principibus multis & multis uſus amicis.
Præfuit illo ipſo quoque tempore, quò celebratum eſt
Concilium Conſtantinæ ſub mœnibus urbis.
Pertæſus tandem imperii, mitramque pedumque
74. Tradidit & claves *Friderico* Zolleriano
Canonico, Argentina, tuo, præclaro & honeſto
Imprimis juveni, qui plenis vix tribus annis
Præfuit, & vita defunctus, celſa ſubivit
Sidera & æternæ ſedem & domicilia vitæ.
Ante tamen vitâ quàm cederet, omnia cleri
Deſcribi capita ille ſui curavit, ibique
Cenſa decem capita eſſe, ſcio ſeptemque per omnem
Præſulis hanc ſedem & regionem millia, juſto
Unde eſt hæc titulo ſedes ampliſſima dicta,
Ut qua Germanis ſit nulla patentior oris.
Nam quinquaginta & trecenta monaſtica templa,
Et totidem cœtus monachorum continet ipſa.
75. Huc *Henricum* etiam Heuwenſem numerate Baronē
Magnificum, & magni ſe principis inſtar habentem:
Verſuto qui Marte ſibi ſubjecit & armis
Hanc noſtram Martis dictam de nomine ſedem.
76. Mox *Burcardum* attexite parcum aurique tenacem
Randegenſem heroa, bonū œconomumq; ſenemq;,
Nullarum omnino ſtudioſum delitiarum:
Qui ſi forte diutius has moderatus habenas
Hoc ſtudio prudenti, conſilioque fuiſſet,
Tota eſſet ſedes pulchre inſtaurata, ſuisque
Reddita viribus. At Superi vetuere, nec iſtum
Amplius eſſe ſenem in terris vitaque volebant
Mortali; ſed eum cœlorum in templa vocantes,
Nectare & ambroſia deinceps ſtatuere fovendum.
Pro quo mox Landenbergenſem Heroa dederunt
77. *Hermannum*, nulli vitæ pietate ſecundum,

Qui

Qui ſeſe invalidum eſſe ſenem, minus atque gerendis
Tot rebus magnis cernens, & idoneum & aptum,
Cononicorum etiam non detrectante ſenatu
Conſtituit ſibi collegam, ſociumque laborum
Curarum atque gubernacli, *Lodovicum* animoſum
Magnificumque Heroa ex Friburgenſibus ortum 78.
Nobilibus, nihil inſidiarum, nil quoque fraudis
Omnino metuens. Sed quid non ambitioſa
Mens facit, & quò hominem non gloria ducit inanis?
Pontifici precibus Ludovicus muneribusque
Inſtat, & ut ſibi ſuccendendi copia fiat
Ac ſucceſſio confirmetur: & orat & urget
Perſvadetque Pericleæ ceu fulmine linguæ.
Hermannus cùm forte geri id ſentiret, acerbè
Sic tulit, ut vitam illo ipſo finiret in anno.
Hinc plane implacabilis eſt diſcordia nata,
Quæ fuit irreparabilium ſentina malorum,
Ad paupertatem quibus eſt deducta ſupremam
Iſta potens Eccleſia & illuſtriſſima ſedes.
Quò magis hoc equidem lætari tempore noſtro
Debemus, quòd conſiliis interfuit ipſis
Optima ſervatrix rerum Concordia, cum poſt
Sublatum morte Auguſtanæ in mœnibus urbis
Præſulem honoratum, concordi voce parentem
Canonici elegere novum, doctumque piumque
Metzlerum, cui vos hoc munere gratificari
Debetis Nymphæ. Sed pergo, audite puellæ
Cætera, quæ reſtant. Hermanno ad ovile vocato
Æthereum, Chriſtus cui præſidet, ipſe perennis
Salvator mundi: Lodovicus ſceptra pedumque
Urſurpat mitramque ſibi, ſed Canonicorum
Sciſſa cohors diverſa probat, diverſaque ſentit.
Pars Comitem eligit à Solis cui monte vetuſtum
Nomen erat, Dominum populis opibusque potentè:

Pars iſti electo contraria prorſus *Othoni*
Agnoſcit Dominum Ludovicum: ſic reſidentes
Diverſis iſti amabo locis, per mutua ſeſe
Vulnera mordicis linguæ & convitia ſcindunt.
Pars plebis Ludovico, aſt altera adhæſit Othoni,
Quæ diviſa, laceſſivit per mutua ſeſe
Verba, ad verbera dura ut res quandoque veniret.
Sic annis aliquot lapſis diſcordia non eſt
Facta minor, ſed jam radices egerat altas,
Atque videbatur ſecum tractura ruinam
Totius ingentem ſedis regionis &. Ergò
Romam adiit Ludovicus, ut omnem Pontificirem
Exponens imploret opem, cujus manifeſtâ
Voce ante electus confirmatusque fuiſſet.
Promiſſis qui ſtare volens mox fulmina ſcripta
Primum in Canonicos, deinde ipſum mittit Othonẽ.
Sic ultra citraque agitatis rebus, ab ipſa
Sede ſua Judex diri certaminis hujus,
Juſtus ut Dæus omnipotens, ſic ipſe diremit
Has lites, ut bella ita dira exempla peroſus.
Nam Romæ Ludovico ex his mortalibus oris
Excito, atque ibi magnificè pulchreque ſepulto
Tota gubernandæ ſedis jam ceſſit Othoni
Copia libertasque, decem qui præfuit annis,
Poſt has ſedatas turbas in pace quietus,
Ut prudenter ita utiliter, poſt fata Lodici.
Sed poſtquam eſt exemptus Otho mortalibus, ipſi
Pannonius quidam *Thomas* ſucceſſit ad iſtam
Sedem inſtaurandam, communi voce rogatus,
Omnium inductus Friderico à Cæſare, cujus
Ipſe prius fuit orator celeberrimus, atque
Cancellarius in cauſis ſublimibus orbis,
Et Doctor legum, eloquio ſuper æthera notus.
Quin etiam Divi præceptor Maximiliani,

Quem

Quem latio sermone loqui, quem scribere docto
Cum Cicerone etiam docuit clarissimus heros.
Iccirco ad talem juste exaltatus honorem.
Præfuit iste suæ sedi prudenter & apte
Quinque annis, tandem ascendens ad gaudia vitæ,
Quæ nunquam peritura, sed est dulcissima semper
Vita futura, imo & certissima mansio sanctis
In Christi pietate fideque, ex carcere carnis
Humanæ, ad superi translatis mœnia regni.
Mox est unanimi electus pietate venustus,
Ac verè procerus & illustrissimus heros,
Mæcenas doctorum hominum Landburgius *Hugo*: 81.
Instaurator opum, constantia pulchra, tuarum.
Præfuit ille quibus triginta & pluribus annis
Egregiè instaurans, & templa atque oppida & arces
Collapsas prius. Hunc contra, Constantia, primum
Seditiosa, quid hac quoque tempestate laboras
Adversus Dominum moliri grandia? quem tu
Natura mitem poteras placare precando.
Contrahe vela precor, Constantia, nec male sana
Irrue per præceps adeo in mala plurima, tandem
Excidium allatura tibi. Mitissimus heros
Metzlerus conceptam etiam in te Cæsaris iram
Placabit facile, modo cesses seditiosa
Esse, tuosque velis Dominos agnoscere tandem
Vos, Nymphæ, studiose istum depingite nobis
Tam generosum Heroa, & honestum atque omnibus æquum
Hugonem, qui bis præsul nunc vivit in astris,
Estque gravis Cœli ætherea præsul in aula
Cum Christo, cum patre Deo, cum Flamine sacro.
Huic superaddatur præsul *Balthazarus*, ortus 82.
Marcelli Waldkirchensis de paupere gente,
Sed doctissimus & tali dignissimus heros
Munere, præcipue charus Tibi, Carole Quinte:

Post

Post cujus celerem discessum, rursus ut ante
Præfuit undecimum in mensem Landburgius Hugo
Ante poli quàm siderei migraret in aulam.
83. Hunc rursus Comes est *Lupfenius* ille sequutus,
Quem merito Janum prudentem diceret ætas
Nostra, sed appellârat eum pia cura parentum
Imprimis placida, & mansveta voce Joannem,
Præfuit ille annis sex fido pectore, curas
Inter multiplices, quibus ipsam extollere sedem
Rursus in amissos jam conabatur honores
In priscumque decus, quod & effecisset, ubique
Wirtembergensis nisi Dux contrarius isset,
Omnia templa omnesq; Deos laceransq; cremansq;
Atque vetans, ne quis clero daret amplius illa,
Quæ debebantur clero, atque Antistiti honesto,
Inde resignandæ est inventa occasio sedis,
Cæsareo quam mandato suscepit habendam
Atque gubernandam venerandus & inclytus heros,
Multarum illustris linguarum cognitione,
Gente Sicambrorum, Wezano è stemmate natus,
Conspicuus meritis, doctrina & dexteritate
84. Ingenii mira: qui dictus & ipse *Joannes*,
Hoc nobis (veluti meministis) concidit anno
Cum magno nostro luctu, magnisque querelis:
Imperii charus Rectoribus omnibus, ipsi
Imprimis Divo Augusto, qui deflet amicum
Præcipuum subitò ereptum sibi funere, cujus
Multo vitam argento mercaretur & auro.
Hæc sunt, filiolæ charæ, quæ intexere pulchro
Vos cupio artifici tela dextraque tapeto:
85. Sed nec *Christophorum Metzlerum*, Heroa disertum
Atque pium vos pœniteat subjungere: quò nunc
Præsule tota equidem provincia nostra triumphat,
Rhetica quem genuit Feldkirchi ad mœnia mater

Inter

Inter odoriferos flores laurumque virentem.
Ite igitur nunc, ite & adornate omnia recte,
Et perfecta ad me deferte: ita conveniemus
Unanimes cum munere nostro in præsulis illa *Merseburgi.*
Arce novi, quæ Martis adhuc cognomine gaudet.
Illic cætera dexterius faciemus, & apto
Ordine cuncta, ipso coram almo Antistite, qui nos
Audiet & placidâ semper pietate fovebit.
Hæc Metzlere, hæc sunt, præsul doctissime, amica *Epilogus per Apostrophen.*
Colloquia Acronii senioris cum reverendis
Natabus pulchrisque suis, gratantis honori
Huic, Princeps reverende tuo, quem numina Cœli
Ut faveant tibi sacra diu, teque omnibus ornent
Fortunis & prosperitatibus, incolumemque
Te servare diu nobis dignentur, amanter
Oremus Patremque Deum, Gnatumque perennem
Atque ab utroque Deo procedens Numen, ab alto
Æthere quod cunctis est consolatio sanctis.
Interim & hoc schediasma meum, Doctissime princeps,
Accipe clementer, quod si non invenis illic
Thura Sabæa tuas posita atque incensa per aras:
Crede preces tamen esse haud falso è corde profectas.
Has quia Cœlorum contemnunt Numina nusquam,
Tu numen quoque facte preces contemnere noli,
Ad tua quas ferimus castis altaria palmis.
Sic spudasma aliquando bonum (si vixero) de te
De meritisque tuis, duce Phœbo & Pallade, condam
Quod te, quodque tuos venturis prædicet annis.

Renato Henero, Lindavienſi, medicinarum ſtudioſo juveni in Academia Tubingenſi, Sal.

Lætitiam Christi meritis & numine partam,
Præter & hunc ipsum quam dare nemo potest:

Ac ceſſaturam nulla unquam ætate ſalutem,
Quæ nihil admixtum peſtilitatis habet.
Quam coram viva mallem tibi dicere voce,
Ingenuo dextris fœdere utrinque datis.
Literæ, longa mansio. Hanc ego Pirithous tibi, mi Chariſſime Theſeu,
Per longas iſtas mitto, Renate manus.
Non ab Hyperboreis Moſcorum finibus, ad quos
Me licet accitum noluit ire Deus.
Nec de Piniferi ſublimi vertice Montis,
A quo non procul eſt patria chara mihi:
Ex Lindavia. Sed Doctoris Heneri è ſacris ædibus, atque
Ex dulci patria chare Renate tua:
Quàm Lacus Acronius tumidis circumſonat undis,
Ac pulchre quovis munit ab hoſte truci.
Sed quæris fortaſſe, quis has me ventus ad oras
Appulerit veſtras, dum fera durat hiems?
Non equidem ludi pueriles ambio faſces,
Nec tenet hæc animum vana cupido meum.
Gaudeat his alius (facili me corde ferente)
Delitiis, fato qui meliore caret.
Ipſe valedixi dudum, dicamque perenne
Talibus ærumnis pulveribuſque vale.
Hiſtoriæ ſtudium, & nuper liber æditus, & quod
Nunc de Præſulibus ſcribere conor opus:
Id dulci è patria per Rheni totius omnes
Præclaras urbes me rapit atque trahit.
Ille vetuſtatis celebrandæ amor altus, amicum
Huc ab Agrippina pertulit urbe tuum.
à Colonia. Jamque tenes cauſamque viæ adventuſque inopini
Ad pulchræ Philyres mœnia læta, mei:
Nunc quid in hoc curſu præclarum viderim ubiq;,
Accipe, jucundum id nam ibi forſan erit.
Tu quoque (ſi bene te novi) vis multa videre:
Multorum mores, oppida, regna, lacus.

Ergo

Ergò hoc rurſus iter mecum decurre, Renate,
Quod ſex decurſum eſt manſibus omne mihi.
Sub finem Auguſti, in patria Cunigunde relicto — *Anno Chriſti 1549.*
Conjuge, cum famulo Norica caſtra peto.
Inde per Herbipolim, perque omnia Francidos oræ
Oppida, Francfurtum venimus uſque citi.
Herbipoli excepit me ſplendide Epiſcopus, atque
Convivam menſæ juſſit adeſſe ſuæ.
Ipſe Moguntinus Cinerum quoque Præſul in urbe — *Aſchaffenburgi.*
Eſt multa amplexus me bonitate, meus.
Præſul uterque à me cantatus carmine, in orbem
Vulgato, clemens munera larga dedit.
Francfurti navim conſcendens, lætior inde — *Coloniam*
Uſque ad Agrippinæ devehor urbis opes.
In curſu hoc multas præclaras vidimus urbes, — *Meincz.*
Nempe Moguntinæ pulchra Lycea ſcholæ,
Murum à turri ſita non procul ardua Bingæ — *Bingen.*
Mœnia, quæ Druſo fata tulere Duci:
Namque ibi lapſus equo, cùm crus fregiſſet, in armis
Occubuit natus, Livia pulchra, tuus.
Cujus adhuc hodie monumenta & buſta videntur, — *Bacharach*
Quo Mœnus Rheno confluit ipſe loco. — *Cub.*
Poſt Bingam, Bacchi & Cuborum vidimus ipſos — *Drechshuſen.*
Vitiferos colle parte ab utraque ſitos.
Trajanique domum, Caſtrum Goariſque vetuſtum, — *S. Guver.*
Et Lani, Chattos prætereuntis, aquas. — *Oberweſel.*
Veſaliamque bonæ Mammææ corpus habentem: — *Poppart.*
Mater Alexandri Cæſaris illa fuit. — *Khunigs*
Quin Bodebrigam etiam & tectum prænobile Regú — *Sal unter dem Peternackher.*
Sub Sancti Petri divite monte ſitum.
Quin populoſam urbem, quæ à Rheni altiq; Moſellæ — *Coblenz.*
Confluxu nomen fertur habere ſuum.
E cujus regione eſt Arx fortiſſima in alto — *Ehrempreitſtein.*
Monte ſita: hæc magnum nunc quoque numen alit,

Pontificem Trevirorum, quo clementior alter
Est Musis toto vix etiam orbe bonis:
Ille meam argento crumenam farsit & auro,
Ad Treverimque dedit publica scripta suam.
Jussit & ostendi cunctas ibi Bibliothecas,
Quicquid & antiquum urbs illa celebris habet.
Namque Moguntinis ut scripsi Chronica nuper
De priscis patribus, Præsulibusque viris:
Sic Ubios, sic & Treverenses post breve tempus
Ex confluentibus Andernach. Pontifices calamo non moriente canam.
Ex Trevirorum urbe á populo, quæ Confluа fertur
Per Rhenum incœptam currere pergo viam.
Atque Andernaci præclaræ & nobilis urbis
Ardua navigio mœnia prætereo.
Bonna. Inde suas nobis turres ostendit opesque,
Templa Deosque omnes Bonna superba suos.
Colonia. Quâ fugiente retro mox pulchra Colonia nobis
Sese aperit, priscis tota referta Diis.
Hujus ego ornamenta ibi si dicere vellem,
Tecta, domos, arces, mœnia, templa, Scholam:
Vitiferos hortos intra urbem, ad sidera turres
Eductas, doctos magnanimosque viros:
Et vix credibili forma vultuque puellas
Præstantes, quas tu dixeris esse Deas,
Tempera deficerent quàm res prius: Ilias atque
Instituenda mihi jam nova, Henere, foret.
Si tamen hanc vis totam in imagine cernere parva.
Perlege quæso altâ mente poëma pium:
Hermannus Bruschius. Quo celebravit eam præclaram *Bruschius* urbem,
Ingens occiduæ gloria Saxoniæ.
Huic super adde, tuus quæ mox quoq; Bruschius edet
De priscis templis omnibus atque Scholis:
Et de Præsulibus, quos unquam Teutonis ora
Illustres habuit patria nostra viros.

Hac

Hac non urbe procul, reverendi vidimus ora
Præsulis Hermanni, qui decus urbis erat.
Nunc ob Pontificum mutatam relligionem
Pulsus, fert casum fortiter ipse suum.
Ipse equidem clemens studiosis omnibus, Urbs quos
Ornavit Musis Vitenoberga bonis:
Et me colloquio non tantum, sed quoque Mensa
Dignatus miro est vautor amore sua.
Post Ubios tandem ad Trevirorum venimus urbem,
Inde & Augustam magnificamque Metin.
Centum hæ templa vetusta, antiqua Palatia Regum
Exhibuere oculis conspicienda meis.
Omnia regali constructa, ornataque sumtu
Utque antiqua, bonis sic quoque plena libris.
Inde & Vangionum, Nemetumque accessimus urbes,
Tangentesque harum Sidera pene domos.
Heidelberga mihi est & eodem hoc tempore visa:
Alluit hanc etiam Neccarus ille scholam,
Qui præterfluit ingeniosæ docta Tubingæ
Mœnia, quondam etiam mœnia chara mihi.
O quoties illic te, chare Renate, videre
Percupii, primum patris amore tui:
Tum quòd discipulus nunquam mihi contigit usus,
Qui te vel studio, aut vicerit ingenio.
Qui tanta amplexus fuerit pietate magistrum,
Et tam non ficta relligione suum.
Hinc ego non falso te prosequor ipse favore,
Quam mihi chara diu vita superstes erit.
Tam veneranda diu pro te quoque fata precabor,
Ut faveant cœptis omnibus illa tuis.
Ex Heidelberga & Spirensis mœnibus urbis
Mox Argentinæ ad mœnia præpes eo.
Hac ego Margariden (quam conjugis esse sororem
Scis) atque affinem reperi in urbe meum,

Hermannus à Weda, Archiepiscopus Colonienſis.

Trier.
Mez.

Worms.
Speir. Heidelberg.
Tubingen.

Strasburg.

Innumerosque bonos fautores atque ſodales
Tempora cum quibus hæc læta fuere mihi.

Elſas Zabern.
Poſtea & Alſaticas acceſſi ex urbe Tabernas,
Præſul ubi clemens aureo dona dedit.
Ille coronavit loculum non ære, Coronis
Sed fulvis, quales Gallia dives habet.

Baſel.
Hinc Baſilæa mihi felici ſidere viſa eſt,
Urbs peramæna bonis atque referta viris.
Hîc Hervagius, ipſe Frobenius atque Oporinus
Sæpe invitarunt me comitemque meum:
Munſterusque meus, qui nunc ſua ſcripta recudit:
Quæ partes omnes totius Orbis habent.

Schaffhauſen.
Tantem cum læto me Schaffhuſiana corona
Hoſpitio accepit rurſus, ut ante, ſuo:

Cellam unterſee.
Per Cellam cœpi per & Uberlingica rura
Perque Marisburgum ſumere rurſus iter.

Uberling. Morſenburg.
Buchornam verſus, conſcenſis navibus, unde
Ad patriæ veni dulcia tecta tuæ:

Buchorn. Lindaw.
Ad pulchram Philyren, quâ non præſtantior ulla
Accolit Acronium nympha profecto Lacum.

Pfeffer-lin.
Illic non Piperis tectum deformis avarum,
Sed patris ſubii limina ſacra tui.
Hoc abſente parens tua quàm tractaverit omni
Me pietate, brevis charta referre nequit.
Mox tantem ancilla miſſa accerſivit & ipſum,
Qui me non ſecus ac numen habebat ovans.
Vixi cum genitore tuo, cum matre pudica
Per totos Soles, chare Renate, decem.

Chur.
Nam famulum Andream Ræthorum miſeram ad urbem,
Pontificemque novum, CHURA vetuſta, tuum.

Thettnang. oppidum Comitum Montis Fortis.
Ergo expectandum tantiſper, ut ille rediret:
Omnibus effectis rebus, in urbe fuit.
Interea cum patre tuo Thettnangion, ipſos
Sum læta ad Comites mente profectus eques,

Qui

Qui nos excepere omni clementer honore,
Munus & admoniti à patre dedere mihi.
Sæpe etiam Domino cum Pappa, cumque Erythræo,
Atque aliis doctis ex imiisque viris,
Franciſco cum Welſero convivia multæ
Traduxi in noctis tempora lætus ego.
Sic totam ſeriemque viæ curſusque ita longi
Hac ætate mei, chare Renate, tenes.
Jam recta Auguſtam, jam recta ad Caſtra redibo — *Augſpurg.*
Norica & ad patriam Rege favente Deo. — *Nürnberg.*
Illic Pontificum vitas, & nomina priſca
Mondabo æternis impiger ipſe libris:
Et cœptum abſolvam Chriſto aſpirante laborem,
Qui vixiſſe olim me quoque, teſtis erit.
Tu veluti facis in medicorum perge, Renate,
Doctrinis ſacris utilibusque libris.
Perge ut cœpiſti, cœpiſti at ſtrenuus atque
Impiger: is quæſo tempus in omne mane.
Sic quæ grata tuum nunc patria tota Parentem,
Ut magnum numen, diligit atque colit:
Hæc (ſi concepta ſpe non fruſtraberis illam)
Auſpicio quoque te non leviore colet.
Macte igitur virtute iſtac, & verus Henerus
Filius & claro tam patre dignus eris.
Macte, Renate, & præceptorem ad ſidera notum — *D. Leonhardus Fuchſius.*
(Rector enim eſt ſtudiis Fuchſius ille tuis)
Maximus ingenio Leonhardus Fuchſius, olim
Ingenii fautor ſummus & ipſe mei,
Hunc inquam ſequere, hunc imitare, effinge, licetq;
Vinci non queat, at vincere quæſo ſtude.
Hunc tu non ſecus ac magnum venerare Galenum: — *D. Jacobus Scheckius.*
Proximus huic tibi ſit Scheckius ille meus.
Scheckius ætatis noſtræ Plato vel Stagirites,
Aut iſtis ſi quid doctius eſſe poteſt.

His

His ex me placido si dixeris ore salutem,
Exime gratum feceris ipse mihi.

Idyllion de VVasserburgo.

Est locus, Acronii sed dextro in littore Ponti,
Dictus ab immensa undarum ipsa mole & abysso
Voce Hydropyrgon Græca castrum undique fractum
Hugonis Comitis de forti Montæ, Moreæ
Principis ac Domini in Tettnango, & ad inclyta Rupis
Ruffæ castra & in Argoviana principis arce.
Castrum inquam vastatum olim cum divite pago
Nonnarum prope cornu, circumquaque Lyæo
Vestitum: poteras magis apta dicere voce
Bachipyrgon, ita est locus undique vitifer & tam
Procreat omnino generosi munera vini.
Abbatissæ Lindaviensis. Temporibus priscis fuit hæc arx inclyta sedes
Sacratæ Dominæ, quæ Dux, Regina parensque
Virginei cætus erat ad Lindavica nostro
Tempore (dum locus est mutatus) templa sedentis.
Nunnenhorn. Nam tum virgineus chorus hic habitabat eo ipso,
Silvestri umbrosoque loco, Nonnhornia quo nunc
Nunnenbach. Villa jacet: medius vel qui est pagum inter utrumque,
Quorum alter Nonnarum cornu dicitur, alter
Fertur earundem Germano nomine rivus.
In insulam Acronianã. Ac cum sacra Domus tandem monialium in ipsum
Vastum esset translata Lacũ, in quo nunc quoq; pulchre
Cernitur esse sita, immenso circundata Ponto:
Contiguisque ornata & multis ædibus altis;
Turribus ac muro infestos arcentibus hostes:
Tum fuit hæc arx cœnobii præstantibus ipsis
Præfectis domus atque habitatio, & optima sedes,
Donec eam Dominus quidam Kiselegkius emtam
A Domina Abbatissa ad se pertraxit: is ipse
Quingentis Marcis, elapsis pluribus annis,

Vendi-

Vendidit Ulrico & Marquardo rurſus eandem,
Schellenbergenſi prognatis gente vetuſta:
Cum poſt mille annos quoque ducenteſimus iret
Octogeſimus & Chriſti de Virgine nati.
Hi luſtris cum jam ter quinque atque inſuper annis
Pene tribus ſedem hac habuiſſent nobili in arce
Pulchre illuſtrata atque aucta: tandem imbrifer annus
Venit fatalisque dies, Arcique Larique
Omnia ſecum extrema ferens. Nam publicus hoſtis
Imperii qui vicinis erat urbibus, illic
Hoſpitio exceptus, populos incendit ad arma
Sumenda in gentem ſævi iſtius hoſtis alumnam.
Convenere igitur, quas tota Suëvia Sacri
Imperii claras urbes habet, & numeroſo
Milite collecto, invadunt & culmine ab alto
Totam dejiciunt arcem, quæ pluribus annis
Ornamentum ingens fuerat terræque lacusque.
Nunc arcis tantum veſtigia pauca ſuperſunt,
Disjecti muri, ſtansque alta in ſidera turris
Quadrato è ſaxo ſuperas educta ſub auras,
Semi hodie lacera & tractura aliquando ruinam
Ingentem ſecum. Sic deſtruit omnia tempus,
Quod nec marmoribus, nec ſaxis parcere novit.
Pagus adhuc pulcro cum templo & turre ſub aſtra
Educta, vaſtatæ olim arci proximus adſtat.
Ille ferax non eſt tantum agricolarum, & eorum,
Qui rura exercent, & vites ordine ponunt:
Sed doctorum etiam ingenioſorumque virorum,
Quos inter primas merito tenet atque tenebit
Hugonis Comitis de Forti Monte Machaon,
Janus Henerus in Acroniana Phyſicus urbe,
Vicina Philyren quam dixit arbore primus

Hydropirgum vaſtatur ab Imperii Civitatibus anno 1297.

Doctor Joannes Henerus.

Conditor. Hunc Phœbi ſedes præclara Vienna
Excoluit juvenem, & Friburgum nobile, at ipſa
Doctorem Anglopolis fecit: Lindavia Civem
Accepit, circumſita tota provincia numen
Immortale velut colit & veneratur & ornat.
Rodolphus Agricola Junior Poeta Laureatus.
Proximus huic fuit olim junior ipſe Rodolphus
Agricola, eximius vates, quem fronde decorum
Daphnæa fecit ter Maximus Aemilianus
Cæſar, & occiduis & Eois notus in oris.
Joannes Velocianus.
Tertius eſt Janus, Velox cognomine dictus,
Ingenio nulli, nulli pietate ſecundus,
Eloquio præſtans atque omnis cognitione
Hiſtoriæ clarus, tuus, ô Tettnangia, fidus
Præfectus, Comitum quin Conſiliarius aulæ,
Omnibus egregiis pollens virtutibus heros.

Epitaphion Annæ Mariæ & Euphroſynæ, filiabus Joannis Danmülleri junioris P.

Hîc cubat Anna Maria, in Chriſto principe Cœli:
Nondum bima, ſoror parvulaque Euphroſyne.
Quas dulces natas ego Danmullerus Jannes
Junior amiſi, morte adimente mihi.
At non amiſi. Nam ſunt nova numina Cœli
Factæ, atque Angelici pars precioſa chori.
Corpora ſola ſub hac requieſcunt molliter urna:
Ora volant animæ principis ante ſui.
Qui quondam mihi reddet eas ſine fine videndas,
Quando erit in Cœlis manſio lecta mihi.

De

De oppido Thurſenreutano Idyllion Heroicum, in Junio Anni 1550. Thurſenreuti ſcriptum.

Inter ut eſt geminas Conſtantia pulchra paludes
Ingentes ſita, Conſtantino à Cæſare quondam
Condita: Rhenus ubi in Rhætorum montibus ortus
Acronium ſcindit medium, atque allabitur urbi
Inter utrumque ſitæ: Venetumque peragrat, & inde
Helvetios læva, dextra contingit Hegovos
(Regna Suëvorum) Montes: Ita Thurſonis ipſum
Exciſum nemus, eſt lacubus confine duobus:
Quos inter poſuere domos & mœnia priſci
Linigeræ Cereris Proceres. Nabus ortus in ipſis
Piniferi montis ſcopulis ſublimibus, Horum
Majorem ſe per medium leni agmine voluit:
Inde Palatinasque urbes poſtquam alluit, Iſtri
Velivoli tumidus ſocias excurrit in undas.
Atque ut numen habet clarum urbs Conſtantia, quod ſe
Perpetuum Lacus optat uterque & ſperat habere:
Sic nemus exciſum hoc longævi Thurſonis iſto
Tempore numen habet, quo non illuſtrius ullum
Ante Nariſcorum huic obſcuræ contigit oræ:
Scilicet Henricum Wezana è ſtirpe Rodolphum
Sacrarum legum, jurisque æquique peritum,
Conſiliisque gravem Doctorem. Quo Duce nunc ſe
Erigit in ſuperas iterum Waldſaſſion auras,
Floret &, à priſcis ut nunquam floruit annis.
DI faxint, ut numen id huic præluceat oræ
Immortale diu, vivat valeatque perenne!

Comparatio Conſtantienſis urbis & oppidi Thurſenreutenſis.

Reut Germanis, latine exciſum eſt nemus.

Comites à Liningen.

Nabus fluvius.

Annus nuptiarum Dominæ Florentiæ à Weza in versibus.

VVezanæ stIrpIs FLorentIa nVpsIt HeLIæ,
RabenstelnerO qVI patre natVs erat:
ConIVgII serVator eIs fœLICIa Donet
SeCLa, Det & sponsIs prospera fata bonIs.

In Lauream coronam suam Bruschius.

Si me non Pietas, Virtus, Doctrina coronant:
Ecquid proderit hæc nexa Corona mihi?
Quæ penes eximia præstantes laude profecto
(Si desint hæc) non unius assis erit.

Errata ita corrigenda.

Pag. 30. Brabantiæ. p. 31. Pyrminium. 37. Historiæ dominum. p. 74. Christianus. ibid. Catalogum. p. 114. Xenodochia. p. 164. lege. 160. p. 173. corrige, num. 1094. p. 268. Præfuit. p. 291. ad Abbatiam. p. 294. Longitudine. p. 299. laudabiliter. p. 320. Dedicata est S. Triadi. p. 351. piè & sanctè. p. 352. quas includit. Ibid. Monialium a. p. p. 363. honorifico. p. 375. Ita ut uno. p. 376. Nellingenses. p. 420. Catastrophen. p. 424. Tyrannus. p. 508. levatam. p. 510. antistitis. p. 514. ligata. p. 528. corrige, num. 1334. p. 530. in margine lege, Seckhingen. p. 531. aliquot discipulis. p. 568. Hæc fere. p. 573. dele, mihi. p. 583. Ignotus est. p. 593. Arsit & in, &c. p. 606. Illic perpetua. p. 608. Cultor Apollineæ. p. 609. Cuncq; hac. ibid. Patria grata. ibid. Orcíq; barathrum. p. 610. HENRICUS QUINTUS. ibid. Præcipue. p. 611. Fecit & ominibus. p. 613. quæ montis bifidi. p. 616. Nec finit ille quidem. Ibid. dura pericla finit. p. 617. dolos, fraudes. p. 620. Illustrabit eum. p. 623. apud æternum patrem. p. 624. charissime Blasi. p. 628. Utenburra. p. 629. Regnante Carolo. Ibid. (quod abest.) p. 637. accesit. p. 639. in Latiisq; libris. p. 641. construens. p. 643. ex hoste triumphos. p. 644. Ei in Waldseeh. Ibid. Cæsar & illi. p. 649. Conventum collocavit. p. 657. Inconsolatum. p. 662. Vexillumq;. 663. Contendendum. p. 669. Hazigæ fundatricis. Ibid. Tumulus, sub quo. p. 673. Valetudinarium. p. 680. Et sua retia. p. 682. Non Juppiter ille. p. 689. Ignavaq; Viro. p. 690. Commemoro, tu me. p. 692. Monumenta Virorum. p. 696. Canonicus Basilæa tuus. p. 701. Succedendi copia. p. 702. Mordacis linguæ. p. 706. nam Tibi forsan erit. p. 707. Mensibus o. m. Ibid. relicta. p. 709. Fautor amore. p. 710. Tandem cum Iato. p. 711. cum Pappo. p. 712. de sorti Monte.

CATA-

CATALOGUS MONASTERIORUM,

quæ de industria Bruschius recensuit.

A.

AHusium. 1
Alba Augia Brigantina. 10
Alba Augia Narisorum. 13
Alba Augia Sueviæ. 15
Album Castrum. 18
Andlau. 24
Andlow. 24
Anguli Cœnobium in monte sancto. 388
Anhausen. 127
Anhusium. 27
Augia Dives. 30

B.

Banthum, vulgo Bantz. 52
Beatæ Virginis Mariæ Lützelburgense. 56
Bechium. 388
Berg. 349
Biblingen. 76
Birckenfeld. 364
Bona Cella. 60
Blaubewern. 69
Bucau. 62
Buchaugia vel Buchovia. 62
Burrhonium. 69
Byblingum. 76

C.

Caczesiense. 134
Campidona. 89
Cazienſe. 134
Castelium. 120
Castell. 120
S. Catharinæ Augustanum. 483
S. Catharinæ Noribergense. 398
Cæsarea. 80
Cœli Corona. 131
Cella Dei Superior. 125
Cella Monachorum. 129
Cella D. Pantaleonis in Inhofen. 576
Cellæ Inferioris. 128
Centiphanum Trevirense. 451
Cervorum Vallis. 12
S. Claræ Bambergense. 492
S. Claræ Curense. 388
S. Claræ Epternacense. 521
S. Claræ Noribergense. 390
Coxiense. 134
S. Crucis Augustanum. 400
S. Crucis in Donawerda. 403
S. Crucis Vallis. 404

D.

Dominarum Aurachium. 137
Dominarum Monasterium. 140
S. Dominici sepulchri Bambergense. 492

E.

Ebracum, vulgo Ebrach. 140
Edelstetum. 160

Egidianum Noribergense. 169
Eichenbrunnum, vulgo Eichenbrunn. 162
Einsidlen. 266
Elchingum, vulgo Elchingen. 164
Elephanciacum. 171
Elwangen. 171
Ethmünster. 129
Everhardica Clusa, vulgo Everhards-Klausen. 177

F.

Fabarium. 180
Fons Salutis. 191
Franciscanorum Curiense. 389
Franciscanorum Noribergense. 399
Frauen Aurach. 137
Frauenmünster zu Zürch. 140
Fulda. 199

G.

S. Galli cœnobium, vel Sangallense. 407
Gandersheimium. 233
S. Georgii Augustanum. 429
Gnadenberg. 235
Gottes Zell. 125
Gratiæ Mons. 235
Gute Zell. 60

H.

Heckenbachium. 239
Heerbertingum. 7
Heiligen Creutztal. 404
Heilsbrunn. 191
Himmelkron. 131
Heppach. 239
Heremitarum in Helvetiis cœnobium. 266
Heremitarum in Narcisis cœnobium. 242
Herriedense. 176
Hohenwart. 543
Horreum Trevirense. 271

I.

Inferius Monasterium sub Altitona. 555
Isnense. 274
Juvavience. 276

K.

Kaisersheim. 80
Kempten. 89
Khunigshoven. 179
Kiebach. 566
Kitzingense Cœnobium. 278
Königsbrunn. 371

L.

Lanckhenheimium, vel Lanegkheimium. 280
Lewentalium. 580
Lindavience. 285
S. Lucii. 432

M.

S. Magni Faucense. 434
Mariani Lapidis. 371
S. Mariæ ad Martyres Trevericum cœnobium. 290
S. Mariæ Mons in Poppardt. 436
S. Mariæ Wormacience. 292
Martalense. 294
S. Martini Colonience. 437
S. Martini Longivillarience. 475
S. Martini Treverense. 439
S. Matthiæ Treverense. 443
Mauermünster. 300

Maulbrunn. 330
Mauri Monasterium. 300
S. Mauricii Tholegiense. 452
S. Maximini Treverense. 454
Mererow. 10
Minderow. 15
S. Michaelis Campus. 306
S. Michaelis Wengense. 463
Michelsfeld. 306
Monachorum Aurachium. 140
Mons Monachorum. 312
Murbach. 334
Murbachium, vel Mortwegium. 334
Mulbrunnum. 330
Münchsberg. 312
Münchsroth. 379

N.

S. Naboris monast. 473
Neresheimium. 337
Neuburgense. 342
Neunkirchium. 14
Neu Stifft zu Freysingen. 658
Novæ Cellæ Frisingense. 658
Nunnenberg zu Salzburg. 276

O.

Ochsenhusium, vulgo Ochsenhausen. 346
S. Odiliæ Altitonense. 557
Oeningum, vulgo Oeningen. 348
Omnium Sanctorum parochiale templum Ulmense, & ejusdem urbis summa basilica. 469

P.

Petri domus. 356
Petri Salisburgense. 475
Pergenium, vel Bergense. 349
Petershausen. 356
Pfeffers. 180
Pildenreitum. 361
Pillenreuth. 361
Pirckenfeldum. 364
Pontis Leonini. 450
Poundum. 366
Prædicatorum Constancience. 360

R.

Rebdorffum, vulgo Rebdorf. 370
Regii Fontis. 371
Reichenow. 30
Rietfeldum. 366
Rogkenburgum, vulgo Rockenburg. 377
Rostalense Templum in agro Norico. 199
Rotum. 379

S.

Salomonis Villa, germ. Salmeinsweiler. 382
Schlüsselhovium. 522
Schussenrieth. 537
Schyrum, sive Schyrense. 667
Schwartzachiú, germ. Schwartzach. 524
Secanis, germ. Seckhingen. 530
Seflingum, germ. Seflingen. 535
Soretum. 537
Spainshartum, germ. Spainshardt. 540
S. Spiritus Lützelburgense. 59
S. Stephani Augustanum. 481
Summa Basilica Tigurina. 143
Summutorium. 543

T.

S. Theodori Bambergense. 490

Thier-

Thierhauptum. 546
Truttenhusium. 552
Tuicienſe. 563

V.

Vaccarum rivus. 566
S. Udalrici Auguſtanum. 493
Vinearum. 568
Unlingenium ad Bruſſium montem. 300
Ursbergum. 595
Urſinium. 582
Urſperingum. 620
S. Urſulæ Auguſtanum. 490
Utenburra. 628
Uthonis Villa. 69.300

W.

S. Walburgis Aiſtetenſe. 508
Waldſaſſen. 242
Waldſeehe. 641
Waſſerſchapffen. 404
Weichenſtephanum. 647
Weingarten. 568
Wettenhuſium. 645
Weiſſenaw in Nordgaw. 13
Weiſſenburg. 18
S. Willibrordi Epternacenſe. 510
Wylerium ad Scaturigines. 626

Z.

Zuifaltum, ſive Zuifaltaha. 660

INDEX LOCORUM.

A.

Abenberg. 197
Abtswerd. 324
Ala. 372
Albek. 466
Alberſchwend. 11
Aldersbach. 145
Alendorf. 17
Alleshus. 298
Alsdorf. 516
Altenburg. 221
Altenhof. 523
Altenholfeld. 319
Altorph. 235.568
Avalderbach. 194
Auerbach. 306
Auffkirchen. 404
Aychenloch. 666

B.

Baiswill. 587
Begentz. 308
Berching. 356
Berenſtadt. 165
Bereſchich. 315
Berg. 349.514.
Bernhardsreut. 308
Bertlingen. 191
Biberach. 62.239.346
Biberbach. 548
Bildhus. 145
Bimbach. 219.221
Birche. 308
Birckenfeld. 364
Biſchofsheim. 216
Blankwald. 220
Bolheim. 5

Bomgarten. 26
Bopfingen. 341
Borſtal. 207
Bremach. 378
Bretta. 330
Brettenheim. 332
Bridenbach. 220
Briſenſtad. 155
Brug. 14
Bruckenau. 219
Bruren. 182
Buch. 308
Buchenbach. 308
Buchhorn. 18.360.576
Burgau. 6
Burgberg. 346
Burghauſen. 676
Burgwindheim. 156
Burnium. 516
Buſs. 299

C.

CAſtelberg. 120
Cervorum vallis. 12
Chodau. 265
Cimberberg. 308
Clarona. 531
Coburg. 283
Cocherthal. 374
Conſtantia. 30
Cronach. 284
Culmbach. 131
Curchendorf. 308

D.

DAlfingen. 165
Dekendorf. 361
Deurſtad. 138
Dillingen. 402
Diſperg. 242
Doberſe. 319
Donawerd. 403
Dornsberg. 548
Dramingbach. 188
Dregensreut. 319
Dunkelsbuhl. 29.347

E.

EBelsbach. 326
Ebern. 285
Ebermanſtad. 311
Ebersberg. 227.308
Eberſtet. 666
Ebmut. 262
Ebrau. 144
Edelwalſtatt. 666
Effenheimmünſter. 32
Egisheim. 335
Egra. 151
Ehenheim. 336.557
Ehingen. 294.620
Ehrenreut. 322
Eiſenbach. 228
Ekenweiher. 330
Elnbogen. 252
Elgersheim. 156
Eyſenhoſen. 668
Epternach. 511
Eppendorf. 357
Ereskirchen. 582
Erlang. 137
Ertall. 222
Eſch. 177
Eſchenbach. 219.540
Etzelskirchen. 315

E.

FAlkenberg. 251
Falkenburg. 257
Federſee 62

Feldkirch. 369
Flos. 254
Forchheim. 170
Frankenalte. 308
Frankenstein. 220.222
Freidenburg. 371
Friederichsreut. 308
Fuenheim. 301
Fullebach. 319
Furstenetz. 222

G.

GAmund. 29
Gandersheim. 233
Gefres. 131
Geilhof. 367
Gendrich. 88
Gensthor. 535
Gersteten. 5
Gerstring. 222
Gestingshausen. 319
Gichling. 516
Giengen. 8.372
Gimaschheim. 315
Godesendorf. 308
Goldbach. 346
Gottsfeld. 278
Gotzemarsberg. 308
Graisbach. 88.254.345
Grefenreinfeld. 530
Grefenthal. 284
Gregenhof. 499
Gronenfurt. 102
Grube. 319
Grun. 308
Gruntanne. 319
Gukenberg. 431
Gunsburg. 164
Gutelstein. 662

H.

HAgelsbrunn. 191
Hagenach 308
Haing. 660
Hamelberg. 400
Hamegast. 308
Hardek. 254.257
Haselstein. 213.216.220
Hausen. 222
Heidingsfeld. 262.322
Heilbrunn. 145
Heimburg. 235
Heidelfingen. 3
Helfenrode. 324
Helisatia. 24
Henfenfeld. 308
Heerlach. 541
Heerbertingen. 7
Hersbruk. 350
Heroltsreut. 308
Herpersdorf. 362
Hertonis mons, der alte Berg. 390
Heuppach. 372
Hirsberg. 345
Hochstæd. 338.375.483.85
Hochstein. 260
Hohenburg. 346
Hohentann. 117.254
Hohenwart. 543
Holnstein. 151
Hophenalte. 308
Horbeltshofen. 585
Hornburg. 31
Hünfeld. 222.224.228
Huvenstein. 308

I.

IGelsreut. 308
Illergovia. 89
Inlantz. 136

Jog-

Jogberg. 219
Ipshoven. 156
Isna. 274
Justisfeld. 139

K.

KAino. 546
Kaiserslautern. 334
Kaufburn. 582
Kemmat. 262. 540
Kelheim. 655
Kendelbach. 12
Kentzing. 129
Kirchen. 666
Kirchendorf. 308
Kilzenbühl. 545
Kitzing. 278
Kolergrun. 244
Konigshoven. 177
Kornburg. 361
Kralugk. 219
Kühbach. 566

L.

LAndsberg. 402
Landshof. 315
Landshut. 676
Lankenheim. 145
Laufenburg. 534
Lauingen. 344
Leipheim. 164
Lengenfeld. 508
Lesen. 319
Leutkirch. 117
Lichtenfels. 52. 55
Liebenstein. 251. 257
Linberg. 257
Lindau. 285
Litomeritz. 248
Lomaringen. 499
Lorch. 63
Lucerna. 336
Lutterbach. 220
Luther. 219
Lutzenbach. 308
Lycostoma. 80

M.

MAgkenzell. 219
Majenfeld. 188
Malkes. 219
Mansbach. 221
Marchthal. 297
Marlejen. 301
Martorf. 17. 539
Masbach. 319
Maselheim. 239
Megingaudenhausen. 524
Meinstokheim. 154
Meisik. 498
Meckmühl. 334
Memminga. 102. 346
Menching. 505
Mengen. 539
Mergelstäben. 8
Meringen. 260
Merndorf. 138
Menssenthal. 15
Michelsfeld. 308
Mimmenshus. 387
Mindelheim. 595. 638
Mistelfeld. 281
Mittelweid. 252
Mochenthal. 667
Monheim. 344
Monthabur. 447
Moring. 345
Morsenburg. 11
Mortweg. 334
Mugler. 219
Mülsenburg. 213

Munderking. 66
Muttershofen. 402

N.

NAbor. 473
Neapolis, Neustadt. 366
Neidek. 522
Neydlingen. 25
Nepomungum. 145
Neuburg. 342.676
Neugenhoven. 219
Neuhaus. 251
Neumark. 235
Neunkirch. 14
Neuses. 323
Neustadt. 334
Niddersbrugg. 250
Nitershausen. 221
Nordgau. 350
Nordlingen. 29. 372
Nusehe. 308

O.

OBerndorf. 548
Ochsenfurt. 371
Ochsenhaus. 60. 239
Ombstatt. 202
Onoldsbach. 191
Oppershofen. 210
Ortenberg. 308
Ostberg. 222

P.

PArreut. 363
Pendorf. 257
Penhenreut. 308
Pernau. 254
Pernbach. 308
Perchstein. 528
Pfaffenhofen. 667
Pfortzheim. 330
Pilenstein. 308
Pirkenfeld. 145
Planchtal. 65
Plassenburg. 132. 522
Plech. 308
Poppard. 446
Pressat. 540
Prettfeld. 170
Pretzensdorf. 131
Punreut. 308

Q.

Querfurt.

R.

RAchenberg. 308
Radansfurt. 250
Ragusium. 188
Raperswil. 429.641
Rasch. 252
Ratelsdorf. 315
Ravensburg. 14. 348. 366. 540. 568
Rebdorf. 370
Redwilz. 252
Regelsbach. 139
Reichenau. 30
Reichenbach. 243
Reikersberg. 308
Reutlingen. 660
Richebach. 319
Richenstein. 666
Riedlingen. 66. 274. 294. 402. 660
Rochlitz. 9
Rodenmach. 514
Rokenburg. 377
Roshaupten. 9
Rostal. 199
Roswagen. 331
Rotenberg. 311

Ruchendorf. 308
Rudolfstein. 256
Rufach. 552
Runa. 145

S.

SAltzing. 122
Sangallen. 412
Sarbrück. 303
Saxonagona. 648
Schildek. 222
Schlabatenhofen. 266
Schnaitach. 310
Schonenbachwald. 256
Schonvelt. 308
Schrobenhausen. 344
Schussenriet. 537. 16
Schwanfeld. 350
Schwartzach. 524
Schwartzenfels. 220
Schwartzbach. 194
Schwartzenschwall. 251
Schweigeltsreut. 308
Schweinfort. 154. 157
Schweinsburg. 232
Seseld. 366
Selestad. 336
Seeperk. 307
Sikingen. 530
Sigehartsreut. 308
Sindelfingen 660
Sindelsberg. 304
Sindmaring. 42
Smaalfelden. 145
Snelhartsdorf. 308
Solhoven. 217
Spangenburg. 225
Stamheim. 411
Staffelstein. 52. 55. 327
Steingewasser. 308
Steinau. 220
Stein. 348
Stekborn. 45
Stetwangen. 110
Stellwartz. 222
Stiragium. 26
Stoltzberg. 219
Stötzingen. 8
Susmarhausen. 36
Sumerhausen. 308
Sulgau. 367
Sultzgau. 350
Sultzbach. 364
Sultzthal. 319
Suldorff. 359
Sundhoven. 9
Supplingen. 639

T.

TAbernæ. 301
Tachau. 258
Tagmarheim. 345
Talbach. 12
Tankenhof. 319
Tettingen. 4
Theuschitz. 284
Thursenreut. 247
Tigurum. 266
Toberin. 308
Tragesholdesdorf. 319
Tremethen. 514
Trumberg. 319
Trumberg. 219
Tumiliana. 134
Tungen. 222
Tutlingen. 43

V.

VAch. 222
Vahingen. 536

Uberlingen. 382.386
Vettisium. 188
Vihreit. 322
Villingen. 305
Vitishofen. 16
Virngrund. 171
Ulma. 164
Umstad. 294
Unaraham. 315
Voburg. 674
Vohenburg. 242
Volkach. 154
Volkenrod. 263
Urach. 662
Urbach. 308
Urdorf. 319
Urfing. 350
Urtzell. 227
Urtzck. 452
Uthonis Wyler. 69

W.

WAderlo. 514
Wagek. 111
Wassertrudingen. 177
Waldenburg. 222
Walenburg. 292
Wallendorf. 284
Wallerbach. 252.264
Waldsassen. 242.245
Waldsee. 366
Waltz. 641
Wartenberg. 213
Wartenburg. 220
Wartenstein. 184
Warthausen. 64
Wasserburg. 343
Weiden. 259
Weischenfeld. 522
Weisenburg. 18
Weisenthorn. 164.377
Weisenstad. 256
Welmesgses. 380
Weismann. 281
Weluch 308
Weltersdorf. 319
Wemdingen. 375
Wendelin. 452
Wengen. 467
Wernberg. 224
Werting. 164
Wichstein. 319
Widelunbach. 308
Willeberg. 308
Wildetz. 222
Winckel. 153
Windeschenhauch. 322
Winterthur. 268
Wisensteig. 168
Wittelsbach. 507
Wittenloch. 308
Wittersberg. 219
Wolfstein. 235
Wolmundstein. 242
Wonsidel. 262
Wormesfeld. 315
Wunderkingen. 628

Z.

ZEll. 345
Zeyl. 156
Zuifalten. 50
Zurzach. 36

INDEX

INDEX
RERUM POTISSIMARUM.

A.

ABbas, *Atheus. 501. Campidonensis in Principis dignitatem evectus. 102. Clericus & Politicus. 102. cum Diabolo consultat. 33. ex modesto factus luxuriosus. 505. Femineo sexui favens. 110. fit cellæ vinariæ præfectus. 252. Fuldensis dignitas. 200. designatur Pontifex. 206. Ornamenta Pontificalia consequitur. 214. S. Gallensis Principem se vocat. 424. homicida vota plectitur. 105. ingenitus. 413. Jureconsultus. 265. 229. Literatorum hostis. 5. maxime longævus. 634. miles. 417. 418. 424. monasterii Münchberg quæ impetraverit à Pontificibus. 321. uxoratus. 5. 9. 198. 263*

Abbates *Imperii.* 336

Abbatia *Eboracensis solum Romano Imperatori subjecta.* 149

Abbatissæ *doctæ. 352. lusui deditæ. 279. nubere cupiens carceri includitur. 534. nubit.* 143

Adæ, *Sororis Caroli M. tumulus. 459.*

Adalbertus, *Vandalos convertit. 20. 21*

Adelheid, *Pipini filia, fundatrix cœnobii Nonnenberg.* 278

S. Adelindis, *fundatrix cœnobii monialium Buchovienſium.* 65

Adam, *Abbas, tegularii filius valde doctus.* 329

Admontensis *Abbatia.* 478

Agricolæ, *seditiosi.* 588

Agritius, *Patriarcha Antiochenus.* 454

Alberti M. *Patria.* 344

Albertus *Austrius, Imp. fundator monasterii Regii fontis 372. Marchio cœnobium Cæsarienſe obsidet.* 86

Alcuinus, *versifex.* 511

Alemanniæ *Ducatus quæ olim continuerit.* 335

Algoja, *unde dicatur.* 90

Altachii *Abbatia.* 478

Altenburgensis *arx, locus internecionis Philippi Imperatoris.* 55

Altenburg, *castrum.* 296

Altenhohenau, *cœnobium.* 345

Altmühl, *fl.* 370

Ambergensis *turris.* 264

Amicus *amicum inscius letaliter vulnerat.* 243

Amorbacense *cœnobium.* 209

Amoris *scelerati vis.* 133

Andreas *Masius, Poeta. 50. Abbas monasterii Münchsberg scriptis celebris.* 328

Anguli *cœnobium.* 384

Aquæ *mirandæ.* 189

Aquisgranense *templum.* 97

Ara *Lunæ.* 518

Argentinensis *Episcopatus tempore Caroli M.* 32

Arnolphi *cœnobium. 98. beneficentia in monasterium Augiense. 36. Imperator fundator monasterii Schyrensis.* 667

Arx,

Arx, *Schopula.* 46
Athanasii *crypta.* 457
Auceps, *Henricus quidam nobilis.* 138
Avaritia *Abbatis.* 42
Auffeſſ *laudatur.* 311
Aurachiorum, *monachorum cœnob.* 140
Auſtriaci, *Tutores monaſterii Zuiphalten. 661. eorum & Würtenbergenſium diſſidia de cœnobio Zuifalt.* 662
Auſtriæ *Duces monaſterii Urſpergenſis advocati.* 620
Aza, *Rex Hieroſolymæ, miſit ſanguinis Chriſti reliquias in Augiam divitem.* 37

B.

BAdenſes *thermæ,* 19
Balnea *Fabarienſia.* 189
Bambergenſium *ſeditio.* 325
Barbaroſſa *moniales laſcivientes ejicit.* 557
Baroniſſa *à Stofeln monialis. 67. de GeroldsEk monialis. 68. à Martorf monialis. 67. à Gundelfingen monialis.* 67. 68
Baronum *de Waldburg ſepultura ubi.* 642
Baſilica *Tigurina. 143. Salernitana. 384*
Bavarus *Ludovicus capit ac vaſtat Herridenſe oppidum. 176. vicit Fridericum Auſtrium 121. Bavaria de vaſtata. 676. Duces ſeditioſi in Henricum Aucupem. 349. Principes tutores cœnobii Anbuſiani.* 4
Bellum *inter Abbates. 42. Germanicum. 355. Bavaricum. 261. 953. caprarum.* 377
Baumgärtnerus *laudatur.* 171
Bebelius *Henricus.* 73
Bebenhuſium, *cœnobium.* 71
Bech, *cœnobium.* 388
Beneficentia *in pauperes.* 112. 113
Berengarius, *Comes de Sultzbach.* 120
Berno, *monachus Prumienſis, ſcriptor.* 40
Bibliotheca *Augienſis. 34. Banthenſis. 55. Campidonenſis incenſa. 102. Eboracenſis. 154. Elchingenſis. 167. Fuldenſis. 200. 203. Lankheimenſis. 285. Lutzelburgenſis. 56. S. Matthiæ Monaſterii. 449. Münchsbergenſis direpta. 325. rurſus aucta 327. Monaſterii S. Gallenſis. 407. Schyrenſis. 676. Schwartzachenſis. 526. Trevirenſis. 439. Udalrici Monaſterii. 503. Waldſaſſenſis. 262. Zuiphaltenſis.* 665
Blabhard *moneta.* 470
Blaſii *cœnobium.* 346
Blaſius, *Muſicus inſignis.* 623
Blavus, *fl.* 69. 535
Bohemici *Reguli Waldſaſſenſi cœnobio infeſti.* 259. 260
Boniſacius, *fundator Abbatiæ Fuldenſis. 199. privilegium Abbatiſſæ ad S. Claræ datum. 391. ejus reliquiæ.* 205
Bollingen, *cœnobium.* 431
Bos, *theſauri inventor.* 346
Boves, *ſua ſponte lapides ad templum* Bergenſe *advehunt.* 359
Brachium *legavit cœnob. Anbuſano Hartmannus Lodenburgius.* 28
Brandenburgenſium *Marchionum Mauſolæa. 192. monaſterii Anbuſani Domini. 29. ſtirpis eorum Epitome. 198. facti Domini cœnobii Kitzingenſis.* 280

Bren-

Brentius *amnis.* 1.372
Brunn, *marca.* 121.
Brunbach, *cœnobium.* 332
Brunſvicenſium *Ducum origo.* 101
Bruſchii *agnata Pirkheimeria.* 394. *ex Schlewitzeriana patricia natus.* 237. *unde dictus.* 260. *fit Comes Palatinus.* 400. *oculis curatus.* 388
Buchbergenſis *pugna.* 116
Buchhornenſium *Comitum genealogia.* 579
Buchovia *olim plena latronibus.* 221
Burcardus, *Poëta vetuſtus.* 38
Burſarium, *quid.* 331
Burg *cœnobium.* 596
Burggravii *Noribergæ.* 132. *eorum mauſoleæa.* 192
Burghalden *exciſum.* 116
Buſs, *mons.* 34

C.

CAdus *magnus.* 386. 388
Calculi *cura mirabilis in Henrico ſancto.* 312
Calumnia *divinitus punita.* 95. *ſeq.*
Camaldulenſe *monaſterium.* 496
Campana *benedicta Treviri.* 446. *Campanæ in funere S. Bonifacii ſponte ſonum dedere.* 200. *Campanarum pulſus efficax adverſus ruſticos tumultuantes.* 79
Campidonum *ſit civitas.* 114. *accipit privilegia.* 117
Campinenſis *civitas ſit cœnobiũ* 350
Campium *cœnobiolum.* 437
Canonici *expulſi.* 417
Canonicis *conſvetudo feminarum interdicta.* 396
Caroli Craſſi *locus internecionis.* 36. *ſepultura.* 31
Caroli M. *Baſilica.* 143. *Genealogia.* 91. *Legatus ad Nicephorum quis fuerit.* 34. *ejus Donatio monaſterio Augienſi.* 38. *privilegium monaſterio Uttenburano datum.* 629. *inchoat cœnobium Herridenſe.* 176. *Argentinenſem Epiſcopum conſtituit.* 32. *Baſileenſem.* 34. *Sturmio permulta conceſſit in fundatione monaſterii Fuldenſis.* 301
Carolus *Martellus.* 30. *Abbatem Augiæ primum conſtituit.* 31
Caroloman nus, *Caroli Calvi fil. Abbas monaſterii S. Wilibrordi.* 515
Caroli V. *privilegium Abbati Eboracenſi conceſſum.* 159. *dotat monaſterium Lützelburgenſe.* 58. *fugiens pernoctavit in monaſterio Norisheimenſi.* 341
Caſimirus *cum Noribergenſibus pugnat.* 194
S. Catharinæ *cœnobium Auguſtæ Vindelicorum.* 483. *cœnobium Noribergenſe.* 138. 398. *cœnobium S. Gallenſe.* 425
Celeſtini II. *diploma Anbuſiani monaſterii monachis conceſſum.* 1
Cervus, *occaſio baſilicæ condendæ Carolo M.* 143
Cereus *ingens.* 520
Chirothecæ *venenatæ.* 221
Chriſti *beneficia humano generi præſtita.* 137
Chryſoloræ *ſepulcrum.* 306
Chur *Wahala.* 180
Cinglianorum *furor.* 659
Ciſa, *DEa Suevorum* 90
Ciſtertium *cœnobium.* 249
Civile *bellum civitatum & Ducum imperii.* 8

S. Claræ cœnobium Bambergense. 492
Egræ. 260. Epternaci. 521
Clementis II. Episcopi Bambergensis Epistola. 316
Clericorum vita qualis esse debeat. 228.
Collegia Canonicorum, olim monasteria. 147
Colerin Priorissa. 399. 393.
Comes à Kalben Abbas. 44. Lützelburgensis Conradus fundat monasterium B. Virginis. 56. à Nellenberg fit Abbas. 42. Palatinus Tubingensis Monogoldus I. à Pfullendorf Abbas. 43. de Weissenburg. 49. de Zollern Abbas. 47. Comites de Aicheym. 60. à Kesselburg 64. de Kirchberg, fundatores cœnobii Biblingen. 76. de Lechsmund 80. Montfortenses. 63
Comitissa de Banth, fundatrix cœnobii D. Benedicti in Herbipolensi diœcesi. 53. à Rusek, monialis. 67. de Lupfen, monialis. 67. de Montfort, monialis. 68. de Werdenberg, monialis 68. à Winberg, monialis. 67. à Tengen, monialis. 67
Comitissæ de Schorburg, fundant cœnobium Gottes Zell. 60
Comitum Montfortiæ mausolæa. 11
Cœnobitæ, voluptatum amantes. 115
Concilium Constantiense. 85
Concionis vis in animo injusti possessoris. 185
Conjuges facta discessione monasterium ingrediuntur. 142
Conradi I. tumulus ubi. 200
Conradus III. cœnobii Egidiani fundator. 169
Constantiensi Episcopo jurat fidelitatem loco Cæsaris Eberhardus Augiæ Abbas. 46. Constantiensis Concilii scriptor Job. à Wallenrod. 140. urbs oppugnatur. 359
Controversia inter Henricum Palatinum, & Præpositum Elwangensem. 175
S. Corbinianus, Frisingensium Episcopus. 648.
S. Cornelii cœnobium. 563
Crux aurea Fuldæ. 305
Crucis imago cœlitus Ludovico Imperatori ostensa. 361

D.

DAgobertus fundat monasterium Mauritii. 452. ejus diploma. 455.
Filia, fundatrix cœnobii Weissenburg. 18
Dei loca sacra prius, quam alia ædificanda. 87
Diaboli pons. 269
Diaconus ἀνάχωρ. 154
Dianæ idolum. 443
Dictionarium vetus. 411
Dies conversionis Pauli, Abbati fatalis. 166
Dillingensis Comes capite plectitur. 563 eorum origo. 337. seqq.
Dimbacense Idoleon. 528
S. Dionysii monasterium. 7
S. Dominici sepulcri cœnobium Bambergæ. 492
Durus campus. 337.

E.

EBensberg monast. 587
Eberhard, Dux Alemanniæ, fundat monast. Marbacense. 335
Ebersheim monast. 336

Eber-

Eberwinus *vitæ S. Magnerici scritor.* 440
Ebneri *Patricii.* 120. 390. 392
Eberach, *ab omnibus juribus Moguntini Archiepiscopi, & Herbipolensis à Ferdinando exemtum.* 152 *eximitur à servitute Papæ.* 154. *fratres monasterii accipiunt privilegium ab Henrico VI. Imp.* 148. *Gregorius XI. immunitates magnas illi concessit.* 152
Ebrach, *fl.* 522
Ecclesia *S. Crucis Ulmæ.* 4
Egræ *Barbarossa nuptias celebrat.* 246
Einsidelensis *Abbas sit imperii Princeps.* 270
Ellerinium *cœnob.* 639
Eltenheim *unde dicatur.* 129
Endesdorf *cœnob.* 310
Ensdorf *cœnob.* 567
Episcopus *uxoratus.* 134
Erbachianum *cœnob.* 294
Ernestus, *Sueviæ Dux, concione ad restaurationem Campidonensis cœnobii permotus.* 106
Evangelia *auro scripta.* 460. 511
S. Eugendi *cœnob.* 519
Eucharius, *Trevirorum primus Doctor.* 443

F.

FAlsariorum *diplomatum ac sigillorum pœna.* 104
Fames *insignis Treviri.* 446
Femina *nobiles puellas instituit.* 133. *mortua revivíscens.* 161
Ferdinandus *Abbatissam liberat è carcere.* 534
Fetzerorum *sepulcra ubi.* 163
Fontes *memorabiles.* 374. *bacilli percussione exortus.* 649
Fornaces *ferreæ ubi efficiuntur.* 376
Franciscanum *monast. Curiense.* 389. *à Waldstromero Norib. fundatum.* 399
Fridericus *Imperat. cœnobii Michelsfeld privilegia confirmat.* 310. *ejus precationum libellus.* 624. *seq. Comitem de Zollern in Augiensi Abbatia confirmat.* 47. *Abbates loco movet.* 269. *Barbarossa Stivagiensis cœnobii privilegia confirmat* 26. *ejus conjunx.* 245. *II. Waldseensi præposituræ fundamenta ponit.* 641. *Marchio Brandenburg. Abbatem deponi curat.* 86
S. Fridelinus *passim Evangelium docet.* 530
Fuksensteiner *unde nomen acceperit.* 264
Fuldæ *laus.* 209. *ejus privilegia confirmantur.* 209. *ejus incolæ in Dominos suos exsurgunt.* 223. *incendio perit.* 206
Füreri *Patricii.* 236. *liberalitas eorum in monasterium Gnadenberg.* 237

G.

S. GAlli *Oratorium.* 10. *quis fuerit.* 408
Gebhardus, *Ratisbonensis Episcopus captivus.* 46
S. Germani *cœnob.* 448
Germaniæ *turbæ.* 418. *seqq.*
Geroldus *à Pussen, vexillifer Caroli M.* 34
Gertrudis *Conradi III. uxoris tumulus.* 144

Gerwici *historia.* 242. *seqq.*
Gigantes *à Carolo M. Campidonum adducti.* 98
Gottwingense *cœnob.* 495
Gregorius XI. *Eboracense monasterium magnis immunitatibus auxit.* 152
Grosen *Patricii.* 361
Grundlach *Barones, fundatores cœnobii* Frauen-Aurach. 138
Grundherrin *Abbatissa.* 393
Guelphorum *origo quæ.* 569. *eorum Genealogia.* 571. *eorum Sepultura.* 573
Gumbertinus *fons.* 317
Güntherus, *Episcopus Spirensis, fundator monasterii Maulbrunn.* 330

H.

HAbsburgum, *à quo exstructum.* 15
Hallerus, *Schrobenhusianus.* 568. *Episcopus Philadelphicus.* 356. *Eques auratus.* 646
Hallerin *Abbatissa.* 392. *Priorissa* 399
Hammelburgum *sit oppidum.* 218. *obsessum.* 225. *Fuldensi Ecclesiæ datur.* 202
Haslach, *ff.* 379
Hatto *à muribus corroditur.* 207. *Compater Arnolfi.* 37. *alter Moguntinus.* 563
Hebburgensis *Comitatus.* 120
Heerwerdotern *castrum.* 373
Heidelbergense *Gymnasium quando cœperit.* 152
Heidenheim *cœnob.* 508
Heidingsfeld, *monasterium virginum.* 53
Heinrici *Imperat. diploma Neuburgensi monasterio datum.* 344. *fundator monasterii Mönchsberg.* 312. *ejusdem litteræ fundationis.* 313. *II. restaurator cœnobii Nonnenberg.* 277. *IV. Sigillum.* 182. *ejusd. confirmatio Abbatis à Pontifice irrita redditur.* 420. *prudentia in eligendo Abbate Fuldensi.* 212. *VI. Liberalitas in monasterium Campidonense.* 112. *VII. Epistola ad Abbatem Waldsassensem.* 253
Herbipolensis *Academia Erfurtum translata.* 150. 152. *Ecclesiæ calamitates.* 527
Herculis *Alemannici Idolum.* 31
Hermanni *Contracti sepulcrum.* 33
Herradis *Abbatissa Libri hortus deliciarum author.* 558
Herridense *cœnobium inchoatum à Carolo M.* 176
Heersbrug *moniales Bergenses concessere.* 352
Hersveldensis *Ecclesia Fuldensi incorporata.* 229
Hezelinus, *quis.* 312
S. Hilarii *vitæ scriptor Abbatissa.* 343
Hildegardis *cur S. vocetur.* 98. *Uxor Caroli M. falso adulterii accusatur.* 95. 96. *Fundat monasterium Campidonense.* 89. *ejus tabula plumbea sepulcralis.* 107. *ejus castrum vastatur.* 112
Hilermont *incendio perit.* 105. *arx.* 90
Himmelrod *cœnob.* 448
Hirsgavense *cœnob.* 671
Hohenburgense *cœnob.* 557
Hohenkree *arx* 58
Holdschueri *Patricii.* 145

Holdschuerina *Abbatissa. 392. monialis. 493.*
Holtz *cœnob.* 548
Hospitium *gratuitum.* 280
Hunni *Campidurum evertunt.* 104
eorum in Germaniam irruptio. 65
Johannes Huss *259. damnatus.* 153
Hussitæ Michelsfeld *vastant.* 310

I.

IDolum *celebre.* 284
Johannes *Cassellius.* 73
Johannes *Stöslerus.* 74
Ingratitudinis *pœna.* 85
Injuria *Abbati illata à Deo vindicata.* 33
Irene, *Philippi Imperat. conjux.* 144
Ithesis *fl.* 329
Ittingen *cœnob.* 421
Juvenis *in Abbatia ab Ottone M. confirmatus.* 414

K.

KAiserstheim *limes inter Episcopatum Aistetensem & Augustanum.* 81
Kesselburgensis *arx unde nomen acceperit.* 64
Kirchberg *mons.* 76
Kreutzgarten *cœnob.* 370
Kizingensis *pons.* 278
Knobelii Chronicon *de monasterio Cæsariensi.* 87
Kressii *Patricii.* 362
Kressin *Abbatissa Pilenreut.* 363
Kuttenarii, *qui.* 223
S. Kunigundis *locus educationis.* 52

L.

LAmbertus Schafnaburgensis. 211
Langenau *pagus Ulmensis.* 38
Langenberg *arx.* 107
Largitionibus *Abbatiam consequitur Meginhardus.* 48
Laurissa *cœnobium.* 296
Lazari *sepultura.* 25
Leimbach *fl. 524. cœnobium.* 526
Leonhardi *cœnobiolum.* 427
Leonhardus *Wirstelinus, Scripor incomparabilis.* 505
Leuchtenbergensium *Comitū mausolæa.* 246
Liberalitas *singularis.* 228
Liber *centum diversarum Latinarum Scripturarum.* 505. *seqq.*
Libenthal *monast.* 580
Libenthann *arx.* 817
Lietzheimense *cœnob.* 338
Lipsiensis *Magister fit Abbas.* 246
Literati *neglecti à nobilibus, & eos quoq; negligunt.* 78
Longobardi *à Marsilio Sueviæ Rege superantur.* 63
Lorchheim *monast.* 473
S. Lucius, *primus Rhætorum Apostolus.* 431
Luderense *cœnobium.* 337
Ludovici *Imperatoris benevolentia in Abbatem Conradum Winklerum. 500. Bavarus cœnobii Pillenreitensis exstructionem concedit. 361 Germaniæ Rex fundator monasterii* Frauenmünster. *141. Pius restaurator cœnobii monialium Buchoviensium. 66. fundator monasterii Wormatiensis.* 292
Lundensis *Archiepiscopus sit Abbas Waldsassensis.* 264
Luxuria *in piscibus Comitissæ Pfullendorf.* 93

M.

MAgdeburgum *unde habeat Archiepiscopatus titulum. 125. primus ejus Archiepiscopus Adalbertus.* 20
Magister *Philosophiæ creatus nobilis de Eglofstein.* 542
Marbach *cœnob.* 555
Marchiones *à Voburg.* 52
S. Marci *sepulcrum.* 31
Mariæ *Magdalenæ sacellum à Noribergensibus frequentatum.* 390
Mariani *lapidis cœnob.* 355.371
Marquardi *scripta.* 258
Marsilius, *Suevorum Rex.* 62
Martalium *cœnob.* 70
Martinalia *infelicia.* 115
S. Martini *cœnob. 473. ejus vita à Severo scripta. 493. ejus honori exstructum est monasterium Anbusianum. p. 1. Dæmoniacum liberat. 439*
Masonis *monasterium.* 336
Matris *crudelitas.* 133
S. Matthiæ *reliquiæ Treviri.* 444
Maximilianus *Imp. ponit primum lapidem chori monasterii S. Udalrici 504. habuit conclave in cœnobio Lindavienſi. 289. vixit in monast. S. Crucis.* 404
S. Mechtildis, *Conradi II. Imp. Soror.* 25
S. Medardi *cœnob.* 449
S. Meginardus. 266
S. Meinradus *occiditur.* 36
Melcense *monast.* 502. 656
Joh. Mercator *Noribergensem curiam construxit.* 156
Mercurii *sacellum.* 451
Meßkirch, *arx.* 109
Mindula, *fl.* 595
Miniſtrorum *petulantia ſeditionis causa.* 115
Mitra *Episcopalis Fuldensis, à quo comparata.* 224
Mochental, *arx.* 366
Mœni *inundatio.* 582
Moletrina *papyri ſeculo 15. ædificata.* 117
Monachi *campanas pulsant, ad convocanda auxilia. 80. Diligentes. 209. Furaces. 326. in Imperatorem injurii. 416. quid esse debeant. 427. uxores ducunt 206. 495. Waldenses trilingues. 257. se Diabolum fingens transfoditur.* 385
Monastica *vita in deterius mutata.* 423
Monasteria *quid fuerint olim.* 32
Monetæ *cudendæ jus Abbatissæ concessum à Carolo Crasso.* 141
Monialibus *Buchovienſibus nubere concessum. 62. nobilium cœnobium Lützelburgi. 59. ad S. crucem Noribergæ. 138. eruditæ.* 241
Mons *Mariæ. 202. Michaëlis. 43. Sanctus unde dicatur. 388. S. Quintin. 306. Otiliæ.* 336. 555
Montfortenſium *Comitum in Germaniam adventus.* 63
Muffel, *Patricii.* 298
Muliebris *malitia. 655. sexus pernitiosus sæpe.* 296
Mundiburdium *quid.* 302
Muribus *carens cœnobium.* 635

N.

NObilitas *vera quæ.* 190
Nobiles *aliis molesti debellati.* 109

Noriberga *accepit advocatiam Monasterii Eboracensis.* 159
Noribergenses *à Casimiro cæsi.* 364
Norbertini *Monachi, socii monialium.* 126
Norberti *laus.* 125
Numismatum *gentilium arca Campidoni inventa.* 103
Nützelii, *Patricii.* 145

O.

OAssinum, *Campaniæ monasterium.* 301
Obsopœus. 171
Ochsenhauß *unde dicatur.* 346
Oeningen *Episcopatui Constantiensi incorporatur.* 349. *Oeningenses Comites antiquitus Veneti dicti.* 348
Oleum *S. Walpurgis.* 508
Oleachius, *fl.* 451
Organum *magnum.* 386
Orlamündi *Comites.* 131
Ornamenta, *quomodo sacris personis competant.* 214
Osanna *quid.* 226
S. Othomarus, *quis.* 408
Otiliæ *mons.* 336. 555
S. Otho, *Pomeranorum Apostolus.* 53. 307. *M. Adalbertum ad convertendos Ruthenos misit.* 20. *Canonicos expulit.* 514. *Episcopus Bambergensis, restaurator monasterii Mönchberg.* 313. *Bambergensis Episcopi epistola ad Abbatem Wolfram.* 318. *Dux Stetinensis resignavit jus Patronatus monasterii Mönchsberg.* 323. *de Columna, fit Pontifex.* 346. *Frisingensis, fundator des Orden stifft.* 658. *de Wittelsbach, homicida Philippi Imp.* 55
Ow, *Germanis quid.* 30

P.

PÆdagogus *Laufensis fit Abbas Anhusianus.* 29
Palatinatus *à Carolo V. occupatus.* 344
Palatinus *Rheni & Bavariæ Dux Johannes, fundator cœnobii* Gnadenberg. 235
Paris *monasterium.* 331
Partus *monstrosus.* 592
S. Paulini *monaster.* 445. *mons.* 442
Pedum *pastorale cur inventum.* 224
Peristroma *insigne.* 520
Pfeser, *fl.* 372
Pfefficonense *castrum.* 270
Pfintzingin *Abbatissa.* 391. 392. 393
S. Petri *mons.* 668
Johannes Pflug. 264
Pharaonis *puteus.* 7
Pillenreut *unde dicatur.* 361
Pincernarum *arx.* 128
Pipinus, *Francorum Rex, cœnobii S. Magni fundator.* 434. *Fundator cœnobii Willibrordi* 510. *ejus sedes.* 279. *à Stephano contra Longobardos missus.* 63. *ejus castrum.* 648
S. Pyrminius, *Episcopus Meldensis.* 30
Pirkheimerin *Abbatissa.* 394. *Abbatissæ Bergenses.* 345
Piscatores *ab Abbate excœcati.* 46
Poëta *insignis & doctus, Conradus Fossor.* 87
Pomeraniâ *ad Christum conversâ, quid gratitudinis loco obtulerit Bogislaus.* 321. *Otto illius Apostolus.* 13
Panerberg, *mons Noribergensis.* 139

Pons

Pons *Trevirensis.* 451. *Fuldensis.* 204. *Leonini cœnobii.* 450. *Ileri quis primus construxerit.* 111
Pontificii *Legati ad Augustana Comitia diversorium.* 400
Præcedentiæ *controversiæ inter Abbatem Fuldensem & Magdeburgensem Episcopum.* 215
Prædicatorum *ordinis initium.* 424. *eorum monasterium Constantiæ* 360
Præmonstratensis *ordinis author quis.* 125
Præpositura *S. Leonhardi.* 421. *Roschachiana.* 428
Pressat. 540
Prieflingen *monast.* 53. 650
Principes *Juvenes quondam in monasteriis educati.* 30
Prodigia *varia.* 593
Psalterium 70. *interpretum ubi.* 33

R.

RAbanus *Maurus, celebris scriptor.* 203
Ratisponenses *vastant Lechsmund.* 82
Ratzenburg *nobilis sævit in monachos.* 54
Rector *scholæ fit Abbas.* 331
Rhodius *Abbas, scriptis celebris.* 447
Rhenus *ex uno alveo in alium deductus á S. Fridelino.* 531
Rhetium *unde nomen habeat.* 136
S. Richardis, *Caroli Crassi uxor, fundatrix monasterii Andlau.* 24
Joannes de Riedlingen, *medicus Noriberg.* 8
Rilindis *Abbatissa, Poëtria.* 325. 558
Riet, *Reut, Rod quid Germanis.* 308
Rietfeld, *cœnob.* 366
Rodius, *fl.* 346
Rodt, *monast.* 631
Rolandus, *Caroli M. nepos.* 97
Rostallense *templum.* 199
Roswitis. 234
Rota, *fl.* 379
Rotenburg *accepit advocatiam monasterii Eboracensis,* 159
S. Rudobertus, *Bavarorum Apostolus.* 475
Rudolphus I. *Imper. auxit Augiam Sueviæ.* 15. *ejus litteræ de monasterio Godenzell.* 61. *à Pfullendorff, ditavit Augiam Brigantinam.* 11
S. Rupertus. 276. *primus Salisburgensium antistes.* 477. *Abbas Tuitiensis laudatur.* 563
Rustici *seditiosi.* 118. *Filia prima Abbatissa monasterii Pillenreitensis.* 362

S.

SAcerdos *concubinam habens.* 114
Salisburgum *restauratur.* 476
Sangallensis *Academia Erfort translata* 102. *Abbatis splendor.* 407
Sanguinis *Christi reliquiæ.* 37. 38
Sanguini *non plus tribuendum, quam publicæ utilitati.* 226
Sauser *quis.* 49
Schaumburg, *castrum.* 452
Scheurense *monasterium.* 82
Schlewitzeri. 236
Schlüsselbergiorum *Genealogia.* 522
Schlüsselfelderi, *Patricii.* 364
Scholæ *Campidonensis initia* 116. *monachorum incuria frigent.* 415. *quatuor ex Augia monasterio prodeuntes.* 32. *earum finis.* 197
Schombach *fit civitas.* 254

Schonen-

Schonensteinbach/ cœnob. 399
Schürstabina *Abbatissa.* 392
Schussius, *fl.* 537
Schwabachius, *amnis.* 13
Schwabelberg/ *arx.* 118
Schwartzach, *monasterium.* 317
Comitum von Schwartzenberg *origo.* 395
Schyrensium *Comitum Genealogia.* 670
Sekendorfii, *quadruplices.* 365
Sepulcra *magnifica Augiæ Albæ.* 11
S. Sepulcri *monasterium.* 138
Sepulcrum *Christi exstructum.* 29
Sepulcralis *inscriptio.* 119
Serpentes *nulli in Augia.* 31
Seun, *monasterium.* 649
Sifrid *corneus*, der Hörnin Seyfrid. 294. Schweppermann. 124
Sigbergense *monasterium.* 243
Sikingen, *Maximiliano gratus locus.* 533
S. Simperti *corpus inventum.* 504
Simoniam *coërcet Alexander Pontifex.* 41
Sindelfingiacum *cœnob.* 660
Smalcaldicum *bellum.* 344
Solis *eclipsis ingens.* 651
Speciosæ *vallis cœnobium.* 334
Spek/ *fl.* 307
Spirensi *Episcopatui Weisenburgensis præpositura unita.* 24
Stabulense *monasterium.* 459
Stams, *cœnobium.* 331
Starkenberg, *castrum.* 518
Steglitz, *castrum.* 45
Steingaden, *cœnob.* 587
Steinwasser/ *fl.* 307. 311
Stella, *Poëta.* 80
S. Stephani *Ecclesia, prope Weisenburgum à plebe furiosa vastata.* 21
Johannes Stigelius. 193
Storm *Scholas in Germania instituit.* 201
Stromeri *Patricii.* 195
Stromerin *Abbatissa.* 392. 393.
Suevia, *arx.* 34. *unde dicta.* 90
Sultzbachi *conditor quis.* 122
Sultzberg, *arx.* 118
Summontorianum *monasterium.* 355
Sunnenfeld, *monasterium.* 325
Sweinfort *accepit advocatiam monasterii Eboracensis.* 159
S. Symphoriani *cœnobium.* 440

T.

TAbor *mons.* 521
Thasilo, *fundator monast. Thierhauptensis.* 546
Talandus, *Caroli M. frater, temerario amore in Hildegardin, uxorem Caroli M. accensus.* 93. *falso adulterii ream peragit.* 94
Tegernsee/ *cœnob.* 652
Templum *Pontis Treviri.* 451. *S. Gallense combustum.* 412. *omnium sanctorum Ulmense solo æquatum.* 469. *S. Ulrici corruit.* 503
Tempestas *nocturna byemalis.* 333
Theodoræ *cœnobium.* 312
Theobaldus, *Marchio Voburgensis.* 242
Thermæ *Fabarianæ* 188
Thesaurus *divino beneficio inventus.* 64. 183
Thet *mons* 648
Terræ-motus *stupendus.* 658
Treverin *Attila vastat.* 444

Trevirenſium *laniorum mos.* 442
Trithemius *Abbas.* 19
Thurſenreut, *muro cingitur.* 255. *Thurſenreuti nova arx exſtructa.* 265
Tubinga *venditur.* 71
Tubingenſis *Academia translata.* 74
Tucherin, *Prioriſſa.* 399
Tuiſconis *caſtrum.* 563
Tumulus des Hörnen Seyfrid. 294 *matris Hermanni Contracti.* 298. *Ludovici Imperatoris, Adelheidis & Hildegardis.* 100. 101
Tumuli *Reginæ Hildegardis inſcriptio.* 99
Tunica *B. Virginis ubi.* 290
Turris *Hildegardis.* 112. *cœnob. Anhuſiani carcer.* 4

U.

UDalricus *Comes fundator monaſterii Albæ Augiæ.* 10
Udalſcalcus, *celebris ſcriptor.* 497
Venator *thermarum Fabarienſium inventor.* 188
S. Vincentii *monaſt.* 519
Victor *II. Pontifex, Comes de Hirsberg.* 13
Vinearum *cœnob.* 348
S. Virgilius. 477
S. Ulrici *miraculum.* 620
S. Ulricus *Epiſcopus Auguſtanus.* 105. 493
Ulma, *quondam Sueviæ pagus.* 102. *datur Augiæ diviti.* 30. *obſeſſa.* 110. *Ulmenſis templi Parochialis lapis à quibus poſitus.* 469
Ulmenſium *monaſterium S. Michaëlis.* 463
Undisdorf, *cœnob.* 567
Unlingen, *cœnobiolum.* 390
Vogelsburg, *à quo conditum.* 145
Vogeſus, *mons.* 555
Volkameriana *Abbatiſſa.* 393
Volkameri *Patricii.* 364
Urbani *diploma de fundatione monaſterii* Blaubeurn. 74
S. Urſulæ *cœnobium.* 490
Uthonis *villa cœnob.* 399
Uxores *Caroli M.* 92

W.

WAlafridus *Strabo, ubi vixit.* 35
S. Walpurgis *Abbatia Weiſſenburgenſi præpoſituræ unita.* 24. *cœnobium.* 355
Waldſaſſenſe *cœnob.* 245. *defenſioni Palatini ſubjicitur.* 259
Waldſaſſum, *igne vaſtatur.* 262
Waldſtromer, *fundator monaſterii Norib. Franciſcanorum.* 399
Weiſenburgenſe *oppidum à quo munitum.* 23. *mutatur in præpoſituram.* 24
Welphones, *tutores monaſterii Zulphalten.* 661. *eorum ſtirpis interitus.* 275
à Wellenrod, *laus.* 139
Welſerin *Prioriſſa.* 484
Wenceslaus II. *Bohemiæ Rex.* 250
Wengenſe *monaſterium.* 470
Werd, *Germanis quid.* 493
Wernicus, *amnis.* 27
Wertach, *fl.* 584
Weſſenbrunnenſis *Abbatia.* 546
Weſtenſis *pagus.* 27
Wicelius. 232
Wildenſe *cœnob. Mariæ Magdalenæ.* 493
Wildenſteiniorum *familia* 48

Wilerinum *cœnob.* 626
Willibradus, *primus Ecclesiæ Bremensis Episcopus.* 512
Willibrordi *ara.* 290. *primus Trajectensis Archiepiscopus.* 290
Willibrodæ *cœnob.* 579
Willtrud, *Ducissa Bavariæ fundat monasterium Bergense.* 350
Winsheim, *advocatiam Eboracensis monasterii nanciscitur.* 159
Wirtenbergenses *Principes accipiunt tutelam monasterii Zuiphalten.* 661
Wismad, *fl.* 311
Wittelbacensis *Comitis peregrinatio Hierosolymitana.* 566
Witzenburg, *cœnob.* 514
S. Wolfgangi *imaginis pictura.* 168
Wolkenrod, *cœnob.* 245
Wossek, *cœnob.* 248
Wülflingen, *arx.* 46
Würtzburgensibus *Canonicis datum est privilegium à Conrado Suevo.* 146. *Episcoporum corda quomodo tumulentur.* 143
Wylini *visiones.* 35

Z.

ZEdlicium, *cœnob.* 247
Zolleriana *familia unde.* 492
Zolleranus, *Comes Abbas.* 43
Zuiphaltensis *monasterii tutores Welphones.* 661

FINIS.

Collegii Societ. Jesu Paderborn
1694.


Brudchij


Chronologia
Monasterii
van Ypenar
S. III

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliothek

Chronologia
Monasterii
Vangeronae
S. III


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Bruchij

Chronolog.
Monstrie
von Germa:
S. XVI

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Brudchij


Chronolog.
Monasterii
[illegible]
S. [illegible]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
4904


Brulchij
Chronolog:
Monasterio
rum Germa:
S. III
A a